UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

urn:nbn:de:hbz:466:1-46553

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

J. I.
37.
Th. 2926.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Libellus Sodalitatis:

HOC EST,

Christianarum Institutionum Libri quinque,

In gratiam Sodalitatis B. Virginis Mariæ:

Auctore

R. P. FRANCISCO COSTERO

Doctore Theologo Societatis IESV.



Liber Societatis Jesu Paderborna. a° 1587

ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini,

Architypographi Regij. 1587.

GREGORIVS XIII.

PONT. MAX. IN DIPLOmate confirmationis Sodalitatis B. Virginis. x. Sept.

M. D. LXXVII.

QVI alium docuerint aliquid eorum quæ in Sodalitatis Libello proposita sunt, veluti modum confitendi, examinandi conscientiam, audiendi sacrum, audiendi verbum Dei, orandi, meditandi, vesperi incumbendi, manè surgendi, mysteria rosarij, remedia contra diuersa vitia, cæremonias Ecclesiæ, earumq; significationes, & quoties hoc egerint, viginti annos, de iniunctis iis seu quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

VNIVERSÆ

SODALITATI

BEATISSIMÆ

VIRGINIS

MARIÆ.

CVM inter Societatis nostræ munia hoc numeretur, vt studiosa iuuentus piè, rectéque in Christianis moribus ac bonis litteris instituatur; omnibus modis adlaboratum est hactenus, vt illud quàm modestissimè commodissimeq. fieret; præsertim cùm vniuersæ Christianæ Reipublicæ salus, apta, sinceraque adolescentum institutione contineatur. Et quidem non est difficile, adolescentes, dum præceptorum curæ committuntur, in officio retinere; sed maximè curandum est, vt sic eorum animi pietate imbuantur, ne metu tantùm, aut gloriæ cupiditate, aut alterius rei contemplatione virtutem sectentur; sed vt animis ipsis Dei metum concipiant;

diuinoque amore succensi ad studia incitentur; vtque ea quæ ab aliis hauserint, aliquando in proximorum vtilitatē conferant: sic enim constantiùs virtutem ac pietatem colent; neque ad oculum seruient, & haud aliter priuatim nullo teste conscio, quàm palam rectè viuent.

Hæc cùm seriò nostræ Societatis homines apud se cogitassent, nihil prætermiserunt, quo adolescentes sibi commissos eò perducerent. Ad quam rem efficiendam, tametsi experientia docuit plurimum valere pias præceptorum cohortationes, egregiarum virtutum exempla, Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta, quotidianum Missæ sacrificium, aliaq. id genus, quæ in Collegiis nostris & scholis frequentantur: iudicarunt tamen etiam est, non parum momenti habituram, si adolescentes piis sanctisque legibus in vnam Societatem conuenirent; & ad rectè sanctèque viuendum, semetipsos quibusdam quasi vinculis astringerent. Ita enim futurum videbatur, vt mutua sanctaq. conspiratione, virtuti studerent, & quod anteà horrebant, aut aspernabantur, hoc nunc maximè expeterēt, quando ma-

do magna animorum consensione, multi pietatem quasi ex instituto profiterentur.

Visum autem fuit non absre hanc Sodalitatem sub auspiciis, & fauore, patrocinioque Bmæ Virginis Mariæ instituere, vt quo maioris dignitatis est patrona, eò & maiori religione coleretur, maiusque auxilium afferret. Quis enim ignorat, Matrem Regis totius vniuersi, Reginam quoque esse orbis? Et si Apostolus seruus Iesu Christi omnia potuit in eo, qui se confortabat, hanc etiam posse omnia in eo quem genuit? Non immeritò hæretici omnes hanc virginem vnanimi studio oppugnant, per quam cunctæ hæreses interemptæ sunt in vniuerso mundo: Nec sine causa serpēs insidiatur calcaneo eius, per quam conteritur caput ipsius; & draco persequitur mulierem, per quam ipse princeps mundi eijcitur foras. Nam virtute huius virginis, & ex animis hominum, & ex corporibus sæpè pulsus est diabolus. Theophilus qui se potestati dæmonis, dato chirographo, deuouerat, huius beneficio, eodem recuperato, restitutus est Christo: Maria Ægyptiaca

huius ope admissa in templum, adducta est ad pœnitentiam, & admirabilem vitæ sanctimoniam. Iulianus Apostata, cùm in eam contumelios⁹ fuisset, diuini iudicij vltione in bello Persico per eandem interiit, vt teitis est Amphilochius. Huius Virginis fauore Comneni Imperatores Manuel & Ioannes, de Schytis & Pannoniis triumpharunt, vt auctor est Niceta Choniates. Per hanc Christus reconciliatus est humano generi, quando Albigensium hæreticorum temporibus, iusta indignatione succensens mundo, interitum orbi minabatur; precibusq; Matris suæ, duos Religiosorum ordines per beatos Dominicum & Franciscum, ad hominum animos à vitiis ad virtutem conuertendos, excitauit.

Theodorus Apoldius lib. 1. de S. Dominico ca. 12

Hæc igitur tot tantorumq; bonorum auctrix, in Sodalitatis Patronã electa est, vt studiosæ iuuentutis nostræ curam susciperet: Et quæ dilecto discipulo Ioanni adhuc adolescenti, & (sicut B. Hieronymus loquitur) penè puero commendata à Christo fuerat, vt eum curaret potius quàm vt ab eo curaretur; eadem illa se Dominãm Matremque exhiberet discipulis

pulis noſtræ curæ commiſſis: quibus à filio ſuo & felix ingenium obtineret, & propenſam ad virtutis ſtudium voluntatem, vireſque ad proximos iuuandos. Enimuerò non paucæ olim Reſpublicæ, adeoq; ditiones integræ huius ſacratiſſimæ Virginis patrocinio ſe commiſerunt: quod Alſatia tota, Hungaria, & Belgica nobilis ptouincia teſtantur, quæ ſimul atq; fidem ſuſceperunt, ſimul etiã Chriſti Matrem in ſingularem elegerunt Regionis Patronam. In Belgio ſanè Cathedrales Eccleſiæ Cameracenſis, Tornacenſis, Atrebatenſis, & Tungrenſis in B. Mariæ Virginis honorem, conſecratæ ſunt Deo. Antuerpiẽſis porrò ciuitas originẽ ſuam & progreſſum Dei Matri debet; ſicut Argentinenſis Rempublicam ſuam florentiſſimam. Cæteræ porrò regiones, per orbem ferè vniuerſum, aliquas retinent celebriores huius ſacratiſſimæ Virginis memorias, in quibus ad ſuæ Matris gloriam celebrandam, Chriſtus illuſtria miracula frequentiſſimè edit. Lauretana domus in Italia, quæ non videt quotidie mirabilia Dei ad ſacrum illud Virginis cubiculum, in quo Nazarethi, angelo Gabriele

Gabriele internuncio, Verbum caro factum est? quod Angelorum ministerio ex Palæsthina in Italiam translatum, magnam affert Christi fidelibus voluptatem. Annunciationis memoria Florentiæ, quàm plurimæ aliæ in B. Virginis honorem Romæ erectæ, ac præsertim prima illa, vetustissimaque ad præsepe Domini Basilica, quàm S. Mariam Maiorem vulgò appellant, deuotionem Italici populi in Dei Matrem contestantur. Gallia quoq; habet non minus celebria templa ac loca, in quibus D. Virgo precipuo quodam honore colitur, magnusque fit Christianorum, ad ea visenda religionis causa, concursus: Carnotense in medio Galliæ; Apud Aruernos Ecclesia nostræ Dominæ de Puteo; Apud Parisios Ecclesia Dominę Virtutum seu Miraculorum; Apud Picardos Ecclesia nostræ Dominæ gaudiorum, &c. Quæ omnes pluribus miraculis sunt celebratissimæ. Sed neque Hispania hac vnquam laude caruit: Visuntur enim in illo amplissimo Regno, loca, templaque singulari pietate illustria, in quibus Deipara Virgo, vim numenque suum multis miraculis, magno gentis illius

lius commodo, & vtilitate declarauit; In monte Serrato; Guardaloupæ: In ciuitate Burgensi locus vulgò dictus, Nostra Domina Candida: In Cantabria in portu VVilbau, nostra Domina de Arrancasou. Germania deniq; superior plena est huiusmodi Ecclesiis, antiquissimis præditis religionibus, miraculisque illustribus, Oettingæ, Dittelbachò Spiræ, in heremo Heluetiorum, Aquisgrani, Cellæ in Styria, &c.

Hæc igitur sacratissima Virgo Dei genitrix, quæ tot populorum patrocinium, curamque suscepit, non immeritò Patrona esse debuit studioseq; iuuentutis nostræ; & eò vel maximè, quòd eius gloriam & maiestatem tãtoperè eleuare nitantur hæretici omnes. Lutherus non pluris sacratissimam illam Virginem fecit sacrilego scorto suo Catharina Bornensi, ex sanctimoniali, impurissimi hæresiarchæ meretrice. Centuriatores Magdeburgenses omnes ingenij sui neruos contendunt, conquisitis vndique argumentis, vt eam vilissimis ancillis vel parem, vel inferiorem faciant. Itaque iam obtinuit apud hęreticos spurcissimi illius

Constantini Copronymi sententia, Mariam virginem, quamdiu quidem plena erat Deo, nobilem fuisse, omniqúe honore propter filium Dei, quem vtero gestabat, dignissimam: At vbi enixa est filium, iam vnã esse de vulgo peccatricem, ambitiosam, vitiis, & peccatis communibus obnoxiam. Has blasphemas voces, quas Christus, & misericordiæ Mater benignè & clemẽter tolerant; si fortè mentem aliquando ad meliora conuerterint, Christiani dissimulare non debent; potissimùm verò studiosi adolescentes, qui in id studium suum, conatusque omnes conferre debent, vt maiestatem Matris Dei ab his impiis, sceleratisque conuitiis vindicent, & communem orbis Reginam & Dominam, qua par est dignitate prædicent, laudent, commendent.

His igitur de causis cum Sodalitas hæc sub augustissimo nomine sacratissimæ Virginis Matris Dei primùm Romæ, deinde Parisiis instituta esset, & fructus vberrimos adferret; Duacense Societatis Iesu Collegium, à religioso celebriqúe monasterio Aquicinctensi fundatũ, eandem Sodalitatem inter suos alumnos inducen-

ducendam iudicauit; qua inita, tanta ſtatim in omnibus morum mutatio viſa eſt; tanta in ſtudiis diligentia, & feruor; tantus in litteris progreſſus, vt & Collegij fama ad omnes ferè Europæ ditiones peruagaretur, & cætera Duacenę Academiæ Gymnaſia eandem Sodalitatem capeſſerent. Non ita multò pòſt Colonienſe Collegium, eadem inita, eum fructum reportauit, vt non ſolùm magno numero ſtudioſorum vndique accurrentium acceſſio fieret, ſed inclitæ illius Reipubl. in auita religione conſeruatio, à pleriſq; huic Sodalitati tribueretur. Siquidem viri primarij ex clero & populo, adeoque Epiſcopi non pauci, & ipſe Re^mus Nuncius Apoſtolicus Bartholomæus de Porcia, vir ſingulari virtute ac pietate prædituſ, æternaque memoria dignus, cùm familia ferè ſua vniuerſa, datis nominibus ſuis, in numerum Sodalium referri voluerunt; quorum induſtria effectum eſt (ſacratiſſimę Matris Dei nutu ac fauore) vt Senatus Colonienſis, & fidem Catholicam conſtantiſſimè retineret; & grauiſſima ab hoſtibus intentata pericula, magno animi robore depelleret ac ſuperaret.

ret. Hoc fructu latè sparso ac disseminato, etiam cætera Rhenensis Prouinciæ Collegia eandem Sodalitatem expetiuerunt, & maiorem quàm arbitrabantur, ex ea vtilitatem reportauerunt.

Quia autem inter cætera hoc Sodalibus in primis propositum esse debet, vt non suæ modò saluti consulant, sed ad proximos quoque ipsorum labor & industria deriuetur; cùm mihi Coloniæ demandata esset Sodalitatis istius gubernatio, cœpi adolescentibus quædam de ratione cõfitendi, communicandi, orandi, meditandique proponere, aliaq; nonnulla, quæ partim à piis quibusdam doctisque nostræ Societatis hominibus acceperam, partim ipse ex veteribus Patribus, & recentioribus Catholicis scriptoribus collegeram; quæ cùm nõ sine molestia ab ipsis describerentur, vt eos hoc onere leuarem, ex vsu futurum videbatur, si typis in eorum vtilitatem ederentur. Exiit igitur Libellus sub nomine Bullæ, quæ de fidei professione præfixa erat, statimque ita in manus iactari ac peruulgari cœpit, vt & sæpius multisque in locis recuderetur, & in varias linguas

conuer-

conuerteretur. Quod me in admirationem rapuit, cùm ſolis diſcipulis noſtris, communíque & rudi ſtylo eum libellum conſcripſeram. Quia tamen hic qualiſcunque labor gratus ac iucundus viſus eſt Catholicis etiam prouectioribus, qui non exiguum fructum ſe ex eo percipere affirmarent; exiſtimaui neceſſarium eſſe, Libellum de integro excutere, nonnullaque ad plurium vtilitatem adiungere, illumque meo nomine (quod latere non potuit) vobis Sodalibus chariſſimis, tanquam pignus meæ erga vos beneuolentiæ, dicare. Ad tres igitur libros, qui hactenus in lucem prodierunt, duos alios adiunxi, & ex priori tertium facere opportunum mihi viſum eſt, quòd de meditationibus agat nouiſſimorum humanæ vitæ, quæ non parum ad vitia omnia depellenda ac propulſanda, momenti habent. Poſterior vltimo loco explicat Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apoſtolorum ſymbolum, vt iſta Sodales edocti, alios iiſdem quoque præceptionibus imbuere curẽt: ſunt enim non ſine methodo explicata, ſuiſq; diſtincta numeris, vt & clarius intelligantur,

gantur, & facilius memoriæ commendentur. Et licet hunc librũ ſoli primùm Colonienſi iuuentuti cõſcripſerim: nunc tamen eum vniuerſæ Marianæ Sodalitati conſecro dedicoque; Dominam noſtram, Patronam & Aduocatam rogans, vt eius fauore atque auxilio, & vos Sodales, & per vos, cæteri Chriſti fideles, fructum etiam aliquem reportent: Vos quoque adhortor, vt Chriſti Matrem ex animo veneremini; eius honorem aduerſus hereticos omni ſtudio conatuque defendatis; ad eamque colendam quàm plurimos veſtro exemplo inducatis; & hoc libello ad eius gloriam, veſtramque & aliorum ſalutem vtamini; mihique veſtris precibus fauorem eius & patrocinium impetretis. Valete.

Veſter in Chriſto ſeruus

Franciſcus Coſterus.

SO-

SODALITAS COLONIENSIS CATHOLICO PIOQVE LECTORI.

NON hic arma leges humano imbuta cruore,
Non Veneris furias, ſæuosq; Cupidinis arcus,
Non Solis Lunæq; vices, neque Sydera certis
Vſque per immenſos ſpatiantia legibus orbes:
Nil mare, nil tellus, nihil hic ſibi vendicat aër.
Diuinum eſt, quodcunq; leges: quæ ſcilicet illis
Regula ſit morum vitæq; ſequenda, beati
Gaudia cælorum qui ſine carentia cernent.
Nam duce quo tendas per mille pericula tutus,
Cæleſtem in patriam, ſedes vbi ritè paratas
Omnibus eſſe pijs Chriſtiq; fidelibus olim,
Diuina oſtendunt ſacrorum oracula vatum:
Quaq; iter incœptum peragas ratione, libellus
Iſte docet, non mole quidem, ſed pondere rerum
Summarum, facili quas continet ordine, longè
Maximus, & puro quouis pretioſior auro.
Hunc ſibi diuino conceſſum munere dicet,
Illius ex animo fuerit ſanctiſſima quiſquis
Dogmata, ab æterna manantia lege, ſecutus.

CAR-

CARMEN SODALITATIS MOGVNTINÆ, QVO SACRATISSIMÆ Virginis Mariæ Societati Liber se commendat.

PAruus, vt ante liber, paulò tamen auctior, orbi
Editus, inuidiæ tela tremisco nouæ.
Vos ô virginei, lectissima pectora, cœtus
Auxiliatrices obsecro ferte manus.
Non eo in aduersos, armis vltricibus hostes:
Nec tandem arsuri semina spargo rogi.
Vt prosim venio, prosim quantum opto latendo,
Hac equidem orbatus luce latebo lubens:
Nec quenquam auersor, seu dogmata vera sequatur,
Seu prauum hæretico tramite carpat iter.
Quisquis enim bonus est Matri deuotus Iesu,
Hic sibi dilectam qui veneretur habet.
Si quis in intactam verba euomit impia matrem,
Rectius vt sapiat, pharmaca mille fero.
Et cui sum fallax? non iam nouus hospes in orbem
Prodeo; sunt ortus tempora longa mei.
Sæpe mihi interea patuêre palatia Regum:
Et subij admissus tecta superba Ducum.
Num quenquam læsi? num quando illectus honore,
Eripui dominis sceptra decora suis?
Sit procul omne nefas, non tollo nec ambio regna:
At superum humanas robore tutor opes.
Nam diuæ auspicio Matris, floremq; vigentque,
Quorum est præceptis consona vita meis.
Quid trepidem quæris Mariæ ô studiosa iuuentus,
Largiar aduentu cum bona tanta meo?

Scilicet

Scilicet hæc vna est & maxima cauſſa timoris:
Largiar aduentu quòd bona tanta meo.
Sic etenim humanos mutarunt tempora mores:
Peiora vt referas quo meliora facis.
Abſona quæ dico, fateor, ſed vera probauit
Exemplo genitrix intemerata ſuo.
Ah quoties humili, cælo ſpectante, rogatu,
Iam percuſſuro ſuſtulit arma Deo.
Ah quoties noſtræ cladem miſerata ruinæ,
Iuſtam iram nati lenijt ipſa ſui.
Gratia quæ meritis? dolor hei dolor obſtruit ora:
Nec ſinit admixtus dicere verba pudor.
Nulla vtinam meritis referatur gratia tantis:
Nam ſatius nihil est quàm retuliſſe malum.
Ergóne perpetuo quod ſuggerit ira tacebo?
Ito procul pudor hinc, hinc procul ito dolor.
Huic profugæ ſimilis nouachæ, crudelior illis
Iudæis; alij est ambitioſa nimis:
His fabri coniux, alij meretricula cæli est,
Hæc ſacra pro meritis præmia Virgo refert.
Quid mihi ſperandum, qui talem mittor in orbem?
Num potero Domina tutior eſſe mea?
Vos igitur vera clari pietate Sodales,
Porrecta trepidum ducite quæſo manu.

SODALITATIS TREVERENSIS AD VIRGINEM ΘΕΙΠΑΡΑ-ram Apostrophe.

SAlue sidereum Virgo decus addita cælo,
Quæq; electa micas solis ad instar, aue.
Ecce Liber, qui te priùs auspice venit in orbem,
Auctus adest, quo sic commoda plura ferat.
Scilicet vt soboles clarum decus inde reportet,
Mater & inde tuus floreat amplus honos.
Ergo Sodalitium supplex te in vota reposcit,
Tutus vt auxilio stet Liber iste tuo:
Et qui te Matrem vocitant Dominamq; Sodales,
Eliciant veras hinc pietatis opes:
Tum qui Diua tuo nondum sub nomine certant,
Hinc discant vni ritè vacare Deo.
Inde suos artus laceros, dispersaq; membra
Antiquam in sedem colligat alma fides.
Inde suis Pietas comitata sororibus, arce
Labatur supera, nos reuocata beans.
Denique Virgo tuis precibus fac quicquid in orbe
Seminis est diui, crescat id vsque magis:
Sicq; pium virtutis iter sectemur, vt omnes
Scandamus rutilos te duce Nympha polos.

AP-

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ MOGVNTINÆ.

STEPHANVS Weberus, Dei gratia Episcopus Mysiensis, Reuerendissimi & Illustr. Domini, Domini Wolffgangi Archiepiscopi Moguntini, Principis Electoris, &c. in Pontificalibus Vicarius generalis, S. Theologiæ Doctor, & almæ Vniuersitatis Moguntinæ Cancellarius, ac Facultatis Theologicæ pro tempore Decanus, testor Reuerendos & Eximios Dominos, nostræ Facultatis Doctores & Professores Ordinarios, Ioannem Leonem, & Petrum Thyræum, Libellum hunc Sodalitatis B. Virginis Mariæ, ab auctore recognitum probasse, & dignum iudicasse, quem pietatis studiosi sibi habeant commendatissimum.

Datum Moguntiæ III. Iulij.
Anno M. D. LXXXV.

Stephanus VVeberus, qui suprà, in maiorem fidem propria manu scripsi & subs.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ Colonienſis.

EGo Ioannes Walſchartz Tungrenſis, Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis Presbyter Canonicus, ac S. Theologiæ Profeſſor, & pro tempore eiuſdem Facultatis Decanus: hunc Reuerendi D. Franciſci Coſteri Chriſtianarũ Inſtitutionum Libellum dignum omnibus modis cenſeo, qui typis excudatur, & ad multorũ ſalutem euulgetur.

A P-

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ Treuerensis.

LIBELLVS hic Sodalitatis ab auctore recognitus & auctus, atque ab omnibus nostrę Facultatis Doctoribus lectus, & examinatus, quia totus Catholicus inuenitur; & non solùm adolescentibus, & rudioribus, quorum gratia primùm in lucem datus est, sed etiam doctis vtilis speratur futurus, dignus est communi sententia iudicatus, qui typis de integro mandetur, & omnibus legendus proponatur.

Decanus & Facultas Theologica Treuerens. ad hoc legitimè conuocata & congregata. XII. *Iunij.*
Anno M. D. LXXXV.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ Louanienſis.

HOs Chriſtianæ Inſtitutionis libros à R.P. Franciſco Coſtero Societatis Ieſu Theologo olim conſcriptos, & iam locupletatos; magno Catholicæ Eccleſiæ fructu, & præcipuè ad Chriſtianæ iuuentutis catecheſin recudendos cenſeo.

Hac XXIII. April.

An. M. D. LXXXVI.

H. Cuyckius, Apoſtolicus & Regius librorum Cenſor.

CA-

CATALOGVS EORVM

QVÆ IN HOC LIBELLO continentur.

Professio fideì Orthodoxæ, iuxta Decretum Concilij Tridentini edita.

LIBER I.

Cap. 1. *De modo instituendæ confessionis, quæ octauo quoque die fieri solet.*

2 *Argumenta popularia ad cõmendandã frequentem confessionem per similitudines.*

3 *Modus examinandi conscientiam, ad confessionem generalem.*

4 *De confessione generali, & eius vtilitate.*

5 *De modo se præparandi ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumendum, & corporis compositione.*

6 *Argumenta popularia ex similitudinibus ducta pro frequenti communione Corporis Domini.*

7 *Duo argumenta contra frequentem communionem dissoluuntur.*

8 *De sacro Missæ officio quotidie audiendo.*

9 *Modus audiendi sacrum.*

10 *Explicatio mysteriorum sacrificij Missæ.*

11 *Modus vtiliter audiendi verbum Dei.*

12 *De oratione & meditatione.*

13 *De attentione in oratione.*

14 De euagatione in oratione.
15 Remedia contra distractionem in oratione.
16 De modo stabiliendi cordis & cũ spirituali fructu precandi, iis, qui quod orant intelligunt, accommodato.
17 De corporis situ in oratione.
18 De processionibus.
19 De temporibus precum horariarum.
20 De mysterijs Rosarij.
21 Breuis explicatio orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ.
22 De pulsu ad salutationem Angelicam.
23 Modus vesperi incumbendi.
24 Modus mane surgendi.
25 Matutina & vespertina oratio pro rudioribus.
26 Meditationes quotidianæ iuxta ordinem dierum hebdomadæ.
27 Oratio D. Thomæ Aquinatis studio litterario fructuose præmittendæ.

LIBER II.

Cap. 1. Remedia ad orthodoxam fidem conseruandam.
2 Remedia contra iurandi consuetudinem.
3 Pro honore parentum & superiorum.
4 Remedia contra detractionis vitium.
5 Remedia contra inanem gloriam.
6 Remedia contra auaritiam.
7 Remedia contra luxuriam.

8 Remedia contra inuidiam.
9 Remedia contra iram.
10 Remedia contra gulam.
11 Remedia contra accediam.
12 Media ad cõparandam humilitatẽ cordis.
13 Media ad patientiam.
14 Media ad obtinendũ verũ cordis gaudium.

LIBER III.

Præfatio.
Cap. 1. Cur pauci mortem cæteraq; nouissima hominum metuant.
2 De morte.
3 De certitudine mortis.
4 De incerta hora mortis.
5 De tentationibus in hora mortis.
6 De his quæ post mortem accidunt.
7 Aduersus mortis metum remedia.
8 De iudicio.
9 De personis iudicio præsentibus.
10 De examine iudicij.
11 De sententia iudicij.
12 De purgatorio.
13 Remedia pro securitate in iudicio.
14 De inferno.
15 De loco inferni.
16 De personis inferni.
17 De pœnis corporum.
18 De pœnis animæ.
19 De æternitate.

 20 De

20 De regno cælorum.
21 De magnitudine gloriæ cæleſtis.
22 De ingreſſu in cælum.
23 De præmio accidentali.
24 De præmio eſſentiali.
25 De modo cognoſcendi; an ſimus in via ad cælum.

LIBER IIII.

Cap. 1. De cæremonijs Eccleſiæ Catholicæ.
2 De modo formandi ſignum S. Crucis.
3 De vtilitate formationis Crucis.
4 De cæremonijs Baptiſmi.
5 Explicatio cæremoniarum & effectuum Sacramenti Confirmationis.
6 De cæremonijs & effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.
7 De cæremonijs & effectibus Extremæ Vnctionis.
8 De aqua luſtrali ſeu benedicta.
9 De cereis.
10 De vſu cinerum.
11 De palmarum ramis.
12 De Agno Dei.
13 Carmen de Agno Dei, Andreæ Fruſij.

LIBER V.

Fuſior explicatio orationis Dominicæ.
Salutationis Angelicæ explicatio.
Explicatio ſymboli Apoſtolorum.

HYMNVS IN LAVDEM D. VIRGINIS.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Fœlix cæli porta:
Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis:
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum:
Vt videntes Iesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Trinus honor vnus. Amen.

Vers. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.
Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Defende quæsumus Domine, B. Maria semper virgine intercedente, istam ab omni aduersitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostiũ propitius tuere clementer insidiis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Antiphona.

SALVE Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo

ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum benedictum fructum vētris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, O pia, & dulcis virgo Maria.

Vers. *Ora pro.* Resp. *Vt digni.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis Matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: da, vt cuius commemoratione lætamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundē Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO SODALITATIS IN *admissione à singulis recitanda.*

SANCTA Maria Mater Dei & Virgo, Ego N. te hodie in Dominam, Patronam, & Aduocatam eligo, firmiterq; statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid vnquam dicturū aut facturum, neque permissurū, vt à meis subditis aliquid contra tuum honorem vnquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in seruum perpetuū, adsis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis. Amen.

PRO-

PROFESSIO FIDEI ORTHODOXÆ IVXTA DECRETVM CONCILII Tridentini edita.

EGO N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet: CREDO in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omniũ, & inuisibilium: & in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quẽ omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descẽdit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est; crucifixus etiã pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in cælũ, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni nõ erit finis: & in Spiritũ sanctum Dominũ & viuificantem,

ficantem, qui ex Patre, Filióque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & vnã sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquásque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutẽ humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitẽtiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illáque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum sollemni administratione recipio, & admitto.

Omnia

Omnia & singula, quæ de Peccato originali, & de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propiciatorium sacrificium, pro viuis & defunctis, atq; in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieríque conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem: quam cõuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, Animásque ibi detentas fideliũ suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eósque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerãdas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarúmq; vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam

& Apo-

& Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarũ matrem & magiſtrã agnoſco, Romanóque Pontifici, beati Petri, Apoſtolorum principis, ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicário veram obedientiam ſpondeo ac iuro. Cætera item omnia à ſacris canonibus & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimúlque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, eijcio & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti, ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

PIA-

CHRISTIANARVM INSTITVTIONVM LIBER I.

CAPVT I.

DE MODO INSTITVENDAE *Confessionis quæ octauo quoque die fieri solet.*

CVRA eius qui crebrò confitetur, versari debet ferè circa quatuor; examinationem conscientiæ, dolorem peccatorum, ipsam confessionem, & propositum ac media emendationis.

De examinatione conscientiæ.

QVI student puritati, & ad perfectiorem viuendi rationem, quàm vulgus hominum passim inire solet, aspirant; nõ solùm de peccatis mortalibus (à quibus per gratiã Dei ferè abstinẽt) sed etiam de venialibus euitandis, & affectionibus reformãdis, & demùm de imperfectionibus, quoad eius fieri possit, minuendis, sint solliciti; & teneram ac delicatam conscientiam (non tamen scrupulosam & anxiam) habeant oportet, vt vel minimos defectus obseruent, & in se ipsis persequãtur. Qui autem in quotidiano examine vespertino distinctè, breuiter, & simul quæ sunt eiusdẽ ra-

tionis peccata, scripto notaret, quæ cogitatione, locutione, opere, & omissione, cõtra Deũ, proximos & seipsum admissa deprehenderet; non magnoperè noua egeret discussione, cùm est accedendũ ad confessionem, sed quod notauit in memoriam redigat. Qui nõ id annotauisset, cũ se colligit, & ad confessionẽ parat, hoc infrà scriptum examen percurrat, & notet memoria, vel scripto, quod ad se pertinere iudicabit, nisi confessario aliud videretur, quòd propter nimiã & inutilem alicuius in ea parte sollicitudinẽ possit meritò accidere. Illi etiã, qui quotidie notant suos defectus, singulis mensibus vtiliter vidẽtur huiusmodi examen lecturi; vt si quid minus diligenter obseruabant, in memoriam sibi redigant.

Breue examen ad conscientiam discutiendam accommodatum: & primo de peccatis commissis erga Deum.

DE oratione debita vocali, & Missa dicta, vel audita, an attentè & deuotè se habuerit, nec ne; & an quid omiserit, aut repetierit, quod non oportebat.

An orationi mentali, meditationi, & examinationi conscientiæ vacauerit vt oportet.

An ex verbo Dei audito, vel lecto, fructum capere studuerit.

De defectibus in confessione, & cõmunione, & in specie de negligentia in se discutiendo, in contritione, in proposito & cura emendationis.

An in credendis, & insentiendo, & loquendo

do

do de Deo, & sanctis, se habuerit vt oportet.

An curiosus in his quæ sunt fidei perscrutandis, vel disputãdis, & an superstitiosus fuerit; aut Deum miracula non necessaria expetendo, tentauerit.

An sine necessitate, reuerẽtia, veritate & iustitia iurauerit; vel iuramentum aut aliquod votum implere omiserit.

De memoria, gratitudine, & gratiarũ actione, pro beneficiis à Deo acceptis.

De memoria præsentiæ Dei; & de directione vitæ, & omnium suarum actionum ad eius honorem & beneplacitum.

De desiderio gloriæ, & dolore offensarum Dei in se, & proximis.

De timore & reuerẽtia Dei; & an alio quouis timore omiserit, quæ Deo grata fore iudicabat.

An in festis peculiari modo cultui Dei vacauerit; & in Ecclesiis, vel in rebus sacris, an reuerenter se habuerit.

An spem, vt oportet, cõstituerit in Deo, non alibi: & an petendo auxilium ad res & actiones suas eam exercuerit.

Erga proximos.

An charitatis affectu compassus sit malis, & concupierit bona suis proximis; & an oratione pro eis, & opere (cùm se obtulit occasio) in his quæ ad animam, corpus, & famam pertinent, id ostenderit, nec ne.

An eorum iniurias condonauerit, & infir-

mitatem tolerauerit; an fuerit gratus in benefactores, an contrà.

De non præstito consilio, vel admonitione, cùm iuuare potuit, vel malè dato; aut etiã doctrina mala.

De adulatione, approbando quod non debuit.

An impatientia, verbo aut gestu, aut aliter ostensa, vel quouis malo exemplo contra ædificationem aliorum quid fecerit.

An quenquam à meliori bono reuocauerit, vel ei causa peccati, dissolutionis vel imperfectionis fuerit.

An facilè de aliis suspicetur malè, & temerè iudicet.

De detractione, attingendo defectus aliorũ sine vtilitate, & moderatione qua oportet, præsertim cũ intẽtione non bona; vel sine veritate aliquid mali nominis alicui conflando.

De irrisione & exprobratione defectuum.

De inuidia, non gaudendo de auctoritate, doctrina, aut bonis alterius.

De affectibus humanis circa bella, Principes, consanguineos, patriam, vel certũ aliquem locum, aut personam, non secundum charitatis & spiritus Dei ordinem moderatis.

De malè conseruatis rebus temporalibus hospitij, vel damno eis illato.

Circa obedientiam parentum, præceptorum, aliorumque superiorum, an promptè, & sine murmurationibus, quod præceptum est, exequutus sit.

An

An de persona, & rebus superiorū, vt oportuit, senserit; & an quid dixerit, quod eorum auctoritatem, vel subditorum erga eos beneuolentiam imminuerit.

De interiori, & exteriori reuerētia erga superiores; & an eis contradixerit, aut molestus fuerit.

An celauerit eos, quæ nō oportuit, quod attinet ad se, vel alios.

Erga seipsum.

CIrca castitatem: An cogitatione, affectu, intuitu, verbo, aut vlterius progrediendo peccauerit.

An in quantitate cibi aut potus, aut desiderio sensuali aliorum, quàm quæ apponuntur, aut modo indecenti peccauerit: & sic de aliorum sensuum parum honesta libertate.

Circa superbiam: An reprehensus culpam agnouerit, an excusauerit.

An singularis videri voluerit in re aliqua, & aliis se prætulerit, vel eos contempserit.

An magni se faciat, & fieri velit in bonis animæ, corporis, vel externis, & libenter de rebus suis loquatur, & amplificet quę ad laudem faciunt, & demùm vanè glorietur.

An sibi nimis confidendo, exposuerit se periculo peccandi.

De ambitione: An aliis præesse voluerit, vel auctoritate antecellere; & an sibi aliquid vsurpauerit in loco, & aliis ad honorem, vel imperium pertinentibus.

De pertinacia, de mendacio, de locutione

nimia, vel inconsiderata, de risu, & defectibus modestiæ.

De motibus iræ, vel impatientiæ.

De debilitate animi in rebus aduersis, pusillanimitate in arduis, & fastidio bonorum operum.

De somnolentia & negligentia, in mediis profectus spiritualis, in studiis vel aliis in rebus, ad quas obligatur, & in tentationibus excutiendis.

De tarditate in bonis operibus suscipiẽdis; de inconstantia in prosequendis, & consummandis.

An inspirationibus Dei respõderit, & ad instituti sui perfectionem, totiusq. amoris proprij abnegationem aspirauerit. Tempus otiosis colloquiis, vel vtcunq. inutiliter triuerit: vel an contrà plus satis laborauerit.

Si quod officium alicui propriũ est, vel quis defectus familiaris, eo applicet examen.

Non oportet autẽ in his, quæ dicta sunt, solas tentationes (nisi fortè cõsilij gratia) confiteri, præsertim superatas, nec admodũ importunas. Secus, si quis immoratus, vel delectatus, & multò magis, si ad vlteriora progressus sit.

De dolore peccatorum ex amore filiali comparando.

Postquam pœnitens dictante & suggerente conscientia, peccata post vltimã confessionem admissa collegit; hoc vel simili exercitio ad dolorem caritate informatum se poterit excitare.

Post orationem, qua gratiam petet dolendi,

vt

vt conuenit, de offensis in Patrẽ, & Deum sui amantissimum; Primo erigat oculos mẽtis ad Christum, expendens, quod ei, vt summæ sanctitati, omne peccatum magnoperè displiceat: quid egerit, quid passus fuerit, vt ab eo nos liberaret, & ad suum obsequium & honorẽ, ad præcepta sua obseruanda nos inflammaret, tot beneficiis & propria vita ad id impensa.

Conuertat deinde oculos ad se, vt videat, quid suo creatori & redemptori, & amatori dignissimo debeat, & quo modo suo debito satisfecerit, & intuendo multitudinẽ grauitatemque suorum peccatorum, doleat de tanta malitia, & ingratitudine sua, contra talem Patrem ac Dominum, cui, cùm se tantoperè amauerit ac honorauerit, tam contraria retribuit.

Denuò conuertantur oculi ad Christũ, eum considerando vt mediatorem & satisfactorem pro peccatis nostris, & eundẽ vt verum Deum nostrum, & infinitæ misericordiæ: & petat, per beatissimam eius matrem, & sanctos omnes, vt dignetur offensas condonare, maculas peccatorũ abstergere, pœnas eis debitas remittere, prauas animi propẽsiones reformare, ea, circa quæ contra suũ honorẽ, proximorũ & propriũ bonum defecit, supplere. Et proponẽdo emendationẽ, & gratiã ad eã petendo, semet ad dolorẽ, coniunctũ cũ spe obtinẽdę veniç, excitet.

De ipsa confessione.

POstmodum ad confessariũ accedens, vtroque genu flexo, & nudo capite, facie, nõ ad vultum, sed ad latus confessarij versa, signans

se cruce, dicat: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen: Benedicite, pater.* & post benedictionem à Sacerdote datam, prosequatur confessionem generalem, vsq. ad verba, *Mea culpa, Mea culpa, &c.* tunc confiteatur sua peccata, atque obseruet hæc tria.

PRIMO: vt confessio sit integra, nullum peccatum sciẽter reticẽdo (nihil enim iuuaret confessio, immo nouũ peccatum sacrilegij ad vetera adderetur) descendendo ad speciem, & vbi oportet, numerũ exprimendo, quoad poterit, & circunstantias, quę aggrauant defectum, quæque augent, confitentis contritionem, & hoc in quibusdam, quæ accidunt, maioris momenti. Nam aliqua, vt defectus perfectionis, quæ non euitantur, in genere dicere satis est.

SECVNDO: vt sit pura ab omni mẽdacio & simulatione, quæ in negotio diuino impia esset. Res ergo dicantur sincerè, vt quisq. sibi conscius est: certa, vt certa: dubia, vt dubia: sit etiam pura ab excusationibus, & verbis superfluis, nec quicquam, quod ad rem non faciat, dicatur, nec peccatum alterius, nec quisquam sine necessitate nominetur: & breuiter, quantum res patitur, se expediat pœnitens.

TERTIO, vt sit confessio humilis, & qui confitetur, memor sit, quòd in præsentia sit Dei, à quo veniam impetrare debet; eiusq. vicarij. Ideò reuerentẽ se præbeat, & verbis vtatur accusatoriis sui, sine affectatione tamẽ, & dolore non ficto peccata sua enumeret.

Postremo subiungat clausulam generalem:

De his & omnibus peccatis meis aliis, contra Deum, proximum, & meipsum, dico meam culpam, meã maximam culpam, & precor sacratissimam virginem Mariam, & omnes sanctos & sanctas Dei, vt orent pro me ad Dominum Deum nostrum: & etiam te pater, petoq; absolutionem & pœnitentiam.

Posteadeuotè audiat, quicquid confessarius vel suadendo, vel exhortando dixerit, & deniq. pœnitẽtia cum absolutione accepta discedat.

De proposito ac mediis emendationis.

POst confessionem, denuò secolligat, ac tria obseruet, pœnitens.

PRIMO: pœnitentiam iniunctam, cũ primum licebit, peragat, & propositum firmum renouet à peccatis, quæ cõfessus est, & ab omnibus aliis, cũ auxilio Dei, abstinendi: & occasiones eorũ, quoad eius fieri potest declinandi; & tum confidat peccata sibi omnia remissa esse per Dei bonitatem, supplente Sacramenti efficacia defectus & imperfectiones admixtas.

SECVNDO: ad emendationem se cõuertat, & obseruando vnũ aut duos dies defectus, eos potissimùm, vnde fortè alij nõ pauci oriũtur, contra illos armetur, & remedia adhibeat tum communia: cuiusmodi sunt, primo, magna voluntas euitãdi huiusmodi defectus, crebrò reuocata in examine, & cum diuino auxilio ad hos extirpandos applicata. Secundo, sui ipsius reprehensio & castigatio, cùm peccata acciderint. Tertio, memoria Christi præsentis, & oratio ad eundem, præsertim cùm quis impugnatur, aut in aliqua vsitati defectus occa-

Quinque generalia remedia euitandi peccata.

sione, quæ euitari non potest, versatur. Quartò, consideratio eorum quæ timorem excitãt, vt mortis, iudicij, &c. vel amorem Dei: itẽ beneficiorum, promissionum, &c. Tum quinto, propria remedia, quæ iuxta consilium confessarij, vel superioris, adhibenda erunt. Vtraque autem cum animi magnitudine, & perseuerantia, & spe victoriæ, in Christi fauore fundata, sunt exercenda.

TERTIO: ad augmẽtum gratiæ se disponat, antè actæ vitæ offensas piis obsequiis cõpensare desideret in posterum; & ex memoria præteritorum malorum, ad bona consectanda, humilior & feruentior reddatur, &c.

CAPVT II.

ARGVMENTA POPVLARIA, *ad commendandam frequentem confessionem, per similitudines.*

QVI confessionem peccatorum suorum diu differt, exponit se magno periculo grauissimæ pœnæ post mortem sufferendæ, si subitò (quod ferè subinde solet) eum mori contingeret. Qui autem sæpè confitetur, ab eo periculo est liber. Sicut ergo si Rex, cui multi ciues multa deberent, ingressus ciuitatem, omnibus offerret debitorũ remissionem, qui ad eum accederent chirographum petituri, quamdiu in ea ciuitate ageret, post discessum tamen nulla sperata condonatione, sed ad vltimum vsq. denarium cogẽda solutione: nemo esset, qui non statim ad impetrandũ gratis

tis chirographum accurreret, maximè quando incertum esse intelligeret tẽpus discessus Regis; & is magis festinaret, qui grauiore debito premeretur: Ita peccator in hac vita imprudenter & stultè agit, si non accurrat ad Christum per pœnitentiæ sacramentum, vt dimissionis chirographum accipiat, iuxta prophetam: Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dũ propè est. Et quia quotidie noua debita contrahimus, sæpè etiã petendum est nouum solutionis chirographum, quamdiu nobiscum est Dominus.

2. Qui rarò cõfitetur, significat se parui facere Deum, cuius iram nõ metuit; & pluris facere hominem, quem non patitur sibi esse infensum. Is enim apertè declarat, se illũ, quem quotidie offendit, & de quo placando rarò, aut numquam cogitat, nihili ducere.

3. Homo quotidie, aut sæpius in hebdomada verrit cubiculũ suũ, ne locus sit immũdus, in quo ipse versatur. Atqui anima nostra est templum Spiritus sancti: proinde frequenter purganda, in tanti hospitis reuerentiam.

4. Ingratum esset parẽti, si filius vestẽ maximi pretij atq. laboris defædaret, & non continuò leuissimos etiã puluillos discuteret. Atqui anima nostra est res nobilissima, pretioso Christi sanguine lota. Vnde nõ immeritò displicet illi, quod tam socordes in ea conseruanda simus, & non statim, atque peccatum irrepserit, per confessionem illud tollamus.

5. Sicut cubiculum, quod multis quotidie patet,

patet, si rarò verratur, multis magnisq. sordibus impletur, quæ semel atq. iterum verrendo non statim omnes tolluntur: Ita conscientia quotidie peccans, & rarò per confessionem se purgans, vna cõfessione vix bene purgari potest; quia per eã tantũ maiora eiiciuntur, minorũ autẽ nulla aut exigua habetur ratio. Fieri enim non potest, vt eorũ omnium recordemur, quæ tãto ab hinc tempore cõmissa sunt.

6. Crebra cõfessione facilius venit homo in notitiam sui ipsius. Sicut enim pauimentũ rarò versum, puluere respersum minus videtur: ita peccator, qui pluribus peccatis est subditus, minorem sui notitiam habet.

7. Sicut in panno mundo facilius conspicitur macula etiam leuis: ita in conscientia per crebram confessionem mundata, & candida, facillimè percipiũtur leuissima peccata: quæq. alij nihili ducunt, illi meritò magni faciunt, qui conscientia sunt puriore. Ac proinde frequenter est confitendum, vt maior habeatur notitia peccatorum.

8. Nunquam in sacramento pœnitẽtiæ sine gratia peccatum dimittitur. Quò ergo sæpiùs hoc sacramentum frequentatur, eo plus gratię colligitur: sicut pauper, qui sæpius eleëmosynam petit, maiorem stipem cogit.

9. Sicut qui graui onere, quod humeris sustinebat, leuatus est; expeditus, & lætus incedit; ita per crebram confessionem, qua à peccatis liberamur, datur conscientiæ serenitas, pax cordis, lætitia animi, promptique reddimur

ad

ad currendum in via mandatorum Dei.

10. Sicut parens, qui videt filium hoc vnicè cauere, ne eũ offendat, nõ potest non illi charitatem & fauorẽ exhibere: ita qui totus est in eo, ne quid in conscientia sit aut hæreat, quod oculis diuinæ maiestatis displiceat, potest sibi magna fiducia à Deo quiduis polliceri.

11. Sicut araneus vitat cubicula diuitũ, quæ sæpè purgantur, quòd in eis sua tela detergãtur, & ipsi periculum immineat, ne pedibus conteratur: Ita diabolus, dum videt tentationes suas frequenti confessione dissipari, & caput suum calcari, fugit eos, qui crebra confessione conscientias purgant.

12. Sicut infirmo aut valetudinario vtilis est frequẽs præsentia Medici, qui prescribat, quibus vtendum sit, & à quibus abstinẽdum: ita qui frequenter exponit in confessione conscientiam suam sacerdoti, accipit salutaria consilia, quibus se in actionibus suis iuuet, & quotidiana vitia deponat.

13. Sicut, qui illota facie aut manibus prãdium cum aliquo sumit, aut cum aliis versatur, abominationi aut tædio est illis, quibuscum agit: ita qui illota conscientia, & impura anima incedit, ingratus est Deo, ciuibusque cælestibus.

14. Sicut coma, quæ non frequenter pectitur, vermes nutrit in capite, & vsq. adeò implicatur, vt difficulter explicari possit: Ita anima rarò per confessionẽ purgata, multis sordibus repletur, & vermẽ conscientiæ nutrit: qui tam-

tametsi in hac vita subinde non sentiatur, vehementissimè tamen punget in hora mortis, & in futuro sæculo, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Ac præterea, eiusmodi conscientia frequenter tot peccatis & tricis est implicata, vt & hominē ipsum vehementer anxiū reddat, & sæpè ab ipsis etiam doctis viris vix extricari aut componi possit.

Esaiæ vltimo.

15. Sicut indusia, mappæ mensarum, aliaq. eiusmodi quę sunt in vsu quotidiano, frequēter mutantur atq. lauantur; & nisi purgarentur, fœtore & sordibus dissoluerentur: Ita anima, qua Christus quotidie ad sua ministeria vti desiderat, frequenter est abluenda. Nisi enim purgetur, multitudine sordiū & peccatorum, in æternam perditionem dissoluetur.

CAPVT III.

MODVS EXAMINANDI CONSCIENTIAM, *ad confessionem generalem.*

QVI vult instituere confessionem generalem de tota vita, primo distinguat vitā suam per certas habitationes, & in singulis consideret quomodo decem præcepta decalogi transgressus sit, & quomodo peccata capitalia commiserit, idq. cogitatione, verbo & opere. Deinde, in peccatis grauioribus, hoc est, mortalibus, addat etiam circumstantias & numerum, si certum habeat: sin minus, ponat certum pro incerto: Illud autem commodè fiet, si cogitet quamdiu hoc peccatū commiserit, & quoties singulis septimanis aut men-

mensibus. In sequenti examine aliquãdo interrogationes quoties,& quã diu,additę sunt, iis nempe in quibus communiter peccatum mortale cernitur. Quibus autem additæ non sunt,significatur communiter ea sine mortali peccato committi, tametsi aliquando in illis etiam possit inesse.

Examen iuxta decem præcepta decalogi.

Contra primum præceptum,& primò contra Fidem.

AN fuerit hæreticus, & quàm diu?

An alios hęresim docuerit,& quàm multos,& quoties?

An de aliquo articulo dubitauerit,an adhuc dubitet?

An hæreticorum libros legerit, & quoties?

An eos domi seruauerit,& quamdiu:an adhuc habeat?

An conciones hæreticas audiuerit, & quoties?

An hæreticis fauerit potius,quàm Catholicis,aut eos defenderit.quoties?

An consuluerit eos, qui cum dæmone negotium habent.quoties?

An mediis vsus fuerit inuentis à dæmone, vt superstitiosis chartis,scripturis, signis, &c. quoties?

An magicas artes didicerit, aut alios docuerit.quoties?

An libros magicos legerit. quoties? an habeat,aut habuerit,& quamdiu?

Secundo, Contra Spem.

An de Dei misericordia desperauerit?

An de eadem nimis præsumpserit.

An peccauerit aliquādo liberius, quia aliud peccatum simile iam commiserat, quod esset eadem opera confitendum.

An nimis fisus sit sibi, ingenio, diuitiis, meritis, nobilitati, &c.

Tertiò, directè contra Charitatem.

An Deū oderit. quare? quādiu? & quoties?

An Deū amauerit, aut ei seruierit propter temporale aliquod commodum., aut lucrum, præferendo amorem temporalis rei, amori Dei.

An rarò de Deo cogitarit, veluti vix semel in die, septimana, aut mense.

An contempserit, aut oderit bene monētes.

Contra secundum præceptum.

An sciens iurauerit falsum. & quoties?

An iuramento confirmarit id, de quo dubitabat. quoties?

An nouis iuramentis sit vsus, velut per vulnera, sanguinem, passionem Christi, &c. aut similibus, quæ non sunt vsitata in scripturis, aut Ecclesia.

An per falsos Deos iurauerit, per Iouem, Herculem, &c.

An sine necessitate aut reuerētia iurauerit.

An Deum blasphemauerit, hoc est, an aliquid de Deo affirmauerit vel optauerit, quod ei non conuenit. vt, Deus hoc ignorat, non gerit curam mei: vtinam hoc ignoraret Deus!

An aliquid cum Deo comparauerit, veluti: hoc est tam verū, quàm Deus, aut quàm Deus est in cælo, vel in sacramento, &c.

An

An de Deo murmurauerit, eiusq. facta reprehenderit.

An Deum tentauerit. veluti: experiar, an Deus hoc faciat, aut facere possit.

An res sacras prophanauerit.

An verba sacræ scripturæ ad facetias applicauerit.

An peccata sua scriptura sacra excusauerit, vel facto aliquo Dei aut alicuius Sancti.

An in conuiuiis temerè de rebus sacris disputauerit.

An aliquod votum Deo factum violauerit, & quoties?

An promissa, maximè iuramento cõfirmata, non seruauerit. quoties?

Contra tertium præceptum.

An aliquod opus seruile die sacro egerit. quoties?

An tali die lucrosa officia exercuerit: veluti: vendens, aut emens aliquid non necessarium ad victum. quoties?

An illis diebus tabernas frequentauerit.

An sacrum omiserit, aut non integrum audierit, aut in eo data opera attentus ad Deum orandum non fuerit, vtpote fabulans, aut prophana legens, &c. quoties?

An ad cõciones vel templum accesserit alia ex causa, quàm ad id agendum, ad quod templum est institutum: veluti, an iuerit ad spectanda turpia, ambulandum, fabulandum, &c.

An peculiari ratione Deum coluerit diebus sacris.

Contra quartum præceptum.

An parẽtes odio prosecut⁹ sit, irat⁹ illis fuerit.

An verbo vel cogitatione aliquid mali eis imprecatus fuerit. quale malum, & quoties?

An eis obmurmurauerit, vel asperius locutus fuerit.

An eos irritauerit, aut contristauerit.

An toruè eos aspexerit, aut irriserit.

An parentum suorum, ob paupertatem, aut aliam causam, eum puduerit.

An eorum iussis inobediens fuerit.

An paupertati & necessitati parentum subuenire recusauerit.

An bona aut pecunias eorum malè aut inutiliter consumpserit.

An eis detraxerit, aut de iis apud aliquem malè locutus fuerit. quomodo, & quoties?

An pro eis orauerit.

An fratribus, sororibus & aliis consanguineis amorem exhibuerit.

An superiores Ecclesiasticos aut seculares, vel etiam religiosos & sacerdotes, concionatores, aut præceptores riserit, eis detraxerit, aut eos contempserit. quoties?

An eis obedire noluerit, & nominatim cõfessariis.

An decimas, vectigalia, aut alia, quæ eis debentur, retinuerit. quoties?

An senes etiam pauperes riserit, aut cõtempserit. quoties?

Contra quintum præceptum.

An aliquẽ occiderit, non solùm apertè, sed etiam

etiam occultè incantando, propinando venenum, procurando abortum, aut aliud agendo, vnde mors secuta sit, aut sequi solet. quoties?

An nimia crapula vel ebrietate sibi morbū acquisierit. quoties?

An alium ad nimium potum coëgerit, aut induxerit. quoties?

An pugnauerit, aut percutiendo aliquẽ læserit. quoties?

An alios ad pugnam excitauerit. quoties?

An percusserit clericum, qui primam habebat tonsuram. quoties?

An cum tali peccato, si sacerdos sit, celebrauerit, & quoties. nam percutiens clericum est excommunicatus: & celebrans in excommunicatione, fit irregularis.

An fratres aut consanguineos percusserit. quoties?

An ad alicuius lęsionem consilium dederit.

An alicui sit mala imprecatus, vt pestem, mortem, aut similia mala.

An litigans agnomina dederit, aut conuitia iecerit.

An defectum corporis, aut paupertatẽ, aut simile exprobrauerit.

An odium in corde, aut iram fouerit, mortemque aut malum alicui optauerit.

Contra sextum præceptum.

An turpia & obscœna locutus fuerit.

An turpes cantiones cecinerit, aut turpia legerit.

An habeat obscœnos libros.

An inhonestas choreas duxerit. quoties?

An laruatus incesserit.

De turpibus osculis, aliisque contactibus. quoties?

De turpibus aspectibus & lusibus. quoties?

De occasionibus libidinis non deuitatis. quoties?

De pollutionibus nocturnis, aut diurnis, in somnis aut vigilia, procuratis, aut non procuratis: de modo procurationis, & quoties in procuratis? *Contra septimum præceptum.*

An aliquid clam furto sustulerit. quantum, & quoties?

An vi aliquid ab alio abstulerit. quantum, & quoties?

An inuẽta retinuerit, aut alteri quàm Domino dederit. quoties, & quantum?

An aliorum hortis, agris, domibus aut aliis bonis damnum intulerit. quãtum & quoties, si fuerit notabile?

An debita creditoribus, quando potuit, non soluerit. quoties?

An mercedẽ operariis detraxerit. quoties, & quantam?

An eam soluerit, cùm potuit, distulerit.

An bona, quę accepit distribuenda aliis, iustè & fideliter distribuerit. quoties non?

An officium aut ministerium, ad quod cõductus fuit, aut ad quod mercedem accepit, fideliter præstiterit.

An horas canonicas aliquando omiserit, si sacris est initiatus, aut si habet beneficium ecclesiasticum. & quoties? An

An chorum frequentauerit, sacra celebrauerit, & alia fecerit, ad quæ ex officio tenebatur. quoties non?

An ratione mutui aliquid acceperit (quod est vsura) quantum, & quoties?

An pro beneficio ecclesiastico, quod habet, pecuniam dederit, aut aliquid aliud vel dederit vel fecerit, quod pecunia æstimari poterat: quod est simonia.

An parentes eius, vel alius quispiam ipsius nomine aliquid simile pro suo beneficio dederint, aut fecerint.

Quàm diu tale beneficium simoniacè acquisitum habuerit?

An pro beneficij resignatione pecuniam, aut quod pecunia æstimari poterat, acceperit. quoties?

An alteri in contractu simoniaco cooperatus sit. quoties?

An plura beneficia habeat. quàm multa, & quàm diu?

An in mercibus fraudem fecerit, aut in alia vlla re. quoties?

An paratꝰ sit restituere omnia bona illicitè seruata aut accepta: Qui enim restituere recusat, nõ potest in cõfessione absolui, aut peccatorũ remissionẽ accipere, iuxta illud B. Augustini: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *Contra octauum præceptum.*

An falsum testimoniũ contra aliquem dederit in iudicio. quoties?

An superiori aut præceptori de proximi

peccato roganti mentitus falsò vel excusando, vel accusando fuerit. quoties?

An alicuius famã absentis læserit. quoties?

An aliquid mali de alio dixerit. quale, & quoties? si fuerit notabile malum.

An occultum proximi peccatum reuelauerit alia intentione, quàm iuuandi. quale peccatum, & quoties?

An inter amicos seminauerit discordias.

An in malam partẽ facta alterius sit interpretatus.

An laudes alterius obscurauerit, diminuendo eius bona.

An detrahentes libenter audierit: an, cùm potuisset, non eos repressérit.

An audita de aliis mala, aliis retulerit.

An temerè alios iudicauerit.

An adulando aliquem laudauerit.

An aliquod mendacium protulerit non solùm pernitiosum, quòd alicui nocet: sed etiam iocosum aut officiosum, quod alicui prodesse poterat, & nemini nocere. Nam omne mendacium est peccatum: pernitiosum autem, est mortale peccatum, si damnũ sit alicuius momenti, quod proximo infertur.

An proximum frigidè cõmendauerit, cùm ad ipsius vtilitatem commendatio fecisset.

Contra nonum præceptum.

An tũrpes cogitationes habuerit, an in iis diu hæserit.

An eas accersierit, in eisque delectatus fuerit. quoties?

An

An ad actum turpem consensum præbuerit, etiamsi eum non perfecerit. quoties?

An in solâ delectatione cõsenserit. quoties?

Contra decimum præceptum.

An proximi bona desiderauerit.

An in furtum aliquod consensum dederit.

An ad furtũ perficiendum occasiones quæsierit, aut cogitauerit. quoties?

De septem peccatis capitalibus: & primò, de Regina omnium, Superbia.

An iudicauerit se dona naturæ aut alia habere à se, & non à Deo.

An ea putauerit se habere suis meritis, & ideo vel nunquam, vel rarò Deo gratias egerit.

An iactauerit se habere, quod nõ habebat.

An alios despexerit, & singulariter videri voluerit.

De primo peccato, Vana gloria.

An quæsierit laudem ex peccato. quoties? aut ex re vana.

An quæsierit laudari, vt aliis noceret, aut vt ad officium promoueretur, quo erat indignus, aut vt ei committeretur, quod præstare non poterat. quoties?

An vltimum finem constituerit in honoribus, id est, an mãluerit peccatũ committere, quàm declinare honorem, aut confusionem pati. quoties?

An studia sua ad honorem referat.

An maiorem honorem quæsierit, quàm ei conueniebat.

De filiabus Vanæ gloriæ, 1. *Iactantia.*

An se iactauerit de peccato. quoties?

An cum proximi iniuria, aut nõ ad bonum finem sua bona narrauerit.

2. *Inuentio nouitatum.*

An nouas vestium formas, nouasque opiniones, aut similes vanitates inuenerit.

An noua eiusmodi imitari aut habere voluerit.

An curiosus fuerit.

3. *Hypocrisis.*

An se simulauerit bonum, cùm esset malus, & quare?

An vt aliis noceret, aut vt ei committeretur, quod ipsi non conueniebat.

An simulatè fassus sit culpã aut peccatum, aut ad laudem se accusauerit.

4. *Pertinacia.*

An fuerit pertinax in opinione sua, nolens aliis melius sentientibus credere.

5. *Discordia.*

An vnionem voluntatum in aliis non seruauerit, sed suam voluntatem potius, quàm aliorum fieri voluerit.

6. *Contentio.*

An contentiosus fuerit, nolens alteri cedere, sed vltimum verbum (vt dici solet) seruare voluerit, non prior tacere.

An peccata defenderit.

7. *Inobedientia.*

An contra præcepta Dei aut parentũ, præceptorum vel superiorum murmurauerit.

An

An illa tãquã iniqua reprehẽderit, vel apud alios, vel apud se in corde suo diiudicauerit.

An ne illa negligẽter vel imperfectè fecerit.

An distulerit facere, & sua illis prætulerit.

An potius ad oculum, vt homini placeret, obedierit, quàm vt placeret Deo.

Secundò, de Auaritia.

Auaritia, est immoderatus amor habendi.

An cor suũ nimis apposuerit pecuniis aut diuitiis.

An pecunias nimis cumulauerit.

An aliquod præceptum diuinũ vel humanum ob pecuniam sit transgressus: veluti, sacrum diem violauerit, parentum mortem desideraverit, notabili periculo corporis vel animæ se exposuerit. quoties?

Si religiosus est: An contra votum paupertatis habuerit aliquid proprij: quid, quamdiu, & quoties?

De 7. filiabus Auaritiæ. 1. *Obduratio cordis contra Misericordiam.*

An pauperibus cõpassus fuerit, an eos obiurgauerit, reiecerit, cõtritiis affecerit. quoties?

An ab aliis durè exegerit debita, cùm non essent soluendo.

2. *Inquietudo animi.*

An nimis solicitus fuerit, vt diuitias acquireret, sæpè de iis cogitans etiã extra tempus.

An tali solicitudine impeditus fuerit à cõfessione, communione, aut simili opere bono.

3. *Violentia.*

An vim alicui intulerit, cogens ad dandam

pecuniam: veluti nolēs reddere rem debitam, aut inuentam, nisi accepta mercede. quoties?

4. *Fallacia.*

An verbis mendacibus fraudē fecerit, decipiendo & dolo pecuniam emungēdo. quoties?

An omiserit præstare, quod accepta pecunia se præstiturum promiserat.

5. *Periurium.*

An ad huiusmodi mēdacia etiam accesserit iuramentum. quoties?

6. *Fraus.*

An aliena reipsa clam abstulerit. quoties, & quantum?

An aliquam rem pluris vendiderit, aut minoris emerit, quàm valebat: quoties?

An rem vnā pro alia vendiderit, aut vēdente ignorante acceperit. quomodo & quoties?

An nummum adulterinum alteri obtruserit, etiamsi ipsemet eum bona fide ab alio recepisset. quanti precij, & quoties?

7. *Proditio.*

An ob pecuniam aliquem in discrimen adduxerit, aliis lædendum obtulerit, iniustè accusauerit, &c. quoties?

Huic peccato opponitur per excessum Prodigalitas.

An bona sua inutiliter cōsumpserit lusibus, aleis, chartis, compotationibus.

An pecunias parentum malè expenderit, non studendo, aut scholas visitādo, aut id non agendo ad quod illi eum aluerunt.

An sua omiserit dare pauperibus, vt ea lusibus consumeret.

Si habeat ecclesiasticum beneficiū, an quæ ei supererant, in pios vsus cōtulerit. Quicquid enim tibi seruas præter victum & simplicem amictum, tuū non est, rapina est, sacrilegium est, vt dicit B. Bernardus epistola 2.

De tertio peccato Luxuriæ.

An aliquam carnalē delectationē quęsierit.

Cætera ex 6 & 9 præceptis petantur.

De 8. filiabus Luxuriæ.

1. *Cæcitas mentis.*

An ita deditus fuerit turpitudini, vt mens de cælestibus non cogitarit: imò auditas conciones, & bonas monitiones non intellexerit.

2. *Præcipitatio.*

An ex eadem causa egerit aliqua sine cōsilio, non adhibens media conuenientia.

3. *Inconsideratio.*

An in modo peccauerit, agēs aliquid incōsideratius, quod personā aut statū suum non decebat, vnde fortè alij scādalizari potuissent.

4. *Inconstantia.*

An eadem ex causa fuerit inconstans in bono proposito, nunc promittens emēdationem, nunc rursus peccans.

5. *Amor sui.*

An seipsum proposuerit finem actionum suarum & studiorum, non Deum.

An se plus quàm Deum dilexerit.

6. *Odium Dei.*

An à Deo rebusq. diuinis abhorruerit, maximè quia turpitudinem & delectationē carnalem prohibet, quamdiu, aut quoties?

7. Affe-

7. Affectus præsentis vitæ.

An ne nimis hanc præsentem vitã amauerit, cogitans se fore contentum nũquam frui gloria cælesti, modò concederetur semper hic viuere.

8. Horror futuri sæculi.

An nimis timuerit mortem, an de ea nunquam vel rarò cogitauerit.

An ad eã vitandã vsus sit malis artibus, aut potiꝰ fiduciã posuerit in medicis, quã in Deo.

An in infirmitate seriò se Deo commendauerit, eam vt admonitionem & stimulum ad emendationem accipiendo.

An in ea morosus fuerit, aliis molestus, querulosus, &c.

Quartò, de Inuidia.

INuidia, est dolor de proximi prosperitate conceptus, ob amorem propriæ excellentię.

Quatuor modis cõtingit tristari de alieno bono. Primò, si ex eo timemus nocumentum nobis vel aliis: & hæc tristitia non est inuidia, sed timor. Secũdò, si doleamus, non quia alius bonum habet, sed quia nos illo caremus: estq. zelus seu ęmulatio. Tertiò, si doleamus, aliquẽ habere bonũ, quo est indignus: estq. nemesis seu indignatio. Quartò, si doleamus de bono alterius, quia videtur minuere excellentiam nostram: estque inuidia.

An tristatus fuerit audiens aliquem sibi æqualem fieri.

An doluerit de emendatione vitę proximorum suorum: quæ est inuidentia fraternę gratiæ,

tiæ, peccatum in spiritum sanctum. quoties?

An doluerit, multos ad Ecclesiam conuerti, sæpe confiteri, communicare.

An conatus fuerit imitari peccata aliorũ, vt similiter diteſceret, aut eueheretur. quoties?

An conquestus sit de Deo, qui malis dederit prosperitatem, & bonos afflixerit quõties?

De 5. filiabus Inuidiæ. 1. *Susurratio.*

AN bonum alterius conatus sit impedire, occultè abalienando animum amici, & ex amico reddendo inimicum. quoties?

2. *Detractio.*

Tribus modis cõtingit detractio. 1. Si intẽdas nocere, & tamẽ nõ noceas: quia auditores non credũt, aut alia ex causa. 2. Si non intẽdas nocere, & tamẽ noces: vt fit, dũ ioco mala alicuius narras. 3. Si intẽdas nocere, & nõ noces.

In his omnibus est peccatũ mortale, si nocumentum proximi sit notabile, hoc est, si ob detractionẽ tuã negetur proximo bonũ notabile corporis, animæ, honoris, diuitiarum, &c. Itaq. manifestando venialia peccata proximi, quando adfertur notabile detrimentum, est mortale peccatum.

3. *Exultatio in aduersis.*

An gauisus fuerit malis proximi, siue ipse eorum causa fuerit, siue non fuerit: & multo magis, si ipse fuerit causa.

4. *Dolor in prosperis.*

An doluerit deliberato consensu de proximi commodis.

Sentire eiusmodi dolorem & exultationem,

nem, & non consentire, non est peccatum:

Signum, quod non cõsentias, est: 1, si doleas te ista sentire. 2, si dubites an cõsentias. Quia dubitatio, signum est non esse consensum.

5. *Odium proximi.*

Odium fertur in personam, sicut inuidia in bonum proximi. Is ergo odio habet, qui personam proximi sui detestatur.

Quinta de Ira.

IRa, est inordinatus appetitus vindictæ.

An petierit, vt puniretur, qui id non merebatur.

Aut si merebatur, an desiderauerit maiorẽ punitionem, quàm merebatur.

An voluerit eum punire modo non debito, nempe non per iustitiam aut superiorem, sed per seipsum.

An maiori feruore desiderauerit punitionem, quàm par erat.

Huc etiam pertinet impatientia, quæ est, nolle sustinere, quod debet, aut meretur, à Deo vel ab homine.

Quatuor sunt genera hominũ iratorum.

1. Qui citò irascuntur, & cito placantur.
2. Qui tardè irascuntur, & diutius seruant iram.
3. Qui tardè irascuntur, & citò placantur.
4. Qui citò irascũtur, & diutius seruãt iram. Hi sunt pessimi.

De

De sex filiabus Iræ. 1. Indignatio.

AN ex ira nõ dignatus fuerit alteri loqui, aut eum salutare, aut nominare proprio nomine, aut aliquod beneuolentiæ signum exhibere.

2. Tumor mentis.

An diutius iram retinuerit, cogitans modum & media vindictæ.

3. Clamor.

An ex ira litigando, clamores excitauerit.

4. Blasphemia.

An ex ira iniuriæ verba protulerit in Deũ, aut Sanctos. quoties?

An opere intulerit Deo aut Sãctis iniuriã, conculcando, frangendo, conspurcando, abiiciendo imagines eorum. quoties?

An creaturis irrationalibus maledixerit, vt pluuiæ, ventis, &c.

5. Contumelia.

An proximo verbis iniuriam aut cõuitium fecerit.

An opere aliquid egerit, quod famã aut honorẽ proximi læsit, vel an aliquod signum dederit, quo vir probus existimari potuisset potator, scortator, aut simili aliquo peccato inquinatus.

6. Rixa.

An reipsa nocuerit, percutiẽdo, lutũ proiiciendo, insidiando. quoties?

Sexto, de Gula.

GVla est vitium, quo inclinatur homo ad comedẽdum aut bibendum inordinatè. Quod fit quinque modis.

1. Præ-

1. *Præueniendo tempus edendi.*

An ne nimis maturè comederit.

An diebꝰ ieiuniorũ vſq. ad vndecimã abſtinuerit, & à prãdio vſq. ad veſperã. quoties nõ?

An nimis ſæpe in die comederit.

An ante communionẽ comederit. quoties?

2. *Lautiores cibos quærendo.*

An contentus fuerit cibis quibus communiter vtimur.

An potius quæſierit cibos inuſitatos, ad delitias, vt ſangos, &c.

An comederit carnes diebus prohibitis, aut oua in quadrageſima. quoties?

An comederit carnes humanas ſciens. quoties?

3. *Delicatius cibos præparando.*

An in cibo ſumendo aut potu quęſierit potius guſtatum oblectare, quàm neceſſitati ſatisfacere.

An excogitauerit aut inuenerit nouas artes delectandi gulam nouis mixtionibus aut condimentis.

4. *In quantitate excedendo.*

An ſeſe inebriauerit. quoties?

An ventrem cibo, vel potu infarciuerit, vt horis aliquot ineptus eſſet ad officium ſuum præſtandum.

An nimio cibo vel potu valetudinem ſuam offenderit.

An diebus ieiunij veſperi cibum ſumpſerit, ſub ratione cibi potius, quàm medicinę, ne potus noceat, &c. quoties?

An

An pridie dierum ieiunij vesperi, aut ipso die ieiunij in prandio, ideo se solito magis repleuerit, vt ieiunij laborem non sentiret.

5. *Auidius sumendo.*

An nimis auidè cibum sumpserit, potissimùm si valetudini nocuerit.

De 5. filiabus Gulæ.

1. *Hebetudo sensus circa intelligentiam.*

AN ex crapula talis fuerit stupiditas in eo, vt confessurus non potuerit cõscientiam examinare, orare, necessaria discere, aut retinere, aut vesperi se colligere iturus cubitum.

2. *Inepta lætitia.*

An ex Gula solicitudinem rerũ necessariarum deposuerit, non cogitans de precibus horariis persoluendis, lectionibus discendis, aliisque perficiendis, quæ officij erant.

An laruatus incesserit, vestibus muliebribus vsus sit. quoties? 3. *Multiloquium.*

An inter pocula de rebus sacris disputauerit, de rebus aliorum locutus fuerit, principes aut superiores iudicauerit; leuiter promiserit, aliorum sermonem interruperit. 4. *Scurrilitas.*

An verbis sordidus fuerit, cãtica turpia cecinerit, rithmos inhonestos recitauerit.

Huc pertinent turpes contactus, oscula, luctationes, & similes petulantiæ.

5. *Immunditia.*

An euomuerit ex ebrietate. quoties?

Huc pertinẽt nocturnæ pollutiones, & turpia somnia post crapulã aut ebrietatem. Item scandala per aliquod istorum excitata.

Septimo, de Acedia.

ACedia est tristitia ex eo proueniẽs, quòd Deus velit nos esse bonos: veluti, si doleat quis se esse factum à Deo, vt bene viuat. Item si doleat, necessario vel eundum esse ad cælum, vel ad infernum.

De 6 filiabus Acediæ.

1. *Desperatio.*

AN desperarit se posse saluari. quoties? estque peccatum in spiritum sanctum.

An in illa desperatione diu hæserit.

An propter eam aliquid mali commiserit. quid, & quoties?

2. *Pusillanimitas.*

An propter difficultatem refugerit media se & alios iuuandi: veluti, non orauerit pro gratia impetranda; non studuerit ad alios iuuandos; nõ vsus sit talento suo, ad auxiliũ aliorum sibi dato, concionãdi, docendi, monendi, &c.

3. *Torpor circa præcepta.*

An neglexerit aliquid ad salutẽ necessariũ: vt, discere orationem dominicam, symbolum Apostolorum, præcepta decalogi, &c.

Ad has duas filias referuntur 12. alia vitia.

1. Tepiditas, quæ est paruus amor boni.
2. Mollicies, quando statim cedimus duris, veluti tentationibus.
3. Somnolentia; dum rebus sacris indormimus, non autem fabulis.
4. Dilatio, quando bonum propositum aut opus bonum differimus.
5. Tarditas, quãdo lẽtè agimus negocia Dei.
6. Ne-

6. Negligentia, quando homo non curat quomodo opus suum faciat, dummodo absoluat; vt fit, dum preces nostras percurrimus.

7. Imperseuerantia seu inconstantia, quando opus cœptum non deducimus ad finem.

8. Remissio, quando quotidie quis efficitur deterior, vt qui semel feruidè cœperunt, paulatim efficiuntur frigidiores.

9. Incuria, quando quis sibi commissorum curam non habet.

10. Ignauia, cùm quis mauult in miseria perseuerare, quàm aliquid laboris assumere: potius mendicare, quàm laborare: bono aliquo carere, quàm scribere.

11. Indeuotio, cùm fastidimus spiritualia.

12. Tædium vitę, si tędeat hominem quòd viuat.

4. *Malitia.*

An bona spiritualia, quæ contristant, impugnauerit: vt si dicat Sacerdos aut Religiosus, non esse seruandam sibi castitatem.

Aut alius; non esse abstinẽdum in quadragesima à carnibus.

Hinc fit impugnatio veritatis agnitæ, quæ est peccatum in spiritum sanctum.

Huc etiam pertinent duo alia peccata in spiritum sanctum.

1. Impœnitentia, qua homo non vult dolere de peccatis commissis, etiamsi statuerit ea non amplius committere.

2. Obstinatio, qua statuit commissa peccata repetere.

5. Rancor.

An impugnauerit homines, qui eũ ad bona hortabantur.

An dixerit concionatorem mentiri aut errare. quoties?

6. Euagatio mentis erga illicita.

An se ad illicitas consolationes cõuerterit, aut quæ ipsum non decebant: veluti, an clericus tabernas frequentauerit, aut monachus secularia tractauerit.

An tempus inutiliter triuerit.

An in oratione sciens & volens euagatus fuerit.

Huc pertinet omnis leuitas in gestibus, inquietudo corporis, qua homo nõ potest quietus consistere: curiositas, qua inutilia vult scire: garrulitas, instabilitas, cùm nunc hoc vult, nunc illud: denique, cordis & sensuum nulla aut parua custodia.

De nouem peccatis alienis.

Iussio, consilium, consensus, palpo recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

1. Iussione.

An iusserit aliquem mali quippiam facere, aut aliquid quod ad malum ducit.

An aliquem ad huiusmodi coëgerit, veluti ad æquales haustus.

Si iussit furtum, tenetur ad restitutionem, (etiamsi ipse non fuit particeps factus) nisi alter restitueret.

2. Consilio.

An sciens malum consilium dederit.

An

An ex eius cõsilio aliquid mali sit secutum.

An consiliũ dederit in re alicuius momenti, quam non intelligebat, veluti, in conscientiæ negociis, dicẽs ex ignorantia id nõ esse peccatum, quod erat peccatum, aut simile. quoties?

3. Consensu.

An eius consensu aliquid mali sit commissum. quod fit variis modis.

1. Si, qui est superior, dat subditis peccandi licentiam.

2. Si tanti est momenti eius persona apud alium, vt eius consensus ad peccatum inducat.

3. Si malum suo nomine commissum approbet.

4. Si multi conueniant ad magnũ damnum inferendum, & singuli tantum parum inferãt, vt cùm multi simul intrant vineam, & singuli vnicam vuam carpunt: singuli enim tunc rei sunt totius damni.

5. Consensu etiam peccant, quibus placent peccata olim ab aliis commissa.

4. Laudatione seu adulatione.

An laudauerit peccata aut peccantes.

An auditis detractionibus aut verbis turpibus, riserit.

An aliquem laude vel vituperio incitarit ad peccandum, vel peccanti animum addiderit, vel post peccatum à pœnitentia retardauerit.

An aliquem promissis induxerit ad malum. ad quantum, & quoties?

An vitia nominibus virtutum, aut virtutes nominibus vitiorum palliauerit.

5. Defensione, qua malefactoribus patrocinium fertur.

An peccatorem ad eius auxiliũ in domum receperit, veluti hæreticum aut fugitiuum. quoties?

An iustitiæ aut' superiori, volenti alterum pro meritis castigare, restiterit. quoties?

An impediuerit volẽtem impedire alterius peccatum.

An aliquem in peccatis defenderit, aut excusauerit, aut ei fauerit.

6. Participatione.

Si sit vel socius criminis, vel particeps lucri iniusti.

An vsurario dederit mutuum ad vsuras exercendas. quantum, & quoties?

An sine necessitate petierit ab vsurario mutuum sub vsura.

An alteri dederit mutuum aut commodatum, ad male agendum. quoties?

An à furibus aut vsurariis acceperit, vel emerit, quæ sciebat iniustè ab illis haberi. quæ & quoties?

An beneficiũ acceperit per resignationem ab eo, quem sciebat illud simoniacè occupare. quamdiu id seruauerit?

An habitauerit in domo vsurarij, eum in peccatis iuuans. quamdiu?

An lucrum ex aliena turpitudine parauerit.

7. Tacendo.

An peccata suorum subditorũ, aut sibi commissorum non reprehenderit.

An

An cùm verisimiliter sciret peccantem cessaturum à peccatis per eius admonitionem, omiserit admonitionem.

Si est sacerdos, confessarius, aut concionator, an vitia omiserit reprehendere.

An sibi commissos non docuerit, quę ad salutem sunt necessaria: vt orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolũ Apostolorum, decem præcepta.

Qui aliũ de sacro fonte suscepit, an curam habuerit, vt is, quem suscepit, prædicta sciret.

8. *Non obstando seu impediendo factis.*

An subditos suos nõ castigauerit, vt par erat.

An cùm posset, alterius peccatum non impediuerit.

An is, qui est superior, non condiderit bonas leges, vel ordinationes ad subditos suos in officio conseruandos.

9. *Non manifestando peccata.*

An nõ detulerit ad superiorem, vel ad eum, quem putabat posse emendare peccatum alterius.

An rogatus à iudice de alterius furto, negauerit se scire, quod tamen nouerat, quo mendacio alter careat re sibi ablata. Hîc enim non solùm est peccatum mortale, sed etiam obligatio ad restituendum damnum, quod alter ex eius mendacio accepit.

De circunstantiis peccatorum.

Non est satis cõfiteri peccata, nisi etiam addantur circunstantiæ, quæ peccatum augent vel minuunt.

Circumstantiæ sunt:
- *Locus:* sacer an prophanus.
- *Tempus:* dies festus, dominicus an prophanus.
- *Persona:* Ecclesiastica, religiosa an secularis.
- *Conditio:* superior an subditus, an in dignitate.
- *Socij:* an cum patre, consanguineo; cum multis, an paucis.
- *Finis:* qua intentione fecerit.

Hæ circunstantiæ, 1. aliquando faciunt, vt id quod veniale peccatū erat, sit mortale: sicut, auferre alicui calamū ea intētione, vt Deum blasphemet.

2. Aliquando mutant speciē peccati: vt fornicatio commissa cum coniugata, est adulterium: cum consanguinea, est incestus. Furtum commissum in templo, est sacrilegium.

3. Aliquando multiplicant peccata: vt, qui post votum castitatis committit fornicationem, fornicatur, & violat votū. Qui comedit carnes die Veneris, in quadragesima. Qui iurauit aut vouit non peierare, & tamen peierat.

4. Aliquando inducunt excommunicationem: vt, percutere clericos.

5. Aliquando non mutant quidem peccati speciem, sed grauius reddunt: peius enim est peierare diebus sacris, quam prophanis. & vt D. Bernardus ait: Inter seculares, nugæ sunt nugæ: in ore sacerdotis, blasphemiæ.

Lib. 2. de consid.

CAPVT

CAPVT IIII.

DE CONFESSIONE GENERALI, & eius utilitate.

SVNT nonnulli, qui dubitant, an vtile sit, aliquando generalem de tota vita confessionem instituere, eaque omnia peccata repetere, quæ aliàs confessi fuerant. Quibus est dicendum, quandoque id esse improbandum, quandoque autem vehementer commendandum. Improbandum enim est, si non rectè ad huiusmodi generalem peccatorũ repetitionẽ homo moueatur. Quod posset accidere vel ex errore, quo sibi persuaderet peccata, semel legitimè confessa, non esse remissa, sed sæpè repeti debere, vt remittantur: vel ex nimiis conscientiæ scrupulis, quibus fit, vt nunquam sibi quacunq. cõfessione homo satis feciſſe videatur. Talibus quippe generalis confessio permittenda non est, sed prohibenda. Commendanda est autem generalis confessio iis, qui bonis causis ad eam mouentur. Causæ autem eiusmodi sunt variæ. Prima, si metuatur in aliquam ex antecedentibus confessionibus defectum talẽ irrepsisse, qui peccatorum remissionẽ impediuerit. Hoc namq. si aliquando factum fuisset, (vt fit frequẽter) necessario est repetenda confessio. Euenit autem hoc variis modis.

1. Si cõfessio sit facta sacerdoti, potestatem ad eum absoluendum non habẽti; aut fortasse ex ignorãtia vel ebrietate nõ rectè absoluenti.

2. Si defuerit confitenti contritio, aut dolor de peccatis sacramento conueniens, aut propositum peccata vitandi.

3. Si sciens & volens peccatū aliquod mortale subticuerit.

Secūda causa est, vt generali cōfessione renouetur dolor de singulis peccatis, & pudor: atque per ea, virtute meritorum Christi, pœna peccatis debita vel pœnitus tollatur, vel saltem minuatur.

Tertia est, vt tali repetitione excitetur in homine charitas in Deū, dum omnia sua peccata simul inspiciens, admiratur diuinā bonitatem, quę tantas abominationes tam diu tolerauerit. Plus enim mouent peccata omnia simul inspecta, quàm separatim diuersis temporibus considerata.

Quarta est, vt homo, dū peccata tam multa cōsiderat, & bona exigua videt, quibus essent illa tegēda, sese incitet ad opera bona, ne peccatorū numerus bonorū operum multitudinē vincat, memor istius sententię D. Chrysostomi: Nisi tot fueri in bona, vt exuāt crimina, & ex relictis aliquid in iustitiā nobis reputetur, de nobis à supplicijs liberabitur nemo. *Homil. 80. ad pop. Antioch.*

Sunt porro nonnulli, qui singulis annis cōfessionem annuā peccatorum faciunt, tum ob causas iam dictas, tū vt inspiciant, quos illo anno in virtutibus progressus fecerint. Quorum studiū vehementer est probandū, quippe qui declarant, quantum sit ipsis curæ suæ animæ salus, atq. perfectio. Sicut enim bonus pater fa-

terfamilias, quotannis semel rationes omnes datorum & acceptorũ colligit, vt statum norit rerum suarum: Ita Christianus, qui in mercatu virtutum est constitutus, non malè agit, si quolibet anno videat, quantã ad virtutes accessionem fecerit, quæ vitia deposuerit, quas imperfectiones reliquerit, & quantũ fieri potest, hunc annum cum præcedenti conferens, si aliquid spiritualis lucri obseruat, Deo gratias agat: si verò detrimentum negligẽtia sua sit passus, ex animo doleat, stimulosq. sibi ad fortiùs currendum addat.

CAPVT V.

DE MODO SE PRAEPARANDI *ad sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum sumendum.*

EX hoc omnium bonorum Spiritualium fonte, tantum se quisq. hausturum credat, ad quantum capiendum ipse se præparauerit. Potest autẽ ista præparatio fieri bifariá. Quida enim satis habẽt, peccatũ in cõmunione euitare, ac se ad cõseruationẽ & augmentum gratiæ aliquo modo disponere: Alij etiã ad gustandum in hoc Sacramento, quàm suauis sit Dñs, & ad gratiã abundantiorẽ accipiendã, & vehementer augendã se cõparãt.

De priori præparatione minus perfecta, sed omnibus necessaria.

PRima præparatio, quæ in omnib⁹ esse debet, exigit, vt quæ impediunt dignum accessum ad cõmunionem, vitentur: cuiusmodi est *Impedimẽtorum remotio.*

est excõmunicatio, & peccatũ mortale. Ab illa ergo absolui, qui ligatus est, & ab hoc emũdari, qui sibi peccati cõscius est, per contritionem, & confessionem, & propositum firmum in posterum abstinendi, curet. Est etiã mane cõmunicaturo impedimentũ cibus, post mediam noctem sumptus, nisi periculum mortis immineret: & huiusmodi impedimẽta necessario sunt remouẽda. Decet etiã alia remoueri: cuiusmodi est nimia distractio mentis, tædium, & somnolentia, & magis quàm hæc, cõmotio à pollutione (etiã sine culpa) vel ab alio peccato, præsertim si mortale sit; nam illo die abstinendum esset etiam post confessionem, si caussa vrgens non excusaret: nõ tamẽ mortaliter peccaret, qui cum his secundariis impedimẽtis ad cõmunionẽ accederet; & deuotio multos huiusmodi defectꝰ supplere posset.

D. Bernard. de præcept. & dispens.

PRIMVM ergo in hac præparatione sit, impedimenta remouere.

Bona voluntas & fides.

SECVNDVM est, bona cum voluntate inseruiendi DEO, quæ bonis operibus, cùm oportunum fuerit, cõfirmetur: & cum fide syncera, ad nutriendam animam sanctissimo Christi corpore, accedere.

Humilitas.

TERTIO, curãdum est, vt magna cũ humilitate, ex consideratione tantæ maiestatis ac sanctitatis, ad communionem accedatur.

Deuotio.

QVARTO, quærẽda est deuotio ex cõsideratione passionis Christi, & ex præsenti benignitate, quę nobis in hoc Sacramento exhibetur, ad spẽ & amorem se excitando: ad quod

oratio

oratio cum consideratione multum valet.

Post communionem, hoc faciendum est Christo, quod solet fieri nobili hospiti.

PRIMO, agēdæ illi gratiæ, quòd ad tam vile hospitium accesserit.

SECVNDO, offerem⁹ illi nos totos, nostraq. omnia, vt illa tanquam sua disponat, & curet.

TERTIO, aperiemus ei paupertatem nostram, nostrosq. omnes defectus; petemusque gratiam, ad malas affectiones omnes deponendas, virtutesque contrarias assequendas.

De secunda præparatione exactiori.

SEcunda dispositio tria exigit ante cōmunionem, tria circa eā, totidem post eā. Ante cōmunionem primò exigitur dolor de peccatis etiam venialibus, & confessio, si quid conscientiam grauaret: & breuiter, quicquid ad puritatem animæ pertinet. Cor etiā purgandum est ab omni amore sensuali, ac desideriis, & delectationibus, quę diuinum amorem non adiuuant: & sensus discreta quadā seueritate, etiam in rebus licitis, restringendus est. *Puritas.*

SECVNDO, fames huius cibi excitāda est duplici consideratione: altera, excellentiæ & vtilitatis huius Sacramenti: altera, propriæ paupertatis ac necessitatis. *Desiderium.*

TERTIO, profunda reuerentia & humilitas, quæ duabus etiam cōsiderationibus iuuatur. Altera, immensæ magnitudinis, dignitatis, & imperij Christi Domini; & puritatis, quia nec stellæ in eius conspectu mūdæ sunt. Altera, contrariæ vilitatis, & infirmitatis nostræ, *Reuerentia & humilitas.*

ſtræ, quæ conſiderata efficiet, vt diuinam beneficentiam magni faciamus.

Tria circa communionem.

Amor. IMprimis circa cõmunionẽ exigitur Amor, qui in duabus cõſiderationibus inuenitur: Altera, paſſionis Chriſti, ex cuius vulneribus amor conuenientiſſimè hauritur: altera, præſentis beneficij, in quo tanta cum dignatione & charitate Ieſus Chriſtus ſe communicat, tanquam familiariter & intimè nobis ſe coniungens: nec ſolùm eius maieſtas pauperem noſtram domum ingreditur, & à noſtris vulneribus nõ abhorret, ſed ſanguinem etiã ſuum & corpus, in medicamentum donat, ad nos ſanandos, præſeruandos, confirmandos.

Spes. SECVNDO, exercetur ſpes, conſiderãdo in Chriſto eſſe, quicquid confidentiã excitare poteſt: hinc quidem, quoniã poteſt omne bonum nobis conferre, cùm ſit omnipotens, & indigentiã noſtram perſpectam habeat. Cùm ergo accedamus ad mare immenſum bonorũ omnium, quomodo non hauriemus aquam gratiæ abundanter ex eo? Inde verò, quia vult omne bonum nobis impartire, cùm ſit ſummè benignus, cùm nos diligat plus quàm noſipſi, magisque largiri nobis ſua dona, quàm nos recipere, deſideret, cumque, ne meritum deſit, ſuum nobis impendat.

Gratiarũ actio. TERTIO, ex intimo corde gratias agere pro tanto beneficio, & charitate, qua nos complexus eſt.

Tria

Tria post communionem.

POST communionem, ad fructum huius Sacramẽti seruandum & magnoperè augendum requiritur.

PRIMO: Custodia sollicita sensuũ, linguæ, & cogitationũ, post tantũ hospitem domi nostræ exceptum: & si accideret quid cõmitti, quod ipsius oculis displiceret, statim cũ dolore ad veniam petendam accedere; & ne à nobis recedat, suppliciter orare. *Custodia sensuum.*

Secundo: exhibere huic hospiti, quicquid obsequij bonarũ operationũ, ex ipsius amore poterimus: & quod eisdẽ deest, bona voluntate supplere, illius gloriæ amplificationem cum maxima cupiditate desiderando. *Bonæ operationes.*

Tertio: assistere summo huic hospiti domi nostræ suo loco & tẽpore, per meditationes & orationes deuotas, nobis & proximis nostris omnia necessaria & vtilia petendo, laudando, gratias agẽdo, &c. Iuuat ad hoc ipsum, crebrò ad sanctũ hoc Sacramentũ accedere. Penitius enim in Iesum Christũ ingrediemur, & magis ille participes donorũ suorum nos faciet. *Meditatio & oratio.*

De Corporis compositione in sacra Communione.

Quod ad Corporis cõpositionem attinet, ea sit eiusmodi, quæ & tantũ Sacramentũ deceat, & nihil insolẽs habeat, & Sacerdoti sacrã hostiã porrigenti molestiam nõ adferat. Itaq. genua flectãtur, manus cõplicentur, nõ ad os eleuatæ, ne Sacerdotem impediant, sed circa pectus decenter cõpositę. Caput sine motione sit in neutrã partem inclinatum, aut anterius demis-

demissum, sed moderatè eleuatū; vt citra difficultatē à Sacerdote os attingatur. Oculi vel clausi vel demissi; turpe enim est, eo tempore, vel Sacerdotē aspicere, vel alió oculos cōuertere. Os omnino quietū sine vlla lectione vel labiorum motu, honestè apertū, non nimis diductū: Lingua extremum labium attingat, nō nimis extensa, vt hostiā suscipiat, & in os deferat, saliuaq. reuerenter liquefactā in corpus demittat; non enim est dentibus terenda, vel palato admouenda, sed ante ablutionis sumptionē deglutienda. Corpus totum erectū sit, & sine motu vllo quietū; suspiria, flatus, gemitus, pectoris tonsiones, exclamationes, vocales orationes, & id genus alia, quæ nō rarò periculum adferunt, vel casus hostiæ sacræ, vel contactus dentium, aut labiorū; cōmunionis tempore omittantur. Oret tunc solus spiritus, sanctaque & suaui meditatione in Deū feratur.

CAPVT VI.

ARGVMENTA POPVLARIA EX *similitudinibus ducta, pro frequenti communione corporis Domini.*

SICVT pater, cui gratissimum est frequenter domum filij sui vocari, sciens huius sui desiderij filium esse conscium, non rectè accipit, si semel tantùm, bis térve in anno, aut saltem rarò admodum inuitetur: Ita
Prou. 8. Christus, cuius nouimus esse delicias versari cum filiis hominum, si rarò admittatur, meritò iniquè ferre potest.

2. Ami-

2. Amicus libenter adest amico. Si ergo tu Christo nõ ades libenter, signum est parui tui erga eum amoris.

3. Dicis te desiderare Christo perpetuò adesse in cælo. Hic ergo frequenti communione ineunda est cum eo familiaritas, ne post hanc vitam te non agnoscat. Nam sicut amicus, qui in prosperitate amicũ negligens, aliis sese iungit; si tempore aduerso ab aliis desertus, amicum repetit, non id facere ex charitatis affectu videtur, sed ex necessitate: Ita qui, dum viuit, Christum Dominum postponit rebus terrenis; post mortem iudicandus est nõ ex amore Christum desiderare, sed quia alia solatia, quæ Christo præposuerat, desunt.

4. Sicut dives homo, natura misericors & liberalis, si sæpè visitet domum ruinosam hominis pauperculi, nunquã ad eam veniet, nisi relicto aliquo dono, tum pro beneficio hospitij, tũ pro domus reparatione: potissimè si statuat sæpius eod[illegible]rtere. Ita Christus ditissimus & summè misericors, quoties domũ nostram per sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ingreditur, nunquã discedit, nisi relicto eximio munere, partim pro officio communionis, partim vt habitaculũ sibi, ad quod frequẽter venire proponit, dignũ paret. Quia enim nemo ita probè nouit, quo ornatu parãdus sit locus Christo, atque Christus ipse: ideo cõmunione vna disponitur homo ad communionem sequentem; nempe dum Christus frequenti communione sibi ipsi locum parat.

5. Fascis viridis vt totus incẽdatur, & ignem concipiat, non satis est, si semel ignis subiiciatur, sed frequenter ignis admouendus est, vt eius crebra repetitione primùm quidem incalescant ligna, deinde verò teneriores ramusculi absumantur, paulatim quoq. fascis exsiccatus in ignem tandem totus vertatur. Eodẽ pacto, homo vitiorum atq. passionum copia humidus; non statim conuerti potest in ignem diuinum, nisi crebra communione passiones sensim educantur.

6. Sacra Eucharistia est cibus animæ, sicut panis est cibus corporis. Anima autem tãto est corpore præstantior, quanto diuinior: nimirũ, ad Dei imaginẽ & similitudinẽ creata, Christi sanguine redempta, immortalitate donata, naturę angelicę, sine qua nec ipsum corpus viueret. Nónne ergo indignum est, quod corpus hoc à vermibus absumendum, atq. in cineres breui redigendum quotidie sæpe pascatur, atq. ad illud fouendum omnia studia, omnesq. labores conuertantur; animæ autẽm nutrimentum & raro, & non sine tædio prębeatur? Sanè, sicuti corpus sine cibo nec labores ferre potest, nec viuere: ita anima sine Eucharistia, nõ potest istius peregrinationis labores sustinere, nec vitam retinere. *Qui* (inquit Christus) *manducat me, & ipse viuet propter me.* quasi dicat: non viuet, nisi me sumat. Ioan. 6.

7. Corpus induere solet qualitates nutrimẽti non ex vna sola, sed ex frequenti eius sumptione. Nõ enim statim mutatur in cholericũ aut phle-

phlegmaticū, quisquis semel eiusmodi cibum sumpsit, qui tales qualitates inducit: nisi continenter vtatur. Si itaq. transferri cupis in qualitates Christi, esseque spiritualis, passionibus vacuus, & planè cælestis: frequenter hoc cibo diuino vescaris oportet.

8. Quo tempore aër est peste infectus, solent homines vti aduersus noxium aërem, imminensque periculum medicina præseruatiua, potissimum egressuri foras. Atqui verò, totus iste mūdus infectionibus plenus est, nimirum infinitis peccatis, occasionibusque peccandi. Proinde, qui præseruari à peccatis cupit, is medicina hac eò frequentius vtatur, quò illi grauiora imminent pericula, & plures occasiones quibus ad peccandum induci posset.

9. Sicut is, cui inter hostes est incedendum, dat operā vt comites habeat, & arma, quibus hostes aut deterreat aut repellat: ita qui in hac vita inter innumeros hostes visibiles, & inuisibiles degit, curare debet, ne vel comitatu, vel armis destituatur. Optimus autem comes est Christus in Eucharistia sumptus, cui semper adest innumera multitudo angelorū: optima etiam arma præbet cōmunicanti, quādo gratiam & fortitudinem largitur. Sæpè est ergo ad hanc mensam accedendum, & cum psalmista dicendum: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Psal. 22.

10. Sicut qui filium habet vnicè dilectū, hoc maximè curat, ne ei doctus aut diligens pædagogus desit, à cuius latere nunquam discedat:

ita qui animam ſuam rectè inſtitutam cupit, nunquam patietur ab ea Chriſtum abeſſe, ſed eam illi per crebram cõmunionem ſociunget, & cum ſponſa in Canticis dicet: *Introducam te in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meæ: ibi me docebis præcepta tua.* Cant. 8.

11. Sicut infirmus aut grauiter vulneratus, deſiderat Medici vel Chirurgi frequentem acceſſum; & medicamenta ſeu malagmata, quibus vulnera ſæpe reficiantur: ita Chriſtianus, variis multisq. vulneribus in anima ſaucius, & grauibus morbis affectus, meritò deſiderare Chriſti optimi Medici præſentiam debet, qui in ſacramento Euchariſtiæ omnium morborũ remedia ſecũ adfert. Ita enim dicit Diuus Bernardus: Euchariſtia medicina eſt ægrotis, peregrinantibus diæta, debiles confortat, valentes delectat, lãguorem ſanat, ſanitatem ſeruat: fit homo manſuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obediẽtiam promptior, ad gratiarum actiones deuotior.

12. Sicut populus Iſraëliticus totis 40. annis in deſerto, vſq. ad ingreſſum in terram promiſſionis, vixit quotidiano eſu Mãna, quod Mãna geſſit noſtræ Euchariſtię figuram: ita nobis in huius mundi peregrinatione frequenter eſt Euchariſtia ſumenda, quę ob id vocatur panis quotidianus (ait D. Ambroſius) quia quotidie eſſet accipienda: quotidie quidem in Miſſę ſacrificio ſpiritualiter, ſemel autem ſacramentaliter in hebdomada. Lib. 5. de ſacra. c. 4.

13. Si-

13. Sicut mercatores ea loca sępius frequentant, vbi plus lucri expectant: & pauperes illorum ianuas, vbi copiosiores eleëmosynæ conferuntur: Ita Christianus ad Christi mensam frequentior esse deberet, vbi & maiora & vberiora dona dantur. siquidem hic [a] dimittuntur quotidiana peccata: [b] expelliũtur potestates Satanæ: [c] dantur vires ad ipsum etiam Martyrium subeundum: [d] minuitur in minimis peccatis sensus, in grauioribus autem tollitur omnino consensus: deniq. adferuntur omnia bona: quia homo communicãs in id transit, quod sumit, vt D. [e] Leo ait. Venit quippe ad te Christus, vt te honore afficiat sua præsentia, vngat te sua gratia, curet te sua misericordia, lauet te suo sanguine, resuscitet te sua morte, illuminet te sua luce, inflammet te suo amore, consolentur te sua infinita suauitate, vniat & desponsetse cum anima tua, faciatq. participem te spiritus sui, omniumq. bonorum, quę cum hac carne, quã tibi offert, in ara crucis promeritus est. Quemadmodu ergo si princeps aliquis, multa secum afferens munera, qualibet septimana, ianuam tuam pulsaret, gratissimo illũ animo reciperes: Ita cũ magno desiderio & gratitudine conuenit Christum suscipere, cuius dona omnes res terrestres præstantia ac maguitudine vincunt.

a *Ambr. lib. 4. de sacra. cap. 4.*
b *Ignatius epistol. 14. ad Ephesios.*
c *Cyprianus lib. 1. epist. 2.*
d *Bern. ser. de cœna Domini.*
e *Ser. 14. de pass. Domini.*

CAPVT VII.

DVO ARGVMENTA CONTRA *frequentem Communionem dissoluuntur.*

DVO sunt argumenta, quæ contra hanc frequentem corporis Dominici sumptionem adferri solent: prius quidem à pigris, & negligentibus: posterius verò à bonæ conscientiæ hominibus.

Prius est: homines sæculares non esse dignos, qui non crebrò, octauo quoq; die ad mẽsam Dñicam accedant. Scriptũ esse enim: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. & qui mãducat & bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit.* 1. Co. 11. Respondeo primò: Qui digni nõ sunt vt sæpè accedant, digni etiam non erunt vt rarò accedant: quia non dilatio & mora temporis, sed crebra cõmunio dignos reddit. Hoc enim argumentum eodem modo se habet, atq. si dicas: raro verratur cubiculum, vt mundius sit ad Regem suscipiendũ. Constat enim, quòd non rarò, sed sæpè verrendo, cubiculum maiorem munditiem habeat. Quoties porrò cõmunicas, mundatur atque ornatur cubiculum cordis, atque ab ipso-met Christo ornatur, qui optimè nouit, quo potissimũ ornamenti & præparationis genere delectetur. *Chrysost. Hom. 61. ad pop. Ant.*

Secundò dicendum est, triplicem dignitatem posse in hoc negotio considerari, quarum prima est, vt tanta sit dignitas, quantã meretur Christi maiestas. Atqui hanc adferre nec ipsi Angelici spiritus, adeoq; nec ipsa Mater Dei potest: quia infinitam Maiestatem decet digni-

dignitas infinita. Secunda: vt tanta sit dignitas, quantã homo fragilis potest adhibere. Sed nec ista est ad communionem necessaria, tametsi tãto maior in hoc Sacramẽto gratia accipiatur, quãto quis accedit dignior & paratior.

Tertia est, quã Christus requirit, & quæ ipsi sufficit. Ea verò est, vt homo à peccatis per Sacramentum pœnitentiæ liber, desideret in posterum peccata vitare, Deo placere, suaque omnia in gloriam Dei referre. Cùm ergo queraris te indignũ esse & tepidũ, imò frigidum: cogita te non ob id accedere ad ignem quia cales, sed vt calescas; & in hoc negotio sufficere desiderium caloris, semoto omni obstaculo, quod calorem impedire possit.

Sed dicunt nonnulli, non esse hominum sæcularium, toties sacramenta frequentare: hoc esse solorum sacerdotum, ad quos pertinet sacrificij celebratio, & sacramentorum administratio. Respondendum verbis D. Chrysostomi: Est vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est horrendis mysteriis, similiter enim omnes, vt illa percipiamus, digni habemur, &c. Nam sacerdotium dat consecrandi, offerendi distribuẽdi potestatem: non autem accipiendi dignitatem, quam vita facit, non Ordo. Proinde sicut sacerdos impius indignus est, qui hoc sacramentum vel semel in anno accipiat: ita laicus bonus dignus est, vt qualibet septimana accipiat. *Hom. 18. in 2. Corinth.*

Sed rursus adferuntur secularium occupationes, quibus à dignitate & præparatione cõ-

uenienti videntur impediri. Quibus dicendū est: 1, Nullum esse ad communionem impedimentum, nisi peccatū, & sordes peccati: proinde occupationes, quæ peccatum nõn habent adiunctum, nihil impedire. 2, Quo quis maiores occupationes sustinet, eo maiori opus esse auxilio. Nullum porro inuenio meliorem adiutorem, quàm Christum Dominum in sacramento susceptū. 3. In magnis negotiis maiora esse pericula: atq. idcirco necessarium esse medicamentum preseruatiuum, ne noxiū aërē in occupationib⁹ per multa colloquia hauriās. 4, Non esse difficile homini sęculari, quāuis negotiis multis implicatissimo, ad sacram cõmunionem qualibet septimana se præparare, si pauca ista seruare velit, Christiano homini meritò seruanda. 1, Vt manè quotidie sacrū Missæ officiū, si potest audiat: sin minus, saltē oratione se Deo suaq. omnia ex animo commendet. 2, Vt vesperi ante somnum cõscientiam suam examinet, peccataq. diei illius memoriæ mãdet. 3, Vt Dominica die totius hebdomadis peccata colligat, & confessione conscientiã purget, sumptoq. Christi corpore, tẽpus antemeridianum, vel totum, vel ex magna parte deuotioni Deoque, quo ad eius fieri poterit, impendat.

Posterius argumentum est hominū piorum, qui post frequentem aliquanti temporis communionem, magno dolore queruntur, adeò se nihil proficere, vt magis deficere quotidie sibi videantur.

His

His quoq. respondendum est. 1. Non illos omnes deficere, qui sibi deficere videntur; sed potius eò magis proficere, quò defectus magis agnoscitur. Sicut sordes cubiculi immundi non videntur in tenebris, interdiu autẽ in lumine solis videntur etiã minutissimæ sordes cubiculi mundi: quoq. maiori lumine cubiculum illustratur, & homo ipse acutius videt; eò plus sordium ei apparet. Itaque, quòd non videatur sibi homo proficere, non existit inde, quòd non proficiat: sed ex eo, quòd minuta peccata facilius aspiciat, magisque detestetur. 2. Proficientium esse, non agnoscere profectum, ne superbia extollantur: tamen qui sibi progredi in dies nihil videntur, si annos cum annis cõferant, fortasse profectum inuenient: sicut puer, qui corpore crescit, nõ percipit incrementum, nisi post annos aliquot, quando vestes illas sibi experitur non conuenire, quibus antea commodè vti consueuerat. 3. Quod pij homines non aduertant profectum, inde prouenire, quòd non statim assequantur illud quod optãt, nimirum passionum vacuitatem, in oratione feruorem, animum perpetuò ad Deum intentum. Sed licet nõ assequãtur ista, vt optant: assequuntur tamen alia pro Dei voluntate: nimirum, peccatorum cognitionem, cõscientiam delicatam, animum ab hoc mundo alieniorem, atque ad res diuinas propensiorem. Quibus in rebus dum paulatim progrediuntur, tandem etiam accipiunt prædicta, quæ diu optarunt: sed ita frequenter ac-

cipiunt, vt accepisse se prorsus ignorent, donec nullum sit à vana gloria periculum.

CAPVT VIII.

DE SACRO MISSAE OFFICIO *quotidie audiendo.*

CHRISTVS Dominus in vltima cœna sacrificium Missæ Ecclesiæ suæ instituit, vt fideles munus aliquod haberent, quod Deo Patri offerre & dare pro variis beneficiis ac donis possent. Quia enim varia quotidie dona à Patre cælesti accipimus, & ex nobis nihil nisi peccata rependimus, placuit Christo, nobis hoc sui corporis sacrificium relinquere, quod in gratiarum actionem pro donis, atq. in satisfactionem pro peccatis Deo redderemus. Qua ex re facilè colligi licet, quanta sit Missæ sacrificij vtilitas, quo nimirum impetratur, & applicatur quicquid nobis passione, sanguine, & morte sua Christus acquisiuit. Atque vt ex multis pauca referantur: 1. Missæ sacrificio non solùm [illegible]guntur, sed etiam referuntur gratiæ Deo, pro beneficiis, ab ipsius bonitate acceptis. Cùm ergo quotidie innumera bona ab eo habeamus, æquum est vt quotidie gratias, pro donis illius diei, quas possumus maximas referamus. Si enim is, qui pauperi in eleëmosynam dat exiguam stipem, ingratitudinem & rusticitatem eius accusaret, qui quantam posset gratiam non haberet: ita meritò ingratitudinis apud Deum accersitur, qui hoc genus gratiarum il-

li quo-

li quotidie, cùm potest, non refert, quod Deo maximè placere nouit.

2. Remittuntur venialia peccata, quibus quotidie Deus offenditur.

3. Impetratur gratia, ad mortalia peccata cũ dolore confitenda, & in posterum vitanda. Si ergo infinitis venialib⁹ peccatis quotidie animam nostram aspergimus, in multaque pericula singulis momentis incidimus, mortalibus peccatis Deum offendendi optimè nobis consulemus, si sacro Missæ officio quotidie aduersus pericula omnia nos muniamus, & à peccatis purgemus.

4. Datur gratia rectè viuendi, confertur auxilium viuis omnibus atq. defunctis. Quia sacrificiũ est efficacissima oratio, propter Christum: instar mortui præsentem, ad quæuis tum nobis tum aliis impetranda.

5. Solet Dominus etiã in temporalibus rebus illi magis fauere, quem videt ante omnia spiritualium rerum, & diuini honoris curam gerere. Non enim facilè patietur Deus, vt is temporalium rerum damna sustineat, qui ipsius honoris est in primis studiosus.

6. Sicut parenti gratũ est, si summo mane, ante omnia à filio visatur & salutetur: ita mirificè placet Christo, vt quotidie in sacro Missæ officio eum videas, salutes, adores.

7. Sicut in veteri lege, aspectus serpentis ænei sanitatem adferebat vulneratis, & in nouo testamento vmbra Petri curabat ægrotos: ita dubium non est, quin Christi corpus, dum in *Nu. 21.* *Act. 5.*

in Missę sacrificio quotidie deuotè cõspicitur, magnam vim ad sanandam animam habeat.

8. In sacro Missæ officio, non sõlùm offertur Deo patri à sacerdote, & à pręsentibus cum sacerdote Christi Domini corpus & sanguis, in verum sacrificium pro sua salute: sed quotquot adsunt digneque se parant, spiritualiter corpore Domini reficiuntur per os sacerdotis. Tanta enim virtus est istius sacrificij, vt quicunque præsentes intentionem suam cum sacerdotis intentione coniungunt, & sacrificij esse participes cupiũt, simul cum sacerdote de sacrificio manducent, cibiq. spiritualis fructũ percipiant, non secus ac membra corporis, ad quæ per os cibus transmittitur. Aequum est enim, vt qui Dominicæ mẽsæ in spiritu cum sacerdote ministrat, in spiritu etiam cum sacerdote pascatur. Sicut namque conueniens non esset, vt is qui mensæ Regis ministrasset, famelicus sine omni cibo dimitteretur: ita nõ est existimandũ, sine spirituali refectione relinqui eum, qui Missæ sacrificio adest, vt par est. Quin potius, sicut in sumptuoso conuiuio, nemo ex familia fame laborat: ita in mẽsa hac Christi, vbi paratur cœna magna, nemo est præsentium, qui non aliquid accipiat, dũmodo os cordis ministranti & porrigenti manui Christi non claudat. Et sicut in cella vinaria nouis vinis repleta, solus aër odore infectus inebriat: ita in loco, vbi sacrificium offertur, tanta est gratiæ copia, vt non solùm ex eo dæmones pellat (ad quod D. Augustinus aliquã-

Lib. 22. de Ciuitat. Dei. c. 8.

do

do in domo vexata à malo spiritu, sacrificium offerri iussit.) sed etiam præsentes consolatione perfundit, vt meritò cum Dauide clamẽt: *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Atq. ideo semper pij libenter quotidiano sacrificio adesse solent: sicut de matre sua refert D. Augustinus: & Clerici ad hoc præcepto Concilij primi Toletani tenentur.

Vide Theodoret. in Philoth. cap. 20. Psal. 83. Lib. 9. Cõfes. ca. 13

Canon. 5.

CAPVT LX.

MODVS AVDIENDI SACRVM.

TOTVM Missæ officium in tres partes diuiditur: in Præparationem, Oblationem & Communionem. Proinde qui sacrificio adest, tria præstare poterit.

Primò: cum Sacerdote, aut Sacerdotis ministro, deuotè pronuntiabit confessionem, accipietq; generalem absolutionem: Ea enim dimittũtur peccata leuia, si animus ad deuotionem excitetur. Deinde aliquarum piarũ precum, vel Rosarij B. Virginis lectione; aut si malit, pia de Christi vita meditatione se præparabit, mentemq. colliget, idque vel vsq. ad finem Euangelij, hoc est, ad breuiorem canonem, vel vsque ad *Sanctus.*

Secundò: ab eo loco, vsq. ad *Agnus Dei*, offeret hoc sacrificium Deo Patri cum sacerdote, primò quidem aliquid cogitãs de Christi passione, crucifixione, sanguinis effusione, & morte, quæ in hoc sacrificio repræsentantur. Nã Christus licet totus sit sub vtralibet specie viuus

viuus & verus Deus & homo: tamen sub specie panis candidi & insensibilis videtur habere formā mortui: & sanguis in calice sub specie vini quasi effusus cōsideratur. Deinde verò offeret Christum passum & mortuum pro se omnibusque, pro quibus orare tenetur. Rogabit autem Deum Patrē, vt hāc filij sui mortem & passionem suscipere dignetur, in satisfactionem pro omnibus peccatis suis: atque propter illam, dare sibi gratiam rectè viuēdi, in studiis virtutibusq. proficiēdi; & omnia sua prosperare addiuini nominis gloriam suamq. salutem. Deinde parentibus, consanguineis, præceptoribus, aliisq. sibi commendatis, impetrabit eadem, singulorumq. necessitates exponet. Memor quoq. erit fidelium defunctorum, patriæ suæ, totiusque Ecclesiæ Dei.

Tertiò ab *Agnus Dei*, vsq. ad vltimas orationes Sacri, præparabit sese ad spiritualem communionem: *primò* Deum rogans, vt plena remissione peccatorū, dignetur cubiculum cordis à sordibus purgare: *deinde* petens, vt idē cubiculum velit aulæis atq. tapetibus variarum virtutum ornare: *tertiò*, quanta fieri potest humilitate, orans, vt per os sacerdotis (cui celebranti intentione coniunctus est) in animam suam trāseat, se visitet, iuuet, vitia deleat, infirma corroboret, & ab eo nunquam recedat.

CAPVT

CAPVT X.

EXPLICATIO MYSTERIORUM *sacrificij Missæ.*

MISSAE sacrificium, est repræsentatio sacrificij à Christo Iesu in cruce peracti; in qua idem Christus, qui solus seipsum obtulit in ara crucis, per verā sanguinis effusionem & mortem, hic per sacerdotem tanquam ministrū, seipsum offert Deo Patri, sine sanguinis effusione & vera morte, sed per vtriusq. repræsentationem. Ideoq. sacerdos personam gerit Christi patientis, & tota Missæ actio Dominicam passionem refert.

De sacris vestibus sacerdotalibus.

SEx sunt, quibus sacerdos sacrificans induitur: *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula*: quæ duplicem habent significationem: quarum altera refertur ad Christi personam, altera ad conditionem sacerdotis. Quod ad Christi personam attinet, *Amictus*, qui caput tegit, significat velamē faciei Domini impositū: *Alba*, vestem illā, qua Herodes Christum irrisit. *Cingulum, Manipulus, & Stola*, varia vincula, quibus Christum ligarunt diuersi iudices, Iudæi & Gentiles, Pōtifices & prophani, partim in horto, partim ad columnā, partim in diuersis itineribus. Sinistra manus gestat *Manipulū*: quia ex intima dilectione cordis, quod in sinistra parte est hominis, Christus ista omnia pertulit. *Casula* significat purpureum indumētum, quo fuit indutus in domo Pilati. Quibusdā in locis assuūtur quinq. parti-

particulæ Amictui & Albę, quę referũt quinq. Christi vulnera. *Tonsura* tametsi non sit vestis, significat tamen Christi spineam Coronam.

Ad mores sacerdotis ista referuntur, vt sacerdos intelligat, qualem se debeat exhibere, in tanti sacrificij administratione. *Amictus*, quo caput velat, significat cogitationẽ rerum cælestium, æternæq. salutis, qua protectus de nulla re externa cogitet. Ideoq. imponens sibi dicit: Impone Domine capiti meo galeã salutis, ad expugnandos omnes diabolicos incursus; omnes scilicet tentationes, & importunas cogitationes. *Alba* significat internã iustitiã, & externum operum candorem, quo sacerdos totus debet esse contectus. Latitudo & longitudo, significat bonorum operum copiã. *Cingulum*, quod Albam eleuat, est castitas & puritas in omni sacerdotis actione; vt nihil carnale, sensuale, aut quouis modo impurũ sese immisceat. *Manipulus* in brachio sinistro, est pœnitentia, quæ nõ timore seruili, sed vero amore filiali est peragenda. *Stola* significat magnũ desideriũ coniunctionis cum Deo, quã coniunctionem per peccatum primorum parentum amisimus. Ac proinde crux stola formatur in pectore, vt si necdum per gloriã Christo coniungi possimus, saltem nunquã ex corde nostro deleatur passionis eius memoria. *Casula* significat perfectam obedientiam, quę consistit in charitate Dei & proximi. Hęc virtus quia est nobilissima, sed difficillima, idcirco ex nobilissimo panno casula conficitur in-

texta

texta cruce, quam cum Christo gestemus. *Panniculi*, qui eiusdem cũ Casula coloris, Amictui & Albæ, ad caput, manus, & pedes adhærent; significant omnia in nobis ex Charitate proficisci debere: intentiones, quæ per caput: opera, quæ per manus: affectiones, quæ per pedes designantur. *Tonsura* duo significat: *Primò*, vt sacerdos res istas perituras pro nihilo ducat, iisq. non adhęreat, sed Dominum habens pro parte seu portione suæ hæreditatis, cælestia sola desideret. *Secũdò*, vt quasi Regẽ sese agnoscens, passionibus omnibus suis imperet ac dominetur.

De ipsa Missæ actione.

MIssæ ceremoniæ multa significant: nos tamen contenti erimus hac breui explicatione, vt omnes ad Dominicam passionem referamus.

Sacerdos itaq. ante pedes Altaris profunda inclinatione peccata sua cõfitens, repręsentat Christũ in horto, assumptis totius humani generis peccatis, vt pro iis satisfaceret, Deum patrem orantem. Quæ ad dextrũ Altaris cornu aguntur, vbi prophetiæ legi solent; significant ea, quæ in domibus Iudæorũ, nẽpe Pontificum Annæ & Caiphæ perpessus est Dominus. Locus Euangelij ad Aquilonem, vnde venit omne malũ, refert Prætorium Pilati Gentilis, aliorumq. Ethnicorum conatus, à quibus passus est Christus. Nam Lucifer seu diabolus, qui volebat ad Aquilonẽ transferre sedem suã, & esse similis altissimo, præcipuè ab Ethnicis

nicis colebatur. Hostia sacra dum eleuatur, significat Christum in cruce sublatum: sicut calix cum Dominico sanguine, sanguinem, qui de cruce ex vulneribus dimanauit. Crux sæpius super hostiam, tam antè quàm post cõsecrationem formata, varios, & occultos dolores Christi, tam in arbore crucis, quã in ipsa crucis gestatione, ac crucifixione acceptos. Oratio Dominica, quę septẽ petitionibus constat; septem verba, quæ ad nostrã salutem in cruce locutus est Dominus: Fractio hostiæ in duas partes; separationẽ animæ à corpore; quæ anima ad inferos descendit, sicut pars vna in patenam deponitur. Atq vt ab altera, quæ adhuc digitis super calicẽ tenetur, particula vna exigua tollitur, quæ in calicem iniicitur: ita post mortem est Domino latus apertũ, vnde ex intimo corde sanguis ad reliquũ sanguinem in terrã defluxit. Deponitur verò pars altera in patenam: quia Christi Corpus de cruce depositũ est. Et quia per Domini mortem data est illi omnis potestas in cælo & in terra, & pax inter Deũ & hominem cõposita: hinc est, quòd sacerdos, qui toto canone hactenus egit cum Deo Patre, statim post hostiæ fractionem alloquatur Christum, pacẽ ab eo petens toti Ecclesię, quã nobis sua passione promeruit. Sumptio sacramenti, significat sepulturam. Nos enim, qui terra sumus, gestare in nobis debemus Dñicum corpus, vt illud posteaper mutatos nostros mores in nobis resurgat, dũ aliam vitam, viuendiq. rationẽ in omnibus viribus cor-

corporis & animi assumimus. Liber ad dextrū cornu rursum defertur: quia mortuo Domino nec dum quieuerunt Iudæi, sed partim petitis custodibus à Pilato, iisque corruptis, partim Christianorum persecutione, Christi gloriam obscurare conati sunt. Sed in fine sacerdos redit ad Aquilonē, Euangelij lectione ibi finem impositurus Missæ officio: quia relictis Iudæis, translata est prædicatio, gratiaque Euangelij ad Gentes.

CAPVT XI.

MODVS VTILITER AVDIENDI *verbum Dei.*

QVIA per prædicationem verbi diuini, vniuersus orbis fidem Christi accepit, certissimum est in verbo Dei, magnam inesse vim, ad animos cōmouendos, si nullus obex obiiciatur. *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti.* Sed sicut liquores pro cōditione vasis suscipiuntur & retinentur; nam si vas sit sordidum, minus purum erit vinum, quod infunditur; si capax sit, plus vini recipiet; si plenum rimarum, aut nō probè obturatum, effluet vinū, vel vis vini deperibit: ita pro condicione auditoris frequenter sese habet verbū Dei, quod percipitur. Modus igitur cum vtilitate audiendi concionem erit iste. 1, Vt ad templū veniens nō ita te habeas, atq. accedens ad rem prophanam, sed tanquam auditurus Deum ipsum per suum ministrū tibi loquentem. 2, Ingressus in templum, Deū ante om- *Rom. 1.*

nia preceris pro peccatorum remissione, vt vasculum ad suscipiendum diuini verbi liquorem purgetur. Deinde roges tibi aperiri aures cordis, vt audias; & oculos mentis, vt videas, tibiq. accommodes ea, quæ dicuntur. 3, Firmo proposito statuas perficere, quæcunq. tibi ea concione intelliges dicta. 4, Animo collecto atq. præsenti concionatorem audias, nõ vt sua, sed vt Dei verba promentẽ. Proinde neq. eloquentiam, neq. actionem, neq. artificiũ humanæ Rhetoricæ vel considera vel admirare; sed totus in eo esto, vt spiritum haurias verbi diuini. Ita autem perueniãt verba Dei ad intellectum, vt simul affectum moueant. Hoc enim differt concio à lectione sacra, quòd ista intellectum potissimùm instruat, illa verò ad cõmouendos affectus præcipuè referatur. Cauendum est porrò auditori diligenter, ne illa quæ audit, ad alium vllum, quàm ad seipsum referat. Hoc enim nõ esset audire sibi concionem, sed potius lectionem, aut humanam admonitionem alteri referendam. 5, Concione peracta, si statim exeas templum, ad fabulasq. tete conuertas, effluet quicquid instillatũ fuerat. Proinde vtilissimũ erit, si eodem in loco, quantum fieri potest, nõnihil in oratione subsistas; & auditi verbi præcipua capita, ea maximè, quæ tibi conueniunt, repetas; modumque consideres illa perficiendi. Neque hac repetitione contentus, quotidie de auditis cogites, atque in praxin redigas, quæ facienda intellexisti & proposuisti. Non enim auditores

legis

legis iusti sunt apud Deum, sed factores le- *Rom. 2.*
gis iustificabuntur.

CAPVT XII.

DE ORATIONE ET *meditatione.*

ORATIO, est colloquium cum Deo. Quia autem in omni colloquio non vnus solus loquitur, sed plures, dū mutuo sibi respōdent homines: fit vt tunc oratio sit perfectum colloquium cū Deo, quando homo Deum alloquitur, Deus autem respondet. Et quamuis auribus corporis respōsio Dei nō percipiatur, variis tamen modis respondere Deus solet: veluti, per internas inspirationes, per spirituales consolationes, per externā alicuius admonitionem, per euentum occurrentem. Quo modo D. Antonius cogitans de ratione instituendæ vitę ingressus in templum, audiuit lectionē Euangelij: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*: quod tanquam sibi dictum, ad se accommodabat.

Nos autem Deo loquimur vel mente sola, vel etiam voce, hoc est oratione vocali & mētali. Mentalis oratio potissimùm in cogitatione, sine externa voce, posita est.

De oratione Mentali seu Meditatione.

MEntalis oratio, qua homo non tam voce, quàm animo sese cum Deo coniungit, vehementer est cōmendanda: vtpote quæ hominis cogitationem ad Deum eleuet, illiq. spiritua-

ritualium rerum gustum præbeat, & terrenarum fastidiũ adducat, & facilè quiduis à Deo impetret. Huius verò sunt quinque partes.

1. Præparatio, qua homo sè ad orandum cõponit, iuxta illud: *Ante orationẽ præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Si enim cum homine acturus, initio teipsum cõponis, & verba præmeditaris, quibus vtaris: multò magis locuturus cum Deo, non debes impræmeditatus accedere. Initio igitur ante orationem cogita, an tibi cum Deo bene conueniat, hoc est, pete remissionem peccatorum, iuxta sapientem: *Iustus in principio sermonis accusator est sui*. Deinde considera maiestatẽ Dei, ante quem vniuersus orbis est tanquam gutta roris antelucani. Conuertas te postea ad vilitatem tuam, qui in hoc orbe tanto, es res exigua, & nullius momenti. Atq. ita considera, quis cum quo sit acturus. Rursus inspicito necessitates tuas, & Dei diuitias, quę solę possunt subuenire miseriæ tuæ. Ita fiet, vt & animum ad orationem cõponas, & corpus ex animi similitudine ad deuotionẽ aptes. Talis præparatio in omni oratione etiã vocali locũ habet.

Eccli. 18.

Prou. 18.

Sap. 11.

2. Sequatur lectio, aut inspectio verborum aut rerum, de quibus est instituenda meditatio. Qui enim vult cum fructu atque vtiliter meditari, is debet certam aliquam materiam sibi proponere, in cuius cõsideratione sese exerceat, & non vaga mente per diuersa discurrere. Materia verò ad meditationẽ accõmodata, sunt primùm omnia verba diuinæ scriptu-

ræ,

tæ, & præsertim Euangeliorum atq. Psalmorum: deinde res ipsæ, quæ in scripturis continentur, sed breuiter collectæ, & quasi ad quædam capita reuocatæ. Itaq. duobus modis scripturis sacris ad meditandū vti possumus. Vno modo, verba alicuius sententiæ discutiendo (latet enim in verbis illis mira suauitas & vtilitas.) Altero modo, vt omissis verbis, res ipsæ considerentur: veluti, iudiciū extremum, gloria sanctorum, pœnæ reproborum, vita & passio Domini.

3. Habita materia, succedat meditatio vel contemplatio: quæ nihil aliud est, quàm sapida quædam, dulcis & affectu plena cognitio. In ea enim intellectus ita singula verba sententiæ propositę, aut mysteria rei ad meditandum assumptę versare debet, vt affectus amore diuino inflammetur. Non enim hæc meditatio ad studiū doctrinæ, sed ad orationem pertinet, qua animus deuotione impinguādus est, & flamma diuini amoris accendendus.

4. Ex ipsa meditatione occasio sumi debet dulcissimæ, atque ex intimo corde ductæ gratiarum actionis. Nihil enim est, quod sit materia meditationis, quod etiam ad Deum laudandum, & ei gratias agendas non inuitet. Si de passione Domini cogitasti: age Deo gratias, quòd te tam caro pretio redemerit. Si de peccatorum grauitate: age gratias, quòd eo vsque ad pœnitentiam expectauerit. Si de inferni pœnis: age gratias, quòd hactenus in eas te peccatorem non præcipitauerit.

5. Postremo loco adiungenda est petitio seu postulatio, vt animus meditatione, & gratiarum actione excitatus, audeat feruẽter ea petere, quæ sibi necessaria videt. Quã in re duo sunt considerãda: 1, quid sit petendũ. 2, quomodo petendum. Petendum est primò lumen cordis, quo vitia & peccata tua, magnamque infirmitatem, Dei autem maiestatem & puritatem videas; hoc est, vt Deum atq. te ipsum cognoscas. 2, Peccatorum remissio, & infirmitatis spiritualis curatio. 3, Virtutum incrementum, & cõseruatio, præcipuè autem fidei, spei, caritatis, humilitatis, castitatis, patientiæ, sobrietatis; compositio interioris exteriorisq, hominis; discretio & attentio in dictis & factis; reformatio linguæ; fortitudo ad superandas difficultates; pura intentio in bonis operibus; timor & reuerentia maiestatis Dei. 4, Eadem petenda sunt proximis. Modus petẽdi his quatuor orationis conditionibus continetur: quarũ prima est Fides seu fiducia. *Postulet* (inquit Iacobus) *in fide nihil hæsitans.* Quæ fiducia innititur merito Christi infinito, quod totum est nostrum: bonitati Dei inexplicabili, quæ nulla peccatorum grauitate aut multitudine vinci potest: & constantiæ promissionũ Dei, quæ tanta est, vt potius cælum & terra concidere possint, quàm vt vnum de Domini verbis non compleatur. 2, est humilitas: quia Deus superbis resistit, humilibus dat gratiã. 3, Perseuerãtia, ne deficiamus, si non statim videamur exaudiri. 4, Feruor & deuotio, vt ex affectu & ardore cordis loquamur.

Iacob. 1.

C. A-

CAPVT XIII.

DE ATTENTIONE IN ORATIONE.

ORANTI Deũ necessaria est attentio ad orationem, ne mens huc illucq. vagetur. Est autem attentio triplex. Prima ad verba, vt ea rectè efferantur: secunda ad significationem, vt homo intelligat ea, quæ profert: tertia ad Deum, qui oratur, & rem ipsam, quæ petitur. Atq. hæc postrema est præstantissima, quæ & doctis simul & indoctis conuenit, Deoq. est acceptior, vtpote cũ quo cor hominis coniungitur. Hæc enim attentio haberi potest ab illiteratis, dum Latinè orant, tametsi verbum nullum orationis intelligãt; quia sufficit vt Deus intelligat, qui oratur, vtque ad eum mens & desideria ferantur.

CAPVT XIIII.

DE EVAGATIONE IN ORATIONE.

IN oratione tribus de causis hominẽ vagari contingit. 1, Sponte sua, dum cogitationes externas accersit, aut aduenientes sciẽs atq. aduertens admittit, in iisq. hæret. Quo in genere etiam sunt illi, qui opus aliquod orando præstant, quod peculiarem mentis attentionem requirit: veluti est scribere, legere, rationes subducere, &c. Alia opera externa, quæ attentionem peculiarem non requirunt, non impediunt orationem: vt sarcire, ambulare, secare, &c.

Hoc porrò primum diuagationis genus, ex se naturaq. sua est peccatum mortale, propter voluntariam atq. deliberatam irreuerentiam. Tametsi enim ad orationes, quas sponte profers, non obligeris: ad hoc tamē teneris, vt non nisi reuerenter cum Deo agas. sicuti qui non tenetur conuenire aut alloqui Regem: tenetur tamen conueniens Regem honestè se gerere, non exprimens è manu scabiem, non vngues scindens, non alia id genus inhonesta agens. Vnde qui hoc genere euagationis sacris diebus Missæ officium audit, vel preces horarias, ad quas obligatur, recitat; nullo pacto satisfacit præcepto Ecclesiæ. 2, Negligentia sua irrepunt, & inhærent homini externæ cogitationes, qua in re est peccatum veniale, tanto sanè grauius quanto negligentia est maior. Veluti in illis, qui externos sermones miscent precibus suis. 3, Homini inuito alienæ cogitationes incidunt: quas cùm primùm sentit, dolet atque repellit: in quibus nullum omninò inest peccatum, quippe quę à sola dæmonis arte, vel humana fragilitate proficiscuntur. Et hæ distractiones quantumuis suauitatem orationis impediant; non tamen vel meritum, vel fructum, qui est, impetrare quod postulatur.

CAPVT

CAPVT XV.

REMEDIA CONTRA DI-*ſtractionem in oratione.*

QVAMVIS homini in rebus huius vitæ occupato difficile ſit, omnes prorſus mentis euagationes in oratione deuitare: poſſunt tamen remedia quædam poni, quibus moleſtia hæc nonnihil diminuatur.

Primum eſt, vt cor atq. animum ſuum rebus nullis huius mũdi apponat, ſed iis vtatur, vt peregrinus rebus diuerſorij, in quo vna nocte verſatur: iuxta B. Paulum: *Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* 1. Cor. 7.

2. Nunquam committere, vt interdiu animus nimium diſſipetur, etiã in occupationibus externis quibuſcunque. Ad quod iuuabit primò, obſeruare pauca illa, quæ de modo veſpere incumbendi, & mane ſurgendi inferius dicemus. 2. Omnia ſua agere, tanquam in diuino conſpectu, ob oculos habẽdo Deum, qui in ſcripturis dicitur non abeſſe procul ab vnoquoq. noſtrum. Ita Dauid de ſe dicebat: *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Act. 17. Pſal. 24.

3, In promptu habere breues oratiunculas, quas ſubinde interdiu, etiam in maximis occupationibus, ad Deum eiaculetur, cuiuſmodi eſſe poſſet verſiculus vnus alicuius Pſalmi, aut petitio vna Dominicæ orationis. 4, Interdiu frequentius animum ad ſe reuocare, ab eoq. factorum rationem exigere, maximè poſt graues, & diuturnas

nas occupationes, confabulationes, aliaq. negotia, quæ distrahere vehementer solent.

3. Vt oraturus diligēter se ad Orationē prę-paret, cogitetq. seriò id agere atq. ex animo, non autem ex consuetudine, aut tanquā rem non magnoperè curandam.

4. Vt ante orationem petat ex corde à Deo gratiam attentionis; rogetq. Angelum custodem, vt dæmonis tentationes & distractiones impediat. Post orationem verò negligentiarum veniam petat, & roget Deum, vt orationem licet frigidam, & multis vanitatibus permixtam, detersis maculis, in thronum suum admittat, eiq. effectum largiatur salutarem. Hinc enim frequenter vagamur, quia distractiones aut non conamur aduertere, aut nihili facimus; sicque crebra euagatione habitus vitiosus inducitur, qui postea vix magno labore depelli potest.

5. Consuetudinem assumere, certis locis orationis, animum colligendi: veluti, post quamlibet decadem Rosarij, & post finem Psalmi. Cuius rei vt recorderis, iuuabit aduersum, *Gloria patri & filio, &c.* ad finem orationis, *Per Dominum nostrum, &c.* similesque precatiunculas, reuerentiam, corporis aut capitis inclinatione, vel manuum coniunctione, aut alio externo gestu exhibere, talique motione reuocandi animi meminisse.

CAPVT

CAPVT XVI.

DE MODO STABILIENDI CORdis, & cum spirituali fructu vacandi orationi vocali, his, qui quod orant intelligunt, accommodato.

ORATIO, quæ non solùm voce, sed & mente ad Deum effunditur, requirit præparationẽ animi, antequã inchoetur: attentionem, in ipso decursu orationis, & instaurationem defectuum post eius finem.

De præparatione.

IN prẹparatione primum est, cor abstrahere, quo ad eius fieri potest, ab omnibus curis, scrupulis, perturbationibus, & phantasiis inutilibus, & illud colligere ad vacandum omninò Deo, cætera omnia diuinę prouidentię cõmittendo, nec alia in re mentem occupando.

Secundum est, considerare, ad quem, & qua de causa, qui orat, accedat. Aperiendo ergo fidei oculos, animaduertat se in conspectu immensæ Maiestatis, & sanctitatis constitutum, in medio innumerabiliũ Angelorũ & sanctorum, (quorũ officiũ, laudandi & orandi Deũ, licet indignus, est subiturus) vt cultum exhibeat, ac omne bonum sibi ac proximis impetret, considerãdo Deũ (quod & in ipsa oratione sæpe fieri oportet) tanquam patrem & redemptorẽ nostrum amantissimum, optimum, sapientissimum, misericordissimũ, & qui semper & vbique præsens est, & videt ac penetrat vniuersa. Sic commotus aliquo sancto affectu inchoare studeat orationem.

Ter-

Tertium est, cordis mundiciã & bene orãdi gratiam petere, & ad honorẽ ac beneplacitum Dei, nostram proximorumq. vtilitatem, sacrificium orationis simul cũ meritis Iesu Christi & sanctorum (& eius præsertim, de quo meminit eo die Ecclesia) dirigere.

De attentione in ipso decursu Psalmodiæ.

ATtentio ad verba quãuis non sit potissima, tamen (in his quidẽ, qui intelligunt quod orãt) vtilis est & ad sensum Psalmorum, & reliquorũ, quæ dicuntur, accõmodanda; vt referãtur omnia ad pium erga Deũ affectum.

Tria ergo exigit hæc attentio. Primum est, cum reuerentia magna assistendo Deo, accõmodare se ad verba Psalmi: si laudat, laudare: si gemit, gemere: si minatur, timere: si iubet, paratum se ad obediendũ præbere. Et vt adulatores, id quod in corde non habẽt, foris tamen præ se ferũt: ita nos in corde sentire conemur, quod ore proferimus, dilectionẽ erga Deum & Dei amicos, honorẽ eius exoptando, inimicis eius indignando, eius perfectiones extollẽdo, miseriam, peccata, & infirmitates nostras ostendendo, in ipso spem nostram collocãdo, ad eius obsequiũ nos offerendo, amando quod amat, detestando quod detestatur.

Secundum est, adiungere in animo nostro aliqua verba vel cogitationes ad verba orationis, quam dicimus, vt affectum excitẽt, & exerceant: vel amoris, vt cùm occurrit, *Deus*, addendo, pientissimus, amantissimus: vel reuerentiæ, vt Altissimus, Sanctissimus: vel humilitatis,

litatis, vt cùm dicitur, *Mihi*, addendo, Misero peccatori, &c. Interdum non solùm cogitatio, sed affectus etiam adiungitur: qualis est, si agitur de beatitudine, suspirare illius desiderio: si de damnatione vel peccatis; gemere, quòd in tali statu vel ipse fuerit, vel certè proximi eius: si de virtute; desiderare imitationem.

Tertium est, renouare attentionem, ex consuetudine initio Horarũ & Psalmorũ, & quãdocunq. se distractum animaduertit: atq. excitare affectũ honoris Dei, in fine cuiusq. Psalmi, cùm dicitur, *Gloria patri*, &c. & confidentiam in Christũ in orationibus, cùm dicitur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c.

De his quæ iuuant ad hanc attentionem.

AD hanc attentionem iuuat: Primò, expositionem vidisse Psalmorum, nõ tam variam, quàm ad affectus excitandos & exercẽdos accommodatam.

Secũdò, obseruare quis loquatur, an Deus, an Ecclesia, an quiuis fidelis, an pœnitens, an aspirans ad perfectionem.

Tertiò, obseruare, cui affectui seruiat Psalmus: & quia sæpè variantur & miscentur, id ipsum notare.

Quarto, ad horũ praxim (quia in libro precatorio omnia scribi nõ expediret) argumẽtũ certè in principio cuiusq. Psalmi, & verbũ aliquod ad declarationẽ faciens, in ipso cõtextu attingi potest. Persona verò quæ loquitur, & eius affectus, tã in principio, quàm in decursu (cùm variatur) in margine notari etiã posset.

De

De affectibus Psalmorum.

QVia in affectibus Psalmorum præcipuus est psalmodiæ fructus, siue quis priuatim, siue in Choro, siue submissa, siue alta voce oret: idcirco breuiter percurremus omnes, atque ad duodecim reuocabimus.

Tres existunt ex laude Dei.

Primus est dilectio, cùm prædicatur Dei bonitas. quo reducitur actio gratiarum, pro acceptis beneficiis.

Secundus est admiratio, cùm agitur de sapientia, maiestate & potentia Dei.

Tertius est cõgratulatio, cũ narratur aliquid bene gestum à Deo, & successus aliquis felix.

Tres ex memoria boni nostri.

Primus, desiderium, quo afficimur ad absens bonum nostrum, & proximorũ, & id petimus siue de liberatione à malis, siue de consecutione bonorum agatur. Huc reducitur exhortatio proximorum & instructio.

Secundus est, confidentia in Dei auxilio, tã de huiusmodi malis euitandis, quàm de bonis consequendis.

Tertius est, gaudium de iisdem malis euitatis, & bonis adeptis.

Tres ex nostræ miseriæ commemoratione.

Primus, timor, cùm agitur de malis futuris imminentibus, tã nostris, quàm proximorum.

Secundus, dolor, cùm agitur de præteritis & præsentibus.

Tertius erit humilitas, cùm agnoscimus infirmitates & defectus nostros.

Tres

Tres ex reprehensione malè agentium.

Primus, Zelus vindictæ, contra iniurias & damna illata.

Secundus, Indignatio aduersus nequitiam: quo reducitur conquestio.

Tertius monet malè agentes, vt resipiscãt. Ex his affectibus aliquando aliqui miscentur, vt congratulatio & gaudium: desideriũ & cõfidentia, dilectio & confidentia, &c.

Omnes autem Psalmi & Scripturæ, ad huiusmodi affectus trahi possunt.

De instauratione.

POst absolutam orationem huiusmodi, vt instauretur imperfectio, & defectus, qui in ea nobis acciderunt, tria obseruare conuenit.

Primùm veniã humiliter petere distractionis, tepiditatis, & aliorum defectuum admissorum.

2. Cum magna cupiditate Deum honorãdi, & ei placendi, augere exiguum opus, & supplici-ter obsecrare, vt orationem nostrã ad ipsius honorem oblatam, Christi & totius Ecclesiæ meritis subnixam, admittere, omnemq. eius imperfectionem clementer supplere dignetur.

3. Cum magna spe & fiducia, per eundem Christum Iesum & sanctos eius à diuina bonitate petere, vt valorem & efficacitatem oblatæ orationi tribuat, ad nostrã proximorũq. (eorum potissimùm quib. magis obstricti sumus) salutem constituendam.

CAPVT XVII.

DE CORPORIS SITV IN ORATIONE.

DIVVS Augustinus libro de cura pro mort. habenda dicit, orantes de membris sui corporis facere, quod supplicantibus congruit: cùm genua figūt, cùm manus extendunt, cùm solo prosternuntur, & si quid aliud visibiliter faciunt. Tametsi enim his indiciis Deus nō indigeat, vt hominis animum videat; ista tamē multum valere ad hominem excitandum, esseq. indicia internæ cōpositionis animi. Nā licet Deus sit Spiritus, qui externis rebus nō mouetur: nos tamen, quia sumus homines vestiti corpore, omnem illi debemus cultum, non mente tantùm, sed etiam corpore; vt corporis cultus interno cultui mētis respōdeat. 1, Itaq. genua flectimus, exēplo Salomonis & Christi; & in terra prostrati iacemus, tanquam rei mortis; Deo quē superiorem nostrum & Dominū agnoscimus, reuerentiam summā & subiectionem exhibentes,

3. Reg. 8. Luc 22. Mat. 26.

Lucæ 18.

2, Stādo cū publicano, oramus duabus de causis. Primò, vt significemus, nos iā cū Christo à morte peccati resurrexisse. Vnde à Pascha ad Pentecosten apud veteres, stationes erant, & Dominicis diebus per annum; quibus stationibus præmittebatur ieiunium Sabbathinū, & Quadragesimę. Quia tunc cum fiducia coram Deo stamus, quando pœnitentiæ opera peccatorum remissionem attulerunt. Secundò, vt nos paratos declaremus ad ea præstāda,

Tertul. de Coro. mil. & lib. 2. ad vxorē.

quæ

quæ præcipiuntur. Sic ſtatur ad Euangelium, & cantica ex Euãgeliis deſumpta, vt ſunt Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis: tum quia per verbum Euangelij, qui peccatis proſtrati iacebamus, erecti ſumus; tum vt promptos nos declaremus ad obtemperãdum diuinis iuſſis. 3, Oculi in cælum eleuantur, vt cogitationem noſtram in cælis verſari declaremus. 4, Subinde oculi demittuntur, ad ſignificandum diuinæ ſeueritatis timorẽ & internum pudorem ex turpitudine peccatorũ conceptum. 5, Manus attolluntur, partim vt cor ſignificetur habẽdum ad Dñm: partim (vt ait B. Chryſoſt.) quia dona, quæ petimus, è cælis ſunt expectanda. 6, Iungũtur manus, vt animus declaretur eſſe collectus, non autem diſtractus diuerſis cogitationibus. 7, Tunditur pectus, tum vt peccata deteſtemur, tanquam pœnas de nobis exigentes: tũ vt cor lapideum tunſionibus emolleſcat. 8, Qui manus in modum crucis extendunt; ſignificant ſe cũ Chriſto crucifixos, cuius crucem & paſſionem repræſentant. Hoc modo ferè ſe componunt ſacerdotes in ſacro Miſſæ officio, in quo Chriſti patientis gerunt perſonam.

Hom. 79. ad popul. Antioch.

Aug. ſer. 36. de verbis dom.

CAPVT XVIII.

DE PROCESSIONIBVS.

ANTIQVVS eſt ille in Eccleſia orãdi modus, quo in proceſſionibus clerus & populus precatur Deum. In quibus præfertur crux Chriſti, quia videtur educi exercitus

ercitus sub crucis vexillo militans: tum sequitur Clerus, cuius ordo vt est Deo cõiunctior, vtpote per quem ad alios spirituali dona deriuantur, ita debet sanctitate vitæ cæteris prælucere. In hoc ordine verò præcedunt iuniores, seniores autẽ & digniores sequuntur: quia in Ecclesia, officium superiorum non in externo honore, sed in labore & ministerio consistit, vt iuxta verbũ Christi, *Qui voluerit maior fieri, sit minister*, & præcessor sit ministrator. *Mat. 20. Luc. 22.* Post Sacerdotes & Præsules statim subsequitur sæcularis magistratus, tanquam Ecclesiæ rerumq. sacrarum defensor, qui coniunctus esse debet cum ordine Ecclesiastico, vt fidem propugnet, Pastores Ecclesiæ iuuet, atq. in omnibus rebus honorem Dei solius quærat. Præcedit autem reliquos ciues, vt sicut dignitate, ita & moribus vitaq. præluceat, doctorque sit aliorum. At verò inter vtrosq. DOMINVS IN MEDIO POPVLI SVI: vt duos condat in semetipso, in vnũ nouũ hominem, faciens pacẽ inter Deum & sanctam plebem. *Ephes. 2.*

Iste modus orandi in Ecclesia antiquissimus, variis de causis seruatur. 1, Vt sciamus, fidem publicè profitendam esse: quia *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* *Rom. 10.* 2, Ne pudeat nos publicè bene agere, sed ita luceat lux nostra coram hominibus, vt videãt opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. Admonemus igitur, & excitamꝰ hac publica oratione omnes, ad orãdum Dominum, pro suis totiusq. Reipub. necessi- *Matth. 5.*

cessitatibus. 3, Declaramus nos credere, Deū nullis locorum angustiis contineri, sed vbique ab omnibus adorandum esse, non ab hominibus tantùm, sed ab vniuersa creatura, quā cum Propheta Dauide variis Psalmis ad laudādum cōmunem Dominum prouocamus. 4, Protestamur nos Christum Dominum & ducē crucifixum sequi, paratos ad omnē ipsius voluntatem, tanquā fideles milites, sub vexillo crucis. 5, Precamur Dominum, vt in loca singula domosq. nostras ingrediens, gratiam suam illis largiatur, Ecclesiæ precibus motus, quæ locis illis funduntur. 6, Celebramus memoriam variorum discursuum & processionum Christi Domini pro salute nostra susceptarū, qualis fuit in die Palmarū, quando in vrbē Hierosolymitanam cum maxima pompa fuit inuectus: & in die Ascēsionis suæ in cælos, quādo discipulos in montem eduxit, & videntibus illis est subleuatus in cælum.

Ex his facile videre est, quāta reuerentia sit in supplicationibus procedendum, sine fabulis, sine cursitatione, sine vlla vanitate, aut mentis oculorūq. euagatione, sed animo collecto, atq. ad Deum eleuato, Deum precando pro necessitatibus Ecclesiæ, pro tota Repub. in qua versamur; pro peccatoribus, qui malitia sua excæcati, iram Dei nō cessant prouocare. *Greg. lib. 11. epist. 2.*

Orandum est autem & postulandum, per Christi labores, quos multis itineribus pro nobis sustinuit; per merita sanctorum, quorum sacras reliquias, aut imagines circumferi-

mus; per Dei misericordiam, qui hanc Rempub. ad fidem perduxit, & in Catholica religione conseruauit.

CAPVT XIX.

DE TEMPORIBVS PRECVM horariarum.

ECCLESIA Dei diuersas interdiu & noctu horas obseruat, quibus ad Deum preces fundit, in memoriã & gratiarum actionem singularium quorundã beneficiorum, quæ temporibus illis accepit. Nam præter mysteria passionis, quæ singulis horis acciderunt; alia etiam collata sunt beneficia peculiaria, in quorum memoriam illis horis preces dicuntur.

Memoria natiuitatis Domini. Nocte celebratur memoria natiuitatis Domini precibus matutinis: quibus adiungũtur laudes: quia Christus in aurora victor ab inferis resurrexit. Eodem noctis tempore captus est Dominus, ductus ad Annã & Caypham, multaque in ædibus horum pontificum vsq. ad ortum solis perpessus.

Resurrectionis.

Exorto sole, hoc est, hora diei prima, traditus est Dominus in manus gentium; à Põtificibus ad Pilatum adductus ad crucifigẽdum.

Vicarij sui nobis relicti. Matt. 16. Luc. 22. Eodem tempore Ioan. 21. post resurrectionem prouidit Ecclesiæ de summo pastore vicario suo, cui oues suas, id est vniuersam Ecclesiam regendam cõmisit. Quod beneficium quàm sit eximium, facilè perspicietur; si cõsideretur, ab hoc capite pendere Ecclesię vnitatem;

tem; eiq́ue promissam esse fidei constantiam; datamq́ue amplissimam potestatem ad salutem Christianorum.

Hora tertia, post solis exortum, variis modis pro nobis illusus est Dominus, flagellatus, coronatus, populo propositus, ab eoq́ue ad crucem postulatus. Eodem tẽpore missus est Spiritus sanctus Apostolis, Act. 2. Cuius beneficij magnitudo ex eo apparet, quod in eius memoriam solemnis festiuitas Pentecostes sit instituta. Vnde meritò hac hora inuocat Ecclesia auxilium Spiritus sancti hymno Ambrosiano: *Nunc sancte nobis spiritus, unum patri cũ filio dignare promptus ingeri, nostro refusus pectori.* *Missionis Spiritus sancti.*

Hora sexta in meridie Christus Dominus, perforatis manibus pedibusq́. est sublatus in crucem. Eadem hora recolitur gentium ad fidem Christi conuersio. Quia sub meridiem Christus Samaritanam gentilem fœminam ad fidem adduxit: & filium Reguli gentilis à febri liberauit: B. Paulum doctorem gentium conuertit: B. Petrum visione ad Cornelium Centurionem ethnicum misit. Deniq. in cruce exaltatus, teste D. Ioanne Damasceno, facie ad occidentem conuersa, Ecclesiam gentium respexit. *Vocationis gentium. Ioan. 4. Act. 9. Act. 10. Libr. 4. orth. fid. cap. 13.*

Hora nona, quæ tertia est post meridiem, Christus cõsummatis omnibus, in Cruce, pro salute nostra spiritum emisit, & statim ad inferos descendens, diabolum, ne in nos sæuiret, ligauit, viresq́ue eius fregit, ne nobis obesset. *Mortis Christi. Ligati diaboli.*

Hora vespertina, sole ad occasum declinan-

te, Christi latus est à milite perforatum, vnde sanguis & aqua profluxit: & paulò pòst sacrũ corpus de cruce depositum, est sepulturæ mãdatum. Eodem tempore, Christus, post resurrectionem, discipulis potestatem dedit remittendi peccata. Vnde hac hora celebratur memoria Ecclesiæ productæ ex latere Christi, & remissionis peccatorum in Ecclesia relictæ.

Ioan. 20.

Ecclesiæ productæ, & remissionis peccatorum.

Sub noctis initiũ, Christus in vltima cœna discipulis, eorum pedibus lotis, sacrum suum Corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini reliquit, Missæque sacrificium instituit. Eodem tempore putatur in vtero virginis incarnatus, humanam naturam assumpsisse. Fit etiam hac hora peculiaris memoria dolorum B. Virginis Mariæ; quæ inspectam Christi filij sui passionem, domum reuersa, seriò secum magnoque dolore reuoluebat.

Sacramẽti eucharistiæ.

Incarnationis Christi.

Dolorum B. Virginis.

CAPVT XX.

DE MYSTERIIS ROSARII.

BEATVS Dominicus fratrum Prædicatorum primus institutor, confraternitatem quandam suo tempore instituit, in honorẽ B. Virginis Mariæ, à diuersis summis Pontificibus cõfirmatam, & variis indulgentiis ac priuilegiis donatã. Quæ in eo maximè posita erat, vt beatissima virgo mater Dei, frequẽti repetitione Salutationis Angelicæ honoraretur: singulis qualibet hebdomada Rosarium ter recitantibus. Rosarium autem constat oratione Dominica quinquies, &

Salu-

Salutatione Angelica quinquagies repetita. Vnde Rosarium tertio dictum, efficit numerum centesimum & quinquagesimum in Salutatione Angelica, qui est numerus Psalmorū Dauidicorum: à quo numero vocarūt trinum illud Rosarium, Psalterium B. Virginis. Rosarium verò dictum est, quasi sertū rosaceum, ex odoriferis precum & Salutationis floscu-lis contextum. Et quamuis numerus nullus ex se vim habeat, ad aliquid vel efficiēdum vel impetrandum: quando tamen ad aliquod sacrum mysterium ab Ecclesia refertur, non est tanquam superstitiosus abiiciendus: quod ex Ecclesiæ, atq. precantium intentione quandoque induat modum orationis. Veluti contingit, dum in honorem quinq. vulnerum Christi, quinq. cereos accendimus, tali enim ceremonia oramus, vt Christus per sacram passionem suam, mentem nostram vero lumine suæ gratiæ illustret, & charitate accēdat. Pari modo in hoc serto rosaceo, numeri varij pulchrā continent significationem. Nam quinarius orationis Dominicæ, Christi quinq. vulnera: Denarius Salutationis Angelicæ ad quālibet Dominicam orationē, Decem præcepta Decalogi: Quinquagenarius eiusdem salutationis, in toto Rosario, annū Iubilæum, hoc est, peccatorum remissionem significat. Qui igitur tali precum numero Christum orāt, eiusque Matrem salutant; hoc illo orandi modo petunt; vt ipsis Deus per Christi passionem, Matrisq. Dei merita & intercessionem, gra-

tiam largiatur, qua & plenam remissionem omnium peccatorum accipiant, & auxilium ad diuina mandata ex animo perficienda.

Cæterùm vt mens orantis, cui difficile videtur & tædiosum, ad eadem verba toties repetita attendere, fructu suo nõ careat; piè ordinatum est, vt quodlibet Rosarium quinque mysteriis perficeretur, quibus meditãdis, dum os verba proferret, mens occuparetur.

Primo enim Rosario assignata sunt quinque gaudia sanctissimæ Matris, quinque decadibus accommodata, quibus illa, ex his, quæ circa Christi naturam humanã contigerunt, affecta fuit. nimirum ista:

1. Annuntiatio Dominicæ incarnationis.
2. Visitatio Elizabethæ.
3. Natiuitas Domini.
4. Oblatio Christi in templo.
5. Inuentio pueri Iesu inter doctores.

In secundo Rosario memoria colitur quinque mysteriorum passionis Christi, quæ sunt:

1. Oratio, & captiuitas Domini in horto.
2. Flagellatio.
3. Coronatio.
4. Baiulatio crucis.
5. Dolores in ligno crucis tolerati.

In tertio Rosario, proponuntur quinque mysteria gloriosa, post Christi Domini mortem: nimirum:

1. Resurrectio Domini.
2. Ascensio eius in cælos.
3. Aduentus spiritus-sancti in discipulos.

4. Assumptio B. virginis Mariæ.
5. Gaudium vitæ cælestis.

Vt autè subinde Orationis Dñicę & Angelicæ Salutationis, quibus Rosariū cōstat, verba ipsa expendantur meditando, subiiciemus breuem vtriusq. explicationem, quę materiam præbere poterit maioris considerationis.

CAPVT XXI.

BREVIS EXPLICATIO ORATIONIS *Dominicæ.*

ORATIONIS huius præfatio pauca habet verba, plena mysteriis. *Pater*, est nomen amoris, significans primò, quòd oraturus non debeat inimicus esse Dei, sed amicus, imò filius, depositā voluntate peccandi, & de peccatis dolens. Secundò, quòd magna fiducia ad Deum sit accedendum, quia à patre nihil non est expectandum.

Noster. non dicis, meus, sed nomine cōmuni *noster*: quia æqualiter Deus est omniū pater, omnes ex æquo attingens, pauperes atq. diuites. Adferenda est ergo ad hanc orationem: 1. Charitas proximorum, qua omnes filios Dei ames, eisq. bene velis: 2. Humilitas: ne te cuiquam præponas.

Qui es in cælis. Significatur primo, ad hāc orationē adferendā esse mētē ad cælestia eleuatā, exclusis terrenis cogitationibus. secundo, magnā totius hominis externā atq. internā reuerentiā: quia pater est cælestis, nō terrenus. tertio, nihil nisi cæleste à patre cælesti petēdum.

Sequun-

Sequuntur nunc petitiones septem, quarum priores quatuor cupiunt bona concedi, posteriores reliquæ mala remoueri.

1. *Sanctificetur nomen tuum.* Id est, gratias tibi pro beneficiis tuis ago; oroq. vt nomen, bonitas, atq; maiestas tua omnibus hominibus innotescat, ab omnibus laudetur, & vbiq. deprædicetur: potissimè verò precor, vt ego in actionibus meis omnibus & verbis tuam gloriam quæram, & mea omnia ad tuam laudem proximorumque vtilitatem referam.

2. *Adueniat regnum tuum.* Id est, opto vt tu Deus in terris vbiq. regnes; atq. excluso imperio diaboli, tu omnia mundi regna possideas: & præsertim ne regnet peccatū in meo mortali corpore; sed tu domineris omnibus viribus & potentiis meis; meque ad cæleste regnum dirigas, atque perducas.

3. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Id est, Da quęso gratiam populo tuo vt iussis tuis obtemperet: præterea in singulis actionibus nostris voluntatem tuam nobis aperias. Denique, meipsum Domine tuæ voluntati totū resigno, vt (dūmodo per me celebretur & sanctificetur nomen tuum, & tu excluso regno peccati in me solus regnes) facias de me & statuas iuxta sanctissimam voluntatem tuam.

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Id est, Nutri & pasce animam meam, & corpus meum conuenientibus nutrimentis: Animam quidem verbo tuo, vt illud mihi sapiat, siue in cōcione, siue in oratione, siue quouis alio modo

do mihi proponatur: item sacro corpore tuo, ad quod frequenter & deuotè sumendū peto excitari. Cor⁹us verò, cibo quotidiano, rebusq. nō superfluis, sed necessariis, iusto labore aut titulo, non per iniustitiam acquisitis.

Sequuntur tria mala, quæ cupimus amoueri.

5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Id est, Mala præterita, nimirum peccata, quibus te offendimus, gratis per filij tui passionem dimitte: venialia quidem seu quotidiana, per dolorem, & hanc orationem à te institutam: grauiora verò seu mortalia, per sacramentū pœnitentię: ad quod deuotè accedendum da quæso tempus oportunum, gratiam & deuotionē. Et tametsi ego ex animo proximis omnibus offensas remittere videar, tu tamen me iuua, vt nunquā offensæ alicuius reminiscar.

6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Id est, Mala futura à nobis arceas; cauēs ne vnquā in peccatum consentiamus, néve occasionē demus, vt à te deseramur: & si vitio nostro nos labi contingat, ne cor nostrum obduretur, sed statim conuertatur, & à peccato resurgat.

7. *Sed libera nos à malo, Amen.* Præsentia mala à nobis depelle, famem, bella, pestem, aliasque corporales calamitates; & etiam prosperitates, si ad animæ salutem non conducunt: spiritualia quoque mala, in quibus est concupiscentia nostra, quæ continuum spiritui bellum infert: vt ab ea si non penitus, saltem ex parte absoluamur.

Expo-

Expositio Salutationis Angelicæ.

ORationi Dominicæ subiungi solet Salutatio Angelica, duplici de causa. Primò quidem, vt sciamus, non nostris meritis prædictas petitiones vel obtinendas, vel expectãdas, sed per Christum Iesum incarnatum: qui hac salutatione virginem matrem, ad consensum in incarnationem, Angelica voce inuitauit. Secundò verò, vt discamus, in cælis nobis esse patronam & aduocatam negotiorum nostrorum apud æternum Regem, cui curam libelli nostri supplicis Deo porrecti committimus, vt eius nobis petitiones impetret, causamque nostram agat.

Aue, Id est, Gaude, lætare, salue. Salutata B. Virgo p benigna sua charitate, resalutabit.

Mariæ, nomẽ proprium, quod dominam significat, & stellam maris.

Gratia plena, id est, Ornata Dei gratia atque iustitia, repletaq. virtutibus in anima, eiusq. potentiis omnibus.

Dominus tecum, id est, Placent Deo cogitationes, verba, & opera tua: nihil in te est, quod ipsi displiceat. ideoq. nunquam à te Deus abfuit, & semper tu Deo in cælis adhæres.

Benedicta tu in mulieribus, id est, Tu præter cæteras mulieres es benedicta: 1, quia mater & virgo: 2, quia mater Dei: 3, quia assequuta summam dignitatem, quæ muliebri sexui dari poterat: nempe vt esses Regina cæli & terræ, prima sub Deo, super omnẽ creaturam. Vnicus te præcedit vir, Christus, Rex orbis, Deus

&

& homo. Duo enim erant summa officia conferenda: alterum viro, esse Regem orbis: alterum fœminæ, esse orbis Reginam: illud habet Christus, hoc tibi est concessum.

Et benedictus fructus ventris tui Iesus. Hoc est, Filius tuus est verus, perfectusq. homo: idem est filius Dei, super omnia Deus benedict⁹ in sæcula, cui innumeris nominibus, & præsertim hoc nomine à nobis laus, gratiarū actio, & benedictio debetur, quòd te matrem suam in Dominam nobis, Patronam, & Aduocatam contulerit.

Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen. Meritò rogare potes: quia vt Domina, curā nostri geris: & non difficilè impetrabis: quia filius est quem rogas. Oramus autem te, vt per te bona omnia impetremus, per quam bonorum omnium auctorem accepimus.

CAPVT XXII.

DE PVLSV AD SALVtationem Angelicam.

SIGNVM campana ter interdiu dari solet ad orationē: mane, meridie, & vesperi: vt meminerint Christiani, si sæpius non possint, saltem tribus istis tēporibus esse orandum, iuxta Psalmum, *Vespere, mane, & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocē meā.* Mane quidē initio diei, futuras actiones suas ad Dei gloriam referendo. Meridie verò, in medio diei cursu, animam lassam breui oratione refi-

reficiendo, sicut reficitur corpus cibo. Vespere autem, ab anima sua sanctorum omnium rationem exigendo.

His etiã tẽporibus salutatur B. Virgo Maria, vt per eximia beneficia iis horis collata, quibus ipsa adfuit, misericordiam nobis impetrare dignetur à Filio. Nã pulsu matutino renouatur memoria resurrectionis Christi, qui redijuius ex mortuis, statim sanctissimæ matris suæ apparuit. Pulsus meridianus datur in recordationẽ Passionis Christi, cui Virgo interfuit. Vespertinus autem, in memoriam incarnationis Christi in vtero Virginis peractæ.

Dum pulsus isti audiũtur, meridie quidem recitetur oratio Dominica cum Angelica Salutatione: mane verò & vespere, tertio repetatur Angelica Salutatio. Qui literas norunt, meridie recitare possent hanc orationẽ: *Christus factus est pro nobis obediens vsq. ad mortẽ, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.*

Vers. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.*

Resp. *Quia per crucem tuam redemisti mundum.*

Oremus.

REspice quæsumus Domine super hãc familiã tuã, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum: qui tecum viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Mane autem & vesperi hos tres versiculos, adiuncta singulis Salutatione Angelica.

Ange-

Angelus Domini nunciauit Mariæ, & cõcepit de spiritu sancto. Aue Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Aue Maria.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Aue Maria.

Quidam etiam hos versus ad pulsum meridianum recitant, nec incõmodè. Nã licet fortasse neq. mane, neq. meridie incarnatus sit Dñs, sed vespere: mane autẽ surrexit à mortuis, & passus sit meridie: hoc tamen triplici pulsu salutatur Virgo Maria, ob triplicia mysteria, quibus illa à sibi deuotis solet honorari: nempe, gaudiorum, quæ cœperunt in Christi incarnatione: dolorum, qui summi fuerunt in Dominica passione: glorioſa, quæ initium habuerunt in Christi resurrectione.

CAPVT XXIII.

MODVS VESPERI INCVMBENDI.

SICVT nocturna quies corporis valetudini vel prodest, vel officit; ita ad diurnam animi cõpositionem magni refert, quomodo vesperi incumbens, nocte quiescẽs, mane euigilans, atque ex lecto consurgens te habeas. Et quia matutina animi collectio, ferè ex vespertino tempore pendere solet; ideo de isto priori loco dicetur.

Primum igitur ad hominis vitã rectè formandam vehemẽter iuuat, vt quoad eius fieri potest, certum sit tempus & constans vespere

incumbendi,& item mane surgẽdi: inter quæ duo tempora nõ multò amplius, quam sex vel septem horæ intercedant.

Antequam autem incũbatur, repetenda est per examen cõscientiæ, ab anima ratio transactæ diei, ne fortè nos ex hac vita Deus nocte euocans, imparatos inueniat. Examen autem his quinque punctis comprehendi solet.

1 Agantur Deo gratię pro omnibus beneficiis, potissimùm verò eodem illo die acceptis.

2 Petatur à Deo gratia, pro vera cognitione & detestatione peccatorum, transacto iam die commissorum.

3 Exigatur à conscientia ratio de admissis præsenti die peccatis, totius diei horas singulas, à mane in vesperam, percurrendo.

4 Humiliter petatur à Deo venia admissorum peccatorum.

5 Seriò proponatur in posterum, cum Dei gratia, vitæ emẽdatio, & maximè in illis peccatis, in quæ sæpius aut grauiùs eo die lapsus fuerit. In fine addatur, *Pater noster.* & *Aue*, &, *Confiteor Deo omnipotenti. Salue Regina*; &, oratio Dominica, ad Angelum custodem, aliæque preces, pro cuiusque deuotione.

Oratione absoluta, seruãdus est animus collectus pia meditatione & oratione. Ideoq. vitandæ sunt fabulæ, cogitationes externæ, tractationes negotiorum, & quicquid coniunctionem cum Deo impedire solet.

Cubãti deniq. orandus est Christus Dominus noster, vt lecto & dormiẽti ea nocte adesse di-

se dignetur, cum Matre sua sanctissima, Angelo custode, Sanctisq. patronis, ad quos tanquã præsentes, mens etiã & oratio conuertẽda esset, ac in tali sancta cogitatione obdormiẽdũ.

CAPVT XXIIII.

MODVS MANE SVRGENDI.

VBI primùm expergiscimur vel nocte vel mane, cauendum summoperè est, ne primitias cogitationum alius præter Deum habeat. Solet enim diabolus primis diei cogitationibus vehemẽter insidiari: quòd sciat, ab illis ferè reliquam diei cõstitutionem in homine pendere. Nam qualis quisque mane est, talis est frequenter reliquo die.

Prima igitur cogitatio nocturna vel matutina, sit gratiarum actionis ad Deum, B. Virginem, Angelum custodem, cęterosq. Sanctos patronos tuos, quorum te curæ & fidei ea nocte commisisti: quòd te conseruarint, tibi adfuerint, dæmonem fugauerint: orenturq. humiliter, vt toto die nõ te deserãt, sed in actionibus omnibus iuuent. Si tẽpus surgendi necdum aduenerit, occupetur mens cogitatione sancta, aut oratione. Caueatur autem, ne externæ cogitationes irrepãt, maximè verò turpes, aut de negociis, aut occupationibus futuris, quantumuis sub specie magnæ vtilitatis sese insinuent aut ingerant.

Hora surgendi ilicò surgatur, factoq. signo crucis, orationes aliquæ pię recitentur, quibus animus ab euagationibus, dum corpus vesti-

tur atque componitur, cohibeatur. Nullæ autem tractentur fabulæ: neque quicquam ante orationem admittatur, quod mentem distrahere possit: ne futuræ orationi impedimẽtum præbeatur.

Vestitus, ad orationem tete componas; in qua post factum signum crucis, recitari possit initio Symbolum Apostolorum, tanquam protestatio fidei: deinde, hæc quatuor puncta voce vel sola mente tractentur.

1 *Gratias ago Domino Deo meo, sanctissimæ Matri, Angelo custodi, omnibusque sanctis, de nocte hac feliciter transacta, quòd mortuus in peccatis non fuerim, sed ad hũc vsque diem seruatus, vt per fidem, pœnitentiam ac Christianæ legis opera, gratiam Dei mihi cõciliem, in hoc breui & incerto vitæ curriculo.*

2 *In gratiarũ actionem, offero me Domine totum diuinæ tuæ bonitati, vt de me meisq; omnibus, tanquam de tuis statuas; vitam meã ad tui nominis gloriam dirigas, bonis suggestionibus intellectũ illustres, feruore charitatis affectũ ad te moueas; sensusque, sermones, & actus meos, ad animæ meæ salutẽ componas.*

3 *Rogo te Domine, vt hodierno die ab omni me peccato custodias, ne cogitatione, verbo, vel opere aut negligentia, diuinam maiestatem tuam vllo pacto offendam.*

4 *Propono Domine, cum diuino tuo auxilio, hodie peccata omnia vitare; consueta vitia, ea maximè a quæ propensior sum, deponere; actiones & studia mea ad tuam gloriam referre, denique in virtutibus me exercere, ne dies hic sine bono opere transeat. Tu tantùm non desis mihi gratia tua.* In fine, *Pater noster*

Aue

Aue Maria. Aue maris stella, & Oratio Dominica, ad Angelum custodem.

Vtile esse aliquid temporis dare meditationi: quia per illam homo mirum in modum ad omnia bona paratur, & disponitur.

CAPVT XXV.

MATVTINA ET VESPERTINA *oratio pro rudioribus.*

RVDIORES, quib⁹ difficile esset prædicto modo, vel mane pia meditatione seipsos Deo offerre, vel vesperi conscientiam excutere, possent vti hac, aut simili ratione; Vt manè flexis genibus, facto signo crucis, his verbis orent: Primò: *Domine Deus, ago tibi gratias, quòd hac nocte me cõseruaueris. Pater noster. Aue.* Secundò: *Domine precor te, vt me hoc die ab omni peccato præserues. Pater noster. Aue.* Tertiò: *Domine, offero tibi omnes actiones meas, rogans vt eas ad nominis tui gloriam dirigas. Pater noster. Aue Maria, Credo in Deum, &c.* Addatur, *Aue maris stella*, aut alia oratio aliqua ad D. Virginem, & Oratio Dominica ad Angelum custodem.

Vesperi autem precari possent isto vel simili modo.

1 *Domine Deus, gratias ago tibi, quòd hoc die me conseruaueris. Pater noster. Aue Maria.*

2 *Domine, precor, vt peccata omnia hoc die cõmissa, ignoscas. Pater noster. Aue.* Poteritque hîc fieri breue examen conscientiæ pro captu cuiusq.

3 *Domine, rogo, vt hac nocte me ab omnibus dæmonis insidiis custodias. Pater noster. Aue Maria.*

Cõfiteor. Salue Regina, aut alia oratio ad D. Virginem. denique oratio Dominica ad Angelum custodem.

CAPVT XXVI.
MEDITATIONES QVOTIDIANÆ, *iuxta ordinem dierum hebdomadæ.*

PRÆFATIO.

INTER omnia pietatis veræ exercitia, Christiane Lector, nihil præstantius, nihil Deo gratius hominiq. vtilius, ac magis necessarium, & ad bene beateq. viuendum accommodatius esse potest; quàm se diligenter, in assidua vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi meditatione exercere. Id quod non modò sanctissimorum ac eruditissimorũ hominum exempla & doctrina, sed ipsa etiã experientia rerum magistra luculenter ostendit atq. confirmat. Si enim vitia vis fugere, & peccata declinare: tecum expende, quid non egerit, ac passus sit triginta tres annos vnigenitus filius Dei, vt te à peccatis ac vitiis omnibus liberaret. Si humilitatem, mansuetudinem, patientiã, obedientiam, charitatem, cæterasque Christi vir-

virtutes amas, iisq, animum tuum ornare desideras; inspice viuum & absolutũ omnis virtutis exemplar, Dominum tuum Iesum Christum. Si verò vis mundum, & ea quæ in mundo sunt cõtemnere, ac pro nihilo ducere; seriò tecũ cogita, qualem in hoc mundo vitam Christus Dominus egerit, quàm pauperem, quàm vilẽ & abiectam, quantisq. laboribus & doloribus plenam; quas insidias & calumnias; qualem deniq. mortem tui amore, tuæq. salutis causa pertulerit. Si denique ad Dei amorem & gratiarum actionem te velis excitare atq. inflammare; quid quæso efficacius, quàm Christi vitã & passionem, & quàm multa atq. immensa ex illis beneficia simus consecuti, sedulò meditari? Vt non immeritò dixerit Apostolus: Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Et D. Petrus: Christo, inquit, passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Cæterùm vt maiori cũ fructu meditationibus istis vtaris, Christiane Lector, talis erit in iis tibi seruanda ratio, vt orationis tempore, primò qui-

dem puncta omnia illius diei perlegas; deindè verò in illius contẽplatione diutiùs hæreas, in quo magis perlegendo afficiebaris. Meditans porrò de virtute aliqua, seculò tecum perpendas, quàm studiosè Christus seruator tuus se in ea exercuerit, tibi exemplum præbens, vt vestigiis ipsius diligenter insistas. Atque tunc ipse tecum statues, ad eius imitationem præsenti illo die, in eadẽ virtute aliquem progressum facere. Dabisque operam sæpius interdiu, conceptum propositum in mentem reuocare, atque occasiones non negligere, quibus in ea te virtute exerceas. Puncta autem quinque sunt: Primum ex Christi infantia; secundum ex eius vita; tria deinceps sequentia ex eiusdem passione desumpta.

Die Dominico, de humilitate Christi.

PRimò cogitabis, quãta humilitate Dei filius, summus ille totius mundi monarcha, è cælis in virgineum humilis virginis Mariæ vterum descenderit, atq. seipsum exinaniuerit; formam serui accipiens. Rogabis proinde eundem illum Dominum, vt veram humilitatem donet, gratiamq. tibi infundat, qua superbia omnis, inanis gloria, atq. tui ipsius cõplacentia ex corde tuo radicitus euellantur: considerabisq, tecũ sæpenumerò, quot quantisq,

risq. adhuc imperfectionib⁹ sis obnoxius, quã miserè in vitia quotidie labaris, quàm deniq; parum hactenus in virtutibus promoueris.

Secundò considerabis, quãta animi demissione à Ioanne Baptista se baptizari sit passus, haud aliter quã si homo peccator fuisset, indigens purgatione aut expiatione: qui tamen Deus verus & homo, ab omni prorsus sorde peccati immunis, ipsi etiam Ioanni gratiam omnem, qua præditus erat, contulerat. Tu igitur vermiculus cùm sis, creatoris tui exemplo, quibusuis, qui te vel docent vel hortantur, vel reprehendũt, subiicitor, etiamsi multo te sint & inferiores & imbecilliores.

Tertiò, summã illã humilitatem perpende, qua instante passionis tempore, humanã suam exponens infirmitatem, animi sui tristitiam Apostolis declarauit, cũ diceret: Tristis est anima mea vsq. ad mortem: cùm tamen ille ipse sit, qui vera lætitia tam eos, qui in cælis, quàm qui in terris degunt, perfundit. Disce igitur non nimium tibi fidere, neque in tentationibus, quæ vel exterius vel interius obuenisse, de teipso plus æquo præsumere, sed submisse de te sentiens, aliorum sana consilia nõ vereare & petere & amplecti.

Quartò cõsidera, quàm humiliter Christus Dominus omnium potẽtissimus, velut homo ab omni auxilio destitut⁹, in terrã se prostrauerit: patremq. suũ, vt nostra expiaret crimina, illachrymãs orauerit; & præ amoris magnitudine, sanguineũ sudorem largiter emiserit.

Ea propter etiam tu in quauis tribulatione & cordis anguſtia, humili oratione te ad Chriſtū ſeruatorem conuertas, nihilq. tibi more illius indulgeas, te totum eius voluntati conſecres.

Quintò intuere, quā fuerit humilis illa reſignatio, qua voluntatē ſuam cæleſti patri (cui tamen vt Deus æqualis erat) promptiſſimè obtulit, ita dicēs: Nō mea, ſed tua voluntas fiat: quamq. non fuerit dedignatus angeli cōſolationē (ſeu) cōfortationem admittere, qui alioqui totius orbis eſt cōſolator, omnesq. in agone cōfortat. Igitur & tu profunda humilitate, Dei te volūtati ſubmittas, omnib. in reb⁹, quæ vel interius vel exteri⁹ euenire poſſunt; magna cum fiducia conſolationē cęleſtem expectans.

Sub finem meditationis, talem orationem adiungito.

DOmine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, ipſe verus Deus & potentiſſimus rerum omnium conditor & moderator qui vt humilitatis nobis exemplum relinqueres, è ſublimi cælo in hanc terram deſcendiſti, humanam noſtram infirmitatem atque abiectionem aſſumens; à ſeruoque tuo Ioanne, velut impurus peccator, baptizari voluiſti; & paſſione tua iam inſtāte, charis diſcipulis, cordis tui triſtitiam patefeciſti; proſtratusq; in terram ſudore ſanguineo emiſſo, humillimè voluntatem tuam in voluntatem patris reſignaſti; aliaq; quàm plurima egiſti, quæ ſummæ humilitatis ſunt argumentum: Precor, vt profundam mihi dones humilitatem, qua me omnibus facilè lubensque ſubijciam, neque altè de me ipſo ſentiam; ſed vilis ſim abiectusque ſemper in oculis meis, & talis ab omnibus

haberi

haberi cupiam. Qui cum Deo patre in vnitate spiritus sancti viuis & regnas Deus in secula benedictus, Amen.

Die Lunæ, de Mansuetudine Christi.

PRimùm, eā mansuetudinē diligenter expende, qua innocēs ille puerulus is recens natus, orbi sē ostēdit, licet inimicissimo. Ora eundem ipsum, vt veram innocentiā, & cordis mansuetudinem donare dignetur.

Secundò cogita, quāta mansuetudine, quātaq. modestia cum Apostolis suis, licet imperitis ac simplicibus, versatus sit; tā verbis quàm factis mansuetudinē omnē præ sē ferens; quāque mansuetè Iudæorū captiosis & malignis quæstionibus responderit. Quocirca etiam tu summa modestia animiq. māsuetudine cum omnibus versari discas; neq. verbo neq. opere vllū immodestiæ signum præbeas, quantumcunque tibi verbis ac factis aduersentur.

Tertiò vide, quàm māsuetè Iudam proditorem sit osculatus; & sē capiendum hostibus benignè obtulerit; omniaq. corporis membra stringenda præbuerit. Proinde & tu mansuetè & amicè his omnibus occurras, qui te vel spernunt, vel ludibrio habēt, quantumuis grauem tibi irrogauerint iniuriam.

Quartò, qua sit vsus mansuetudine cōsidera, dum corā impio Anna ligatus staret; quàm mansuetè ipsi insidiosè interroganti respōderit; ac diram sit alapam perpessus. Quapropter etiam tu mansuetè feras, si quando tibi duriter respondeatur; etiam si rectè tibi, tuo quidem

dem iudicio, aut feciſſe, aut dixiſſe videaris.

Quintò, illam quoq. manſuetudinem perpende, quam in ædibus Caiphæ ſingularē exhibuit, in omnibus illis occultis pœnis ac illuſionibus: cùm videlicet facies illa ſuauiſſima, in quā deſiderant angeli proſpicere, tā ignominiosè velaretur, alapis & colaphis crudeliter cæderetur, & tā fœdè cōſpueretur, aliiſq. id genus multis tormentis afficeretur, quæ nulli vnquā mortaliū in notuerūt. Tu igitur diſcas manſuetè ferre, quidquid moleſtiarum vel interius vel exterius occurret. Atq. ſi occultè tibi quiſpiam moleſtus ſit, magna id æquabilitate, animi alacritate, hilariq́ue vultu ſuſtineas, ob amorem amici ſaluatoris, & dilectiſſimi animæ tuæ ſponſi, Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Finita meditatione, ita precabere.

DOmine Ieſu Chriſte, præclarum omnium virtutum exemplar; qui ſummā ſemper omnibus mānſuetudinem præbuiſti, tam in natiuitatis tuæ exordio, quando te mundo oſtēdiſti inimiciſſimo; quàm per totam reliquam vitam, in qua modeſtia ſumma cum diſcipulis rudibus, & Iudæis continenter inſidiantibus, verſatus es: quàm denique paſſionis tempore, cùm & proditorem Iudā manſuetiſſimè deoſculabaris, & Iudæis eadem ſemper modeſtia teipſum exhibebas, quātumuis duriter ligarent, cæderent, in faciem conſpuerent, multasq́ue irrogarent iniurias: Rogo humillimè, vt veram mihi largiaris manſuetudinem, qua ſedato animo mea omnia peragam, modeſteq́; me apud alios habeam, atque manſuetè cum omnibus verſer, ſiue benignè, ſiue durius mecum agant. Qui viuis & regnas

cum

cum Deo patre & Spiritu sancto Deus, in omnia sæcula, Amen.

Die Martis, de patientia Domini.

PRimò diligenter aduerte singulare patiẽtiæ exemplum, quod tibi in tenerrima illa ætate, nimirum in sua circunciſione præbuit, in qua pretioſum ſuum ſanguinẽ benignè pro nobis fundens, graui illo vulnere tenellus adhuc infantulus afflictus fuit. Idcirco in te vitia omnia, omnes prauas affectiones, omniaq; mala deſideria circumcidere & amputare ſtũde: Et ſicut Chriſtus legem ex animo perfecit, ita etiam tu ne ad latũ vnguem à tibi præſcriptis viuendi legibus deflecte; quin potius ad eas temetipſum compone, licet id naturæ nonnunquam moleſtum videatur.

Secundò cogita, quanta patientia Iudæorũ omnes iniquas perſecutiones tolerarit, quãdo eum truculento vultu contuebantur, quando dæmonio obſeſſum dicebant, quando nũc lapidibus eũ obruere, nunc de monte præcipitare ſatagebant. Eſto & tu ergo patiens in omnibus iis, quæ tibi occurrunt, moleſtiis. Atque æquabilẽ te præbeto, modeſtũ & quietum in omnib⁹, quæ obiiciũtur tibi, vel impingũtur.

Tertiò contemplare, quanta fuerit eius patientia in domo Pilati, quãdo tot cõficta mẽdacia & iniquas calũnias patientiſſimè ſuſtinuit. Si quando itaq. tibi falſum crimen obiicitur, aut quauis alia iniuria prẽter meritũ afficeris, ita vt contẽnaris, vilis vel etiã improb⁹ habearis, tũc verbo illo Saluatoris te ſolare;

Non

Non est discipulus super magistrū suum, nec seruus maior domino suo: & illo, quod ad Pilatū dixit: Regnū meum nō est de hoc mundo. Ac proinde nec hic vllū quæras honorem.

Quartò considera, quā patienti animo probra, iniurias, atq. irrisiones in domo Herodis perpessus sit; & quo pacto ad Pilatū, non aliter atq. stultus & delirus, per plateas deductus, omnium risibus fuerit expositus: neque in his omnibus vel verbulum responderit, aut vllum impatientiæ signum exhibuerit. Sic tu patiēter taceas; etiamsi ob id simplex, rudis, vilis, imperitus, ac stultus reputeris.

Quintò meditare, quanta crudelitate sponsus atq. saluator animæ tuæ, columnæ alligatus, quanta patiētia durissima illa verbera propter te sustinuerit. Disce igitur etiam tu confusionem omnem, quocunq. modo ea tibi acciderit, non solùm infracto animo tolerare, sed ob Christi amorē libenter illi teipsum subiicere. Disce omnem incommoditatē, dura verba, & quicquid tibi aduersi acciderit, æquanimiter sustinere. Disce nec verbera, si quæ Christi amore inferātur, refugere: memor tot tantarumque plagarum, quas redemptor tuus Christus amore tui accepit.

Subiunges deinde precationem eiusmodi.

DOmine Iesu Christe, patientiæ speculum, & auctor omnium bonorū, qui tener infantulus circunciſionis dolorem patiētissimè tulisti, in omnibusq. Iudæorum conuitiis, & quas intulerunt plagis atq. diris flagellis, infractum semper animum, & benignum exhi-

exhibuisti: Obsecro, vt hanc mihi infundas gratiam, qua summa constantia, quæ Christianum hominem, officiumq; meum decent, perficiam, iniurias omnes illatas fortiter perferam; neque prorsus ad vllas aduersitates commouear: sed æquabili sim animo, tã in contrariis, quàm in rebus secundis. Qui viuis & regnas cum Deo patre, in vnitate, &c.

Die Mercurij, de obedientia.

PRimò hic de obedientia trium regũ cogitabis, qui statim visa stella, regnis, diuitiis, patriaq. relictis, ad exteras regiones profecti, recens natum regem inquisierunt, inuentumque oblatis muneribus prostrati in terrã adorauerunt. Et tu igitur in primis summa diligentia internas inspirationes, & sancti spiritus pias suggestiones obseruato: deinde sedulò, quod admonent perficito, Deoque voluntatem tuam in omnibus offerre studeto.

Secũdò, ad Christi Domini tui attẽde obedientiam, quod nulla in re sibi Christus pepercerit, vt patris voluntatẽ perficeret, in ieiuniis, in vigiliis, orationibus, cõcionibus, fatigationibus, quas pro conuertẽdis peccatoribus perpessus est. Quid multis? Adeò promptè Patri in omnibus obtemperauit, vt dicere sit solitus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, &c. Neq. tu igitur laborem vllum detrectes, qui tibi ex obedientia obeundus est: nec vllis impendiis parcas, vt proximi saluti consulas, quantumuis id tibi molestum videatur.

Tertiò, obedientiam summam Christi saluatoris admirare; quam non solũ Patri æter-

no

no ad mortem vsq. crucis præstitit: verũ etiam impiis tortoribus; quando illis purpuram induentibus morem gessit; iussus sedere, obtemperauit; imponentibus coronam spineam, inclinauit caput; & arundinem contumelioſè oblatam benignè susceptit; atq. ita in cæteris, quantumcunq. duris & acerbis, promptè obsequutus est. Libẽter igitur tu quoq. aliis obtempera in iis, quæ salua & bona conscientia, ac citra peccatum vllum facere queas: & facilem ac promptum te illis exhibe, qui operam tuam expetunt; in quocunque negotio, quantumuis molesto.

Quartò, illam non leuiter pertranseas obedientiam; qua præsidis Pilati iussione, ad populum ridendus ab omnibus Rex gloriæ processit, ludicra illa purpura indutus, spinea corona redimitus, arundinem manibus gestans, totoq. corpore miserè dilaniatus. Quanta hic confusione perfundebatur omnium ludibriis expositus; quamq. grauiter aures eius percutiebãt crudeles illæ durissimæq. voces, quibus omnes illi acclamabant: Crucifige, Crucifige eum! Esto igitur & tu obediens in toleranda quauis confusione & contumelia, à quocunq. siue meritò, siue immeritò illata.

Quintò cogita, quanta obedientia summus ille iudex viuorum & mortuorũ, iniquã mortis sententiam susceperit, ab Ethnico & impio iudice. Ideo & tu Dei in primis, deinde maiorum tuorum voluntatẽ in omnibus lubẽs perfice, ad mortem vsq. obedire paratus esto; nihil vana

vana aliorum iudicia, nihil verba aliorū reueritus à cœpto desiste, aut insyncerè quippiam age; quin potius tibi persuasum habe, hāc Dei esse voluntatē; nec quenquā in te vllam habere potestatem, quæ non sit data desuper.

Orabis denique tali modo.

DOmine Iesu Christe, summe totius orbis Imperator; cui ad nutum omnia obediunt; cui se reges inclinant & cui subsunt cunctæ prorsus creaturæ: Rogo te per insignem illam obedientiam, qua totū ita Patris voluntati subdidisti, vt fatereris esse cibū tuum eius iussionem implere: Neq. illi tantùm paruisti, verùm etiam hominibus quantumuis improbis; vt iudici Pilato in suscipienda mortis sententia; & impiis tortoribus in his, quæ ad inferendas pœnas iniquè præcipiebant: Rogo, inquā, vt gratiam mihi largiaris, qua tuis in primis sanctissimis mādatis & piis interni Spiritus sancti suggestionibus obtemperem; cæcam, velocem, alacrem, atq. humilem obedientiam superioribus meis libenter præstem. Qui viuis & regnas cum Deo patre, & Spiritu sancto Deus, in omnia secula benedictus, Amen.

Die Iouis, de amabili benignitate Christi.

PRimò considera, quā amabili Christus benignitate in illius senis Simeonis vlnis, præsensatus in tēplo, requieuerit: precare ipsum, vt in vlnis animæ tuæ quiescens, dulcedinem cordis tibi largiatur, & benignitatem amabilem, qua cum omnibus hominibus suauiter & amanter verseris.

Secundò benignitatem illam tecū expende, qua simplicium discipulorum, adeoque ipsius

proditoris Iudæ pedes, positis in terram genibus, & lauerit & terserit, & osculatus sit: qua etiam Apostolis & nobis omnibus, in perpetuam suæ passionis, suæq. erga nos immensæ charitatis memoriam, seipsum in sacramento Eucharistiæ dederit: qua denique benignitate eosdem, ob discessum passionemq. suam iam contristatos, in extrema cœna consolatus sit. Da ergo operam, benignum & affabilē te exhibere omnibus hominibus; etiamsi duro & alieno à te animo esse videantur.

Tertiò, cōsidera, quàm benignè ingēs peccatorū nostrorū pondus in se susceperit; ponderosam illam crucem in terrā accliuis benignè portarit; quamq. amicè ad mulieres conuersus, eas cōpellauerit, dicens: Filiæ Ierusalē, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, &c. Proinde hilari ac benigno animo iugum Domini Saluatoris sine obmurmuratione suscipito, neque vnquā tibi plus impositum esse causare, quàm merueris, aut ferre queas. Præterea, si quando aliquis operam tuam deposcat; non te morosum aut difficilem, sed benignum exhibe: neq. desidera, vt quis tibi compatiatur; quin potius tu aliis omnibus compatere; &, quo ad eius fieri poterit, subueni.

Quartò, expēde, qua benignitate iam iam cruci affigēdus, crudeles illos tortores iuuerit; dū illi vestes, vulneribus inhærentes, tā immaniter detraherēt. Sis itaq. etiā tu benignus illis, qui vitia tua, tuosq. defectus tibi aperiunt: nec tantisper exspectes ea exuere, donec te vel neces-

necessitas cõpellat, vel quispiã acriter vrgeat; sed illicò vt aduertis, quid alius in te reprehẽdere velit, ne te excusà; verùm agnita culpa tua, id omni conatu emendare contende.

Quintò, cõsidera, quàm benignè & amanter saluator tuus, in crucẽ tam horrendè proiectus, extenderit brachia sua, diris clauis cruci affigẽda; quamq. benignè eos aspexerit, qui illũ tam crudeli ac ignominiosa crucis morte afficiebant. Quocirca tu quoq. benigno, blandumque, atq. amabilẽ vultũ iis omnibus præbeto, qui tibi vel maximè aduersantur: lætoq. animo de manu Domini susципito, quicquid aduersitatis occurrit; & vires deniq. tuas omnes alacriter libenterq. in Dei seruitium, fratrúmq. tuorum vtilitatem exponito.

Postea autem sic orabis.

DOmine Iesu Christe, benignissime Deus; qui summa semper amabilitq; benignitate erga tuos vsus fuisti; quando infantulus in vlnis Simeonis requiescebas; quando Apostolorum lauabas pedes; quando crucem ponderosam baiulans, ad mulieres conuersus, eas consolabaris, vestibus spoliabaris, & manus crudeliter perforandas porrigebas. Precor te, vt etiam benignitatem amabilem mihi conferas, qua cum omnibus, prout conuenit, verser; animi summa dulcedine cum illis agã; nec aduersantibus sim asperior quàm fauentibus; verùm amabilem dulcemq; benignitatem omnibus exhibeam. Qui viuis & regnas cum Deo Patre & Spiritu sancto Deus, in secula benedictus, Amen.

Die Veneris, de inæstimabili, ardentißimaq; charitate Christi Domini.

PRimò cogita diligenter, quam, a Christus Dñs accensus fuerit charitate, quãdo vt te hæredẽ constitueret regni patris sui, profugus esse voluerit in terra aliena, furorẽ Herodis in summa paupertate, infantulus adhuc tenerrimus cũ matre declinans. Fuge igitur, qualibet tentatione ingruente, in amabile cor Christi, eiusq. aperta vulnera: in iis ineffabilẽ eius bonitatẽ atq. charitatem contemplare: è regione autem tuam abiectionem, malitiam & infidelitatem: vt ex tali consideratione, superbus tuus arrogansque animus deprimatur; & ad Deum redamandum inflammetur.

Secundò, perpẽde, quàm singulari dilectione omnes homines prosequatur; dũ cunctos, quibuscũq. premãtur miseriis aut malis, amãter ad se inuitat, vt eos subleuatos recreet; Venite (inquiens) ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Tu itaq. magna cum fiducia ad ipsum accede, quantumcunq. te peccata grauent; sperans, si modò illi obtemperes, certò te liberatum iri. Daq. operã, vt Dei amorẽ in temetipso experiare, qui efficiet, vt nihil tibi durũ sit aut molestũ; iuxta illud D. Bernardi: Amanti nihil difficile.

Tertiò considera tecũ sedulò, quanta charitate animæ tuæ sponsus vires suas omnes tribus cõtinuis horis in ligno crucis suspẽsus exhauserit, atq. ita planè sacratissimũ eius corpus exaruerit, vt nihil in eo remãserit humoris. Tu ergo

ergo vt tãto amori aliquid repẽdas in eius seruitium, nihil tibi parcas, sed in iis quæ grata illi fore cognoscis, libenter vires tuas omnes eius amore consumas. Cura autem sedulò, ne eas in proprio tuo iudicio, atq. volũtate, & prauis concupiscentiis adimplendis expendas.

Quartò, quanto amore septẽ illa postrema verba cruci affixus protulerit, perpẽde; quibus ille nobis immensam charitatem, quam cordi inclusam tenebat, testatã reliquit. Ecce igitur in verbis tuis Christi amore, tã modestus atq. maturus; tamq. verax, humilis, & benignus; vt facilè quiuis animaduertere possit, te verũ Dei timorem & amorem in corde gestare.

Quintò, diligenter tecũ animo versa, quàm ineffabilis fuerit illa charitas, qua Deus summus, in maximis cordis angustiis, & totius mundi opprobriis, pro te viliſſimo vermiculo, illã crucis acerbissimã mortẽ perpessus fuerit. Tu, qui nihil dignũ tãto amore referre potes, hoc tantũ conare, vt sensualẽ omnem affectionẽ in te mortifices; radices vitiorum euellas; atq. ita te cõponas, vt mundo mortuus soli Christo viuas, eiq. te totum dedas, qui ad extremã vsq. ignominiam, summosq. cruciatus, seipsum totũ tibi impẽdit, quãdo & sanguinẽ vniuersum in tuã vtilitatẽ profudit, & animã deniq. ipsam pro tua salute liberalissimè dedit.

Hanc demum subiungas orationem.

DOmine Iesu Christe, Charitas increata, qui tãto amore salutẽ nostram semper sitiuisti; vt tanquam profugus in aliena terra peregrinari dignatus

sis, cuius est terra omnis et plenitudo eius; vt præterea omnium hominum, qui ad te veniunt, miserias & calamitates sustollere promiseris: denique, qui immensos nostri causa exantlatos labores, etiam sanguine vniuersum profundere, & animam pretiosissimam pro nobis ponere volueris: per hæc te supplex oro, vt mihi veram charitatem infundas; qua te in primis ardentissimè diligam, deinde proximum omnẽ in te, & propter te summo complectar amore; nihilq. mihi in rebus vllis carã, quibus vel tibi, vel proximo obsequiũ aliquod exhibere queam, quãtumuis id durum sit mihi atque molestum. Qui viuis & regnas cum De patre, & spiritu sancto Deus, &c.

Die Sabbati, de Liberalitate & Compassione Christi Seruatoris.

PRimò illam liberalitatem expẽde, qua seipsum puer duodecim annorum in templo manifestauit hominibus, declaraturus ob quã causam in hunc mundum venisset; nimirũ, vt cælestis sapientiæ ac diuinæ gratiæ suæ thesaurũ liberaliter nobis cõmunicaret. Semper igitur tibi ob oculos pone, qua de causa in hũc mundũ veneris: videlicet nõ vt tua consecteris cõmoda; aut tibi plus æquo indulgeas; sed vt te potius deseras; te totũ diuinæ voluntati & obsequio, proximorũq. tuorum vtilitati offeras; atq. aliorum commoda tuis præponas.

Secundò, vt summam Christus Saluator liberalitatem omnibus exhibuerit, aduerte. Aliquando enim in medio populi stãs, ita clamauit: Si quis sitit, veniat ad me & bibat: paratum se ostendẽs, omnibus omnium necessitatibus

tibus subuenire. Idcirco esto etiã tu erga omnes liberalis. Et si quando accidat, vt opere illis succurrere nequeas; tunc verbis piis, atque indiciis aliis exterioribus, talem te exhibeas, vt vel sic cordis tui liberalitatem declares.

Tertiò cõsidera, vt liberalissimè tibi cordis sui pretiosum sanguinem propinarit; quando sacro latere aperto, quidquid reliquum erat in corpore sanguinis, profudit. Tu vicissim te illi gratum præbeas; atq. ob eius amorem in omnia, quæ etiam naturæ molesta sunt, libenter effunde.

Quartò, de summis & internis sacratissimæ matris doloribus diligenter cogita; quanta videlicet cordis tristitia, toto illo passionis tẽpore, affecta fuerit; quando oculis ipsa suis dilectissimum filium suum in cruce suffixũ conspexit; quando in tantis eum angustiis, & in tantis cruciatibus morientẽ vidit: quando deniq. post mortẽ sinu suo eũ complexa, omnia eius vulnera maximo animi mœrore cõtemplans, lachrymis irrigauit. Proinde tu de spõsi tui passione sæpius cogitans, sedulò eam mente reuoluens; Christo eiusq. benedictæ matri cõpatere, dolorem aliquem in te excitãs, quòd tam ingentes cruciatus in gratiã tui Saluator Christ⁹ fuerit perpessus. Gere te interim apud omnes modestũ atq. maturum, citra vllã animi vacillationem ac dubitationem, tam in aduersis quàm in prosperis, ac iis omnibus, quæ vel lætitiam vel mœrorem adferre possunt.

Quintò deniq. perpende, quãto dolore ma-

tris ac aliorum piorū hominum, Christus Dei filius sepultus sit. Tu igitur da operam, Christi Domini tui passionē in corde gestare; eamq. sæpius mente reuoluere; præterea conscientiæ tuæ sepulchrum frequenter vera contritione, ac oris Confessione purgare; deniq. voluntariè ac liberali animo, in memoriā passiònis Christi, pœnitentiam peccatis debitam exoluere. Omnia in laudē Saluatoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus, in secula benedictus, Amen.

Postremò, eiusmodi ad Deum orationem fundas.

DOmine Iesu Christe, potentissime atq. liberalissime Deus; qui summa liberalitate teipsum totū nobis donasti, quando in maximis laboribus, & corporis molestiis nihil tibi parcens, omnes sitientes ad te venire iussisti, vt aqua salutari eos potares, & liberalissimè cœlestis sapientiæ diuinæque gratiæ thesaurum illis communicares; deniq. sanguinē vniuersum, illum etiam, qui in corde interioribusq. visceribus latebat, vt te totum nobis impendere non dubitares, liberalissimè effudisti. Oro vt mihi liberalē des animum, quo non solùm in tuum obsequium, sed in auxilium quoq. salutemq. proximorum, me totum, meaq. omnia liberaliter impendam. Fac etiam (precor) vt sedulò & continenter passionem tuā, doloremq; sanctissimæ matris in corde gestem; quorum meditatione vitā meam, Christiano homine, & vocatione mea dignam traducam, animumq. meum ita componā, vt dignus sit, in quo per gratiam tuam quiescas & habites, vnà cum Patre & Spiritu sancto, in omnia secula, Amen.

CAPVT

CAPVT XXVII.

ORATIO D. THOMAE AQVINATIS, studio literario fructuosè præmittenda.

CReator ineffabilis, Domine meus, & Deus meus, qui de thesauris tuæ sapientiæ nouē Angelorum choros condidisti, & eos super cælum Empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissimè partes Vniuersi distribuisti: tu, inquam, qui verus fons luminis & sapiētiæ diceris, atq. supereminēs principium; infundere digneris, super intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis; duplices à me remouēs tenebras peccatum scilicet & ignorantiam, in qua natus sum. Tu qui linguas infantum facis disertas, linguam meam erudias, atq. in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligēdi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatē, addiscendi facilitatem, & loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas progressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum, &c.

ALIA ORATIO, QVAM B. THOMAS quotidiè flexis genibus recitasse dicitur, diuinæ sapientiæ studioso apprimè conducibilis.

COncede mihi quæso omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt, diligenter & ardenter concupiscere, prudēter inuestigare; veraciter agnoscere; & perfectè adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meū: & quod à me requiris vt faciam, tribue vt sciam, possim, & velim; & da exequi vt oportet, & expedit saluti animæ meæ. Via mihi, quæso, ad te sit tuta, recta, & consummata, non

deficiens inter prospera & aduersa, vt in illis non extollar, & in istis non deprimar; vt in prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiam.

De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoueat ad te, vel quod abducat à te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi. Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum deuotione.

Vilescāt mihi omnia trāsitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua; & tu Deus meus plus quàm omnia. Tædeat me gaudij, quod est sine te; nec cupiam aliquid, quod est extra te. Delectet me omnis labor, qui est pro te; & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi dulcissime Domine cor meum ad te dirigere, & defectionem meam, cum emendationis proposito, dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine grauitate, agilem sine leuitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, diligere sine simulatione, ipsumq; ædificare verbo & exēplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi dulcissime Iesu cor peruigil, quod nulla abs te abducat curiosa agitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da inuictū, quod nulla fatiget tribulatio: da liberū, quod nulla sibi vendicet violēta delectatio: & da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Lau-

Largire mihi dulcißime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te inuenientem: conuersationem tibi placentem; perseuerantiam te dulciter & fiducialiter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via vti per gratiam, & gaudiis tuis in patria frui per gloriam. Amen.

CHRISTIANARVM INSTITVTIONVM LIBER II.

CAPVT I.

REMEDIA AD ORTHODOXAM *fidem conseruandam.*

PRIMO, humilitatē ex animo colere. Sicut enim impossibile est hæreticum non esse superbum, vt qui iudicium suum totius Ecclesiæ iudicio præponit: ita fieri non potest, vt humilis labatur in hæresim, nisi humilitatem abiiciat. *Nō veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatē*: ibi, hoc est, in pede superbiæ, ait D. Augustinus. *Psal. 35.*

2. Frequēs vsus Sacramentorū Pœnitentiæ & Eu-

& Eucharistiæ. Quia enim per hæc Sacramẽta, & maximè per Eucharistiam, nõ solùm fides confirmatur, sed spiritualiter etiam gustus confertur, vt gustemus & videamus, quàm suauis sit Dñs: fit per crebrã communionẽ, vt homo nõ modò credat, sed quodammodo sapiat & experiatur vera esse, quę fides proponit.

Ioan. 6. Atq. hoc est, quod Christus dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*: hoc est, perseuerabit in Ecclesia mea, & Spiritus meus manebit in eo.

3. Frequẽti meditatione exercere se, in cõsideratione charitatis Dei, in genus humanũ; quam ex innumeris beneficiis nobis collatis tantam esse constat, vt intellectum excedat & Angelorum & hominum. Huic sanè charitati non est consentaneũ, mundum vniuersum sine fide, sine vero sacramentorũ vsu, sine recta intelligentia scripturarũ, mille quingentis annis, in summis relictũ fuisse erroribus, donec vnus Apostata monachus, qui ruptis castitatis & aliis religionis votis, sanctimonialem Deo consecratam atq. velatam, sacrilegis sibi nuptiis iunxit; tã diuturni erroris & falsitatis orbem vniuersum argueret; damnatis tot sanctis Patribus, qui & miraculis, & vitæ sanctimonia claruerunt: cùm iste & miraculũ nullũ ediderit, & fateri in publica ad populũ cõcione non erubuerit, se dęmonẽ probè nouisse, & ab eo vicissim bene cognitũ esse, cũ eoq. plus quam modium salis comedisse (quod lõgæ familiaritatis est argumentum) imò scriptis libri

bris testatum posteris reliquerit, diaboli secum nocte disputantis argumentis se conuictum, sacrificium Missæ de medio sustulisse. *Lib. de Missa angulari, To. 7. editionis VVittenbergensis. fol. 228.*

4. Perpendere diligẽter, & seriò promissiones Dei Ecclesiæ factas, quæ tantę sunt, vt iis cognitis, nullus sit reliquus errori locus. Est enim *primò*, Ecclesia firmamentũ & columna veritatis, hoc est, quę non solùm veritatẽ secũ habet, sed quæ sola veritatẽ, ad instar columnæ & firmamenti, sustẽtat, & apertè omnibus demonstrat. Vnde, sicut nullus error fidei in doctrinam Ecclesiæ potest irrepere: ita neque extra Ecclesiam est veritas sine errore. *Secundò*: Ecclesia in doctrina morum errare nõ potest: cùm sit à fidelibus, in qualibet admonitione, instructione, & reprehensione sic audienda; vt qui eius monitis obtemperare nollet, grauissima pœna, quæ mortalibus infligi potest, sit afficiendus: nempe excommunicationis gladio à Christi corpore separandus. *Si* (ait Dominus) *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* *Tertiò*: Ecclesia est Christi sponsa. Sponsam autẽ nihil potest latere arcanorum sui sponsi. *Quartò*: Est corpus Christi, eodem spiritu sancto afflatum. Quare neq. à capite separari potest, (*Ego*, ait, *vobiscum sum omnibus diebus, vsq. ad consummationem sæculi:*) neq. ignorat mẽtem sui capitis, si idem sit capitis & corporis spiritus. *Nemo* (ait Apostolus) *nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Nos autem Spiritum Christi habemus: & qui Spiritum Christi non habet, hic nõ est eius.* Vnde & Do- *Matt. 18.* *Mat. 28.* *1. Cor. 2.* *Rom. 8.*

Ioan. 16. & Dominus promisit, se Ecclesiæ daturũ paracletum spiritum, qui eam doceret omnẽ veritatem. *Quintò*: Ecclesia est congregatio, non occulta & latens, sed aperta: sicut ciuitas supra Matt. 5. montem posita, & candela posita super candelabrũm, vt omnes, qui in domo sunt, lumen videant; id est, vt ab omnibus videri possit; tã iis, qui ad fidem Christi conuertũtur, vt sciãt quò sit eundũ, & à quo sit fides petẽda: quàm iis qui sunt in Ecclesiam admissi, vt sciant in dubiis quæ sit consulenda, & in doctrina quæ Matt. 18. sit audienda. *Dic*, inquit, *Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, &c.* *Sextò*: Ecclesia hoc modo in monte fundata, & in luce constituta, non est vnius anni, nec vnius seculi, sed omniũ dierum atq. annorum vsq. ad consummationem Matt. 16. sæculi. *Super hanc petram* (ait) *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam*, hoc est, firmissimè eã collocabo, aduersus quã tametsi omnis industria, sapientia atq. potentia dæmonum sit insurrectura: nunquã tamen præualebit, vt eam deiiciat. Si igitur hæc Ecclesia habeatur tam illustribus priuilegiis instructa, quæ neq. errare, neq. errores in doctrina fidei vel morum docere, neq. superari possit vlla vi aut arte; quæ scripturas, & verba optimè nouerit atq. intelligat sponsi sui; quæq. spiritu eodem cũ suo capite, & sponso sit imbuta: nõ est locus hæresibus: quia in omni dubitatione recurrendum erit ad Ecclesiã, iuxta Matt. 18. Christi præceptum: *Dic Ecclesiæ*. Et, *Qui vos au-* Luc. 10. *dit, me audit.*

Sed

Sed vbi sit ista Ecclesia, quæritur. Hoc sanè ex scripturæ verbis apertè constat, talem aliquam esse, & à Christi tēporibus extitisse, atque ad consummationem vsq. sæculorū mansuram, qualem iā descripsimus. Vbi autem illa hactenus fuerit, & quęnā illa sit etiamnum, his duobus indiciis ostēdi potest. Primò quidem, ex omniū Christianorum cuiusuis status & nationis vnanimi consensu. Sicut enim Romanā vrbem eā agnoscimus, quæ ad Tyberim: Parisiensem, quæ ad Sequanam: Colonienſem, quæ ad Rhenum est posita: quia hactenus mundus vniuersus has vrbes pro talibus habuit: Ita, si quę Ecclesia pro vera & Catholica Christi Ecclesia, ab orbe vniuerso 1500. annis est habita, ea certè pro tali nobis est veneranda. Et sicut si post tanti tēporis totius orbis confirmationē, quispiam aliud opidum, à paucis annis exædificatum, tibi veram illam & antiquā Coloniam esse diceret, antiquorū Imperatorum priuilegiis & libertate celebrem: adeò nihil persuaderet, vt etiam tanquam insanum ridendū & explodendum se proponeret. Ita, qui post 1500. annos, aliam tibi Ecclesiam demonstrare conatur, à paucis annis coactam, eamq. docere veram illam esse Ecclesiam, quam Christus innumeris priuilegiis donauit; errasse autem omnes, qui 1500. annis hunc cœtum non agnouissent: non solùm audiendus non est, sed pro insano habēdus; tum, quod vniuersum orbem præ se erroris accuset; tum, quod recenti & nuper nato con-

conuentui tantam antiquitatē tribuat. Ex his facilè videre est, quænā sit vera Ecclesia, quia ante annos 70. cùm necdum vllus ex aliis cœtibus natus esset, vbicunq. per orbem Christianum; potissimùm verò vbi nunc nouæ sectæ vigent, si quis de vera Ecclesia quæsiuisset, nulla alia quàm Ecclesia Romana ostensa fuisset. Posteriori verò indicio idem ostenditur, ex dictis superius priuilegiis, Ecclesiæ suæ à Christo relictis. Si enim quæras Ecclesiam hodie, quæ sit, aut fuerit aliquando per orbem vniuersum diffusa vel agnita, & cui⁹ origo cōstanti & non interrupta successione ad Christum & Apostolos deduci possit: nullam inuenies aliam, quàm Romanam. Sicut enim nos credimus: ita crediderunt maiores nostri ab annis 100 ab annis 200. 300. 400. vsq. ad annos 1086. neque demonstrari potest, quando primùm, vel à quo sit fides nostra violata aut mutata. At verò sicut credunt nouæ sectæ Lutheri, Buceri, Caluini, &c. ante 70. annos, nusquam in orbe creditū est: cùm omnibus constet, Martinum Lutherum anno 1517. errores istos primùm excogitasse & innexisse. Atque etiam hodie, errores isti angustiis certorū locorum continentur: Lutheranismus, Germania: Caluinismus, Gallia & Anglia: Zvvinglianismus, Heluetia: extra Europam autem neque sunt, neque fuerunt vnquam vel de nomine cogniti.

5. Vitare lectionem librorum vetitorum, & hæreticorum conciones, familiaritatem, atque collo-

colloquia. *Hæreticum*, ait Apostolus, *post vnam & secundam correptionem deuita*. Quia vt verba loquentis vim habēt mouēdi: ita scripta ad permouendum maiore artificio sunt elaborata. Legendi potius sunt sacri Doctores, quos constat vitæ sanctitate & eruditione præcelluisse; & frequenter miscendi sermones cum doctis & piis. Quia tamen in tanta multitudine hæreticorum, fieri vix potest, vt non aliquando cum illis agamus: in promptu habēdæ sunt rationes, quibus auitam fidem Ecclesiæ tueamur *Parati* (inquit Apostolus) *semper ad satisfactionem omni poscēti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe*. Non quod necessum sit, à singulis articulis controuersis omnes esse instructos, sed quod expediat generales quasdam nouisse solutiones communium argumentorum. Veluti si obiiciant, in sacris litteris non haberi, inuocandos esse sanctos, venerandas imagines, abstinendum à carnibus, aut aliquid eiusmodi: non ergo ista esse facienda. nos cōtra obiiciamus & quidē efficacius: hæc sacris literis non prohiberi: atq. sine peccato fieri posse. quia vbi non est lex, ibi nec præuaricatio. Tit. 3. 1. Pet. 3. Rom. 4.

Item si dicant, nihil esse fide tenēdum, nisi quod sacris literis continetur: nos contrà dicamus, si hoc admittatur, manifestè sequuturū, Euangelium secundum Matthæum non esse à Spiritu sancto dictatum: quia nusquam in vniuersa scriptura habeatur, hoc Euangelium vel esse dictatum à Spiritu sancto, vel esse in Catalogo librorum sacrę scripturę. Hęc enim

obiectio illos eò ducet, vt fateri cogantur, aliqua esse recipiēda atq. credenda, quæ scriptura sacra non contineantur; sed ea tantū reiiciēda, quæ cū scriptura sacra apertè repugnāt.

Si verò eiusmodi aliqua loca scripturæ ab iis adferantur, quæ videantur aduersari doctrinæ Ecclesiæ: si quando Catholicorum Patrū expositio nō occurrit, hæc vna solutio sufficiet: scripturas illas dogmatibus Ecclesię non esse contrarias, quantumuis prima fronte videantur. Nam licet earum genuinam explicationem ad manum non habeamus (sunt enim scripturæ difficiles, & studio egent, quod non est omnium) ante multas tamen annorū centurias, priusquam hæresis in orbem veniisset, Catholicos doctores per vniuersum orbē scripturas istas sic ad mentem Christi intellexisse, vt nihil planè cū doctrina Orthodoxa Ecclesiæ, quam iidem ipsi tuebantur, pugnarēt.

Rursus si quærāt, cur libeat tanto tempore in antiqua ista Ecclesia hærere, cùm potius sint eligenda noua, quàm vetera? Dicendum *primò*: non omnia vetera abiicienda esse, neq; omnia noua veteribus præferenda. Aurū vetus præfertur nouo; & si senex manum suam veterem amputare velit, non inueniet aliam commodiorem, etiamsi argenteā aut auream substituat. Dicendum *secundò*: quò velint nos relicta Romana Ecclesi abire, ad Lutheri, aut ad Protestātium, vel ad Caluinistarum, an ad Anabaptistarum sectā? Hi enim ex æquo omnes Romanam Ecclesiam damnant, & veram scri-

scripturarum intelligentiam iactant. *Tertiò:* quæ sit ratio, cur illi nos velint antiquam fidem deserere? quid apud ipsos præclarum sit, quod nos ad mutationem tanti momenti, vnde animæ salus dependet, mouere debeat? Nã si vitia spectes superiorum: scimus Christum præmonuisse: *Quæcunque dixerint, seruate & facite; secundum opera autem eorum nolite facere:* neq. tantæ sunt hæreticorum ministrorum virtutes, vt ijs magnoperè cedãt mores sacerdotum Catholicorum. quin potius, incorruptus arbiter, maiorem vitæ integritatẽ atq. doctrinam in Romana Ecclesia, quàm in vllis sectis deprehendet. Si scripturarum intelligentiam consideres: ante exortas hæreses, Ecclesia, quæ scripturas habuit, earum etiam intelligẽtiam habuit. Cur ego ab Ecclesia scripturarum libros accipiam, & eorundem intelligentiã non accipiã? Cur credam dicenti hoc esse verbum Dei, & non credam docenti, hunc esse sensum verbi Dei? cur credam in numero librorum, & non credam in sensu librorũ? Sanè in die iudicij, corã Christo seuero iudice, securior erit Catholicus quouis sectario. Ponamus enim falsa esse, quæ Romana Catholica Ecclesia credit: in exacto illo iudicio, cùm Christus quæret: Cur ita de me meisq. sacramẽtis credidisti? securè respõdebit Catholicus. Primò, Quia Ecclesia per vniuersum orbem nos ita docuit, quam tu audiendam iussisti. Secũdò, Quia nos ita docuerunt maiores nostri, qui eandem fidem à suis se maioribus accepisse, & Matt. 23.

illos rursus à maioribus suis, ad Apostolorum vsq. tempora, testati sunt: neque tempus scire potuimus vnquã, quo fides hæc, quæ à te Apostolis tradita, ad nos vsque per manus venisse dicitur, vel in minimo violata fuerit: maximè cùm tu B. Apostolo Petro disertè promiseris:
Matt. 16 *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ Inferi non prævalebunt aduersus eam:* Et ascensurus in cælum dixeris:
Mat. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq. ad consummationem seculi:* Tertiò, Quia viri illi, qui fidem illam nos docuerunt, & ad finẽ vsq. vitę retinuerunt, clarissimi fuerunt & eruditione & morum probitate, quorum sanctitatem tu ipse miraculis comprobasti. Sanè ergo, si error in nobis fuit, tu Domine nos decipisti. Eorũ enim vestigia, quorum tu vitam tibi placere declarasti, secuti sumus. Denique, quia nihil vidimus in doctrina fidei nostræ, scripturis & verbis tuis repugnãs. Licet enim aduersarij nostri multas nobis scripturas obiecerint: ita tamen illæ omnes à Doctoribus nostris, ante multas annorum cẽturias declaratæ fuerunt, vt planè nihil cũ doctrina Catholica pugnare viderentur. Quis autem eram ego, qui fidem tam antiquã, per totum orbem diffusam, tot miraculis illustratam, tãta omnium Catholicorum consensione seruatam, à tot Patribus explicatam, reiicere auderem, vel erroris arguere? Contrà, vbi ex sectario interrogabit Dominus: & quid te impulit, vt relicto ouili meo, ad luporum gregem te conferres? quid poterit adferre, nisi:

Mar-

Martinus Lutherus nos decepit, Caluinus seduxit, Bucerus peruertit? At rursus Dominus, quid (inquiet) in his doctoribus vidisti, quod te ad fidē mutandam, & Ecclesiā tot seculorum deserendam impelleret? Fortè miracula ediderunt, vel insigni sanctitate viguerūt? Atqui tibi per Apostolum meum dictum fuit: *Si Angelus de cælo vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, Anathema sit.* Si in religionis mutatione nec Angelis est fides adhibenda, quanto minus hominibus, sine miraculorū testimonio, sine vitæ probitate? quales enim prædicti fuerint, nouit orbis vniuersus. At dicet forte hæreticus: vidimus in Romana Ecclesia multos errores scripturis tuis non consentaneos. Sed Dominus iterum: & à quo scripturas sacras accepistis? nónne à Romana Ecclesia? illa autem totis 1500. annis tam socors fuisse in enarrandis scripturis credenda est, vt tanto tēpore non aduerteret, se cum scriptura pugnare? & si illa scripturas eo sensu exposuit, vt nihil cum auita fide pugnarent: cur tu nouas & inauditas expositiones secutus, vniuersum orbem erroris damnasti, & non potius Ecclesiæ fidem & explicationes secutus fuisti? Magis enim rationi consentaneū tibi esse debebat, illum esse verum scripturarum intellectum, quem per vniuersum orbem tot seculis docuit illa Ecclesia, quę tibi scripturas tradidit; quàm illum, quē post 1500. annos, quiuis nouorum Doctorum commentus est. Galat. 1.

Qui candido animo ista præcogitaret, quæ

certo certius post mortem ventura sunt, nõ facilè ad errores declinaret; sed veram retineret
Hebr. 11. Romanam Catholicam fidem, sine qua impossibile est placere Deo.

CAPVT II.

REMEDIA CONTRA IVRANDI *consuetudinem.*

Mat. 12. PRIMO considerare, si de omni verbo otioso sit ratiõ reddenda in die iudicij, quanto magis de iuramento, per quod irrogatur insignis iniuria Deo, cùm ad quasuis nugas vocatur in testem. Sicut enim vir grauis, si ad nugas pueriles testis adhiberetur, existimaret honoris sui non haberi rationem: ita Deus meritò indignatur, quoties rem quamlibet leuem sui nominis compellatione videt comprobari, quod sanctum est, terribile & adorandum.

2. Cogitare, quod in frequenti iuramẽto sit graue periculum periurij. Qui namque iuramentis assueuit, subinde per malam cõsuetudinem, etiã ea, quę falsa sunt, iuramento con-
Chrysost. hom. 8. *ad pop. Ant.* firmat. Omne autem periurium est mortale peccatum, adducens mortem æternam. Idem etiam quandoq; iuramento promittit, cuius
Mat. 14. posteà pœnitet: sicut Herodi contigit, qui ne iusiurandũ violaret, dedit saltatrici caput Ioannis Baptistæ.

Hom. 7. *ad pop. Ant.* 3. Perpendere, quod nihil vtilitatis ex mala ista cõsuetudine oriatur. Quia (vt ait B. Chrysostomus) frequenter iuranti minus credi soler,

let, etiamsi seriò iuret. Et lõgè facilius est, rem sine iuramento confirmare, quàm sacramentum tam leuiter adhibere. Dæmon solus iuramentis oblectatur, quòd per ea videat nomen sacratum Dei prophanari.

4. Ex diuinis vltionibus, quæ iurantes & diuinum nomen blasphemantes sequutæ frequenter fuerunt, metum assumere. Nam Leuitici 24. Blasphemus iubetur lapidibus obrui: & nota est historia B. Gregorij, de puero quinquēni, à dæmonibus è sinu patris ob crebra iuramenta sublato. *Lib. 4. dialog. cap. 18.*

5. Si seriò quis statuit hanc prauam iurandi consuetudinem deponere, proponat in septimanas aut menses aliquot, certam aliquam eleëmosynam pauperibus erogare, pro quolibet iuramento, in quod lapsus fuerit: atque ne istius rei obliuiscatur, curet se à familiaribus moneri, quoties iurasse aduerteretur. Si pauper sit, aliam sibi pœnam imponat. Ita D. Chrysostomus: Ego te, inquit, quendā docebo modum, quē si tenueris, superabis omnino. Cùm videris teipsum, vel alium quemquam vel seruorum vel filiorum, vel vxorem hoc malo captos, & continuè commonefactos neq. correctos: iube non pransos cubare, & hanc tibique & illis damnationem impone, damnationem non damnum, sed lucrum ferentem. *Homil. 5. ad pop. Ant.*

CAPVT III.

PRO HONORE PARENTVM *& superiorum.*

PRIMVM, vt cogitemus, cuius loco sint superiores, nempe loco Christi, quem repræsentant, quemadmodum imago prototypum. Proinde sicut imagini Christi honorem omnem habemus, aut potius Christo in illa: ita superioribus habẽdus est honor, talibus imaginibus conueniens, nempe non externa tantùm reuerentia, sed obedientia, interno amore, & externo obsequio.

2. Considerare, quanta parẽtes passi sint pro nobis, & quantum onus pro nobis sustineant Superiores. Hoc argumento monebat Tobias filium suum: *Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ eius. memor enim esse debes, quæ et quãta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Et B. Paulus Hebræos; *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gemẽtes. Hoc enim non expedit vobis.* Qui tam multa pro nobis sustinent, meritò sunt honorandi à nobis. Nam licet mali superiores de suis subditis sint parum solliciti, non ideo tamen minus onus sustinent reddendæ rationis pro nobis: quod eo erit illis grauius, quo negligentius in curam ouium suarũ incubuerũt.

Tob. 4.

Hebr. 13.

3. Considerare mercedem honoris, parentibus & superioribus exhibiti. Si enim illi sint loco Christi: sanè quicquid illis præstatur, cẽsetur Christus sibi præstari: sicut, quod fit Lega-

to,

to, sit Domino Legati. Proinde, sicut mercenarius à famulo nomine heri ad laborem vocatus, mercedẽ expectat à Domino, pro Domini liberalitate & opibus, non pro conditione & paupertate famuli: ita qui superioribus loco Christi obtemperat, amplissimam meritò expectare potest mercedem, pro diuitiis & liberalitate Christi. Et sicut ditissimus ac liberalissimus princeps, nihil patitur sibi, vel minimum, gratis à quoquam, potissimùm verò paupere, fieri: ita Christus nullũ opus, quãtumuis exiguum, ex obediẽtia susceptum, sine amplissima mercede relinquet. Qua ex re hæc duo sequuntur: *Primò*, meliorem esse subditorum, quàm superiorum conditionem; vtiliusq. esse subesse, & parere, quàm iubere. *Secũdò*, fœliciſſimos esse eos, qui in omnibus suis rebus & actionibus à maiorũ obedientia pẽdent, neq. aliquid agũt vel aggrediuntur, nisi ex superioris voluntate. Sicut namq. vtilissimũ est mercenario, nihil operari, nisi ex præscripto Domini (quod enim ex sua volũtate agit, non meretur mercedem à Domino, sed quod agit ex Domini præscripto) ita quicquid ex obedientia præstatur, mercedem peculiarem obedientiæ accipiet. Atq. hinc est, quod præcepto de honorandis parẽtibus promissionem Dominus peculiarem adiunxerit, non solùm *Ephes. 6.* præmij post hanc vitam, sed etiam in hac vita: vt ostenderet, se esse illum, qui honoris & obedientiæ mercedem est daturus.

4. Considerare, quàm grauiter puniueris

eos Deus, qui parentibus aut superioribus honorem non habuerunt, sed molestiã exhibuerunt, iuxta scripturam: *Quàm male famæ est, qui derelinquit patrem; & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Primò: Cham, irriso patre, maledictus est in sua posteritate. Secundò: Esau inobediens parentibus, amisit nobilissimã benedictionẽ. Tertiò: filij Heli eodem die perierunt. Quartò: Absalon persequens patrem, ex arbore pendens confossus interiit. Quintò: Chore, Dathan, & Abyron à terra absorpti sunt, propter murmurationem in Moysen. Sextò: Soror Moysis, eadem de causa, lepra percussa est.

Eccli. 3. *Gen.* 9. *Gen.* 26. & 27. *1. Reg.* 4. *2. Reg.* 18 *Num.* 16 *Num.* 12.

5. Intueri reuerentiam Christi, quam habuit, non tantùm patri cælesti, cui fuit obediens vsque ad mortem crucis; sed etiam Matri & Ioseph. *Et erat* (ait scriptura) *subditus illis.* Matrem suam in hac vita repleuit gratia, & super mulieres omnes benedixit: post hãc vitam autẽ repleuit gloria, & super omnes creaturas collocauit: nempè amiciuit Sole, hoc est, gloria Dei: & Lunam, id est, vniuersam Ecclesiam, tam cælestem triumphantem, quàm terrenam militantem, subiecit sub pedibus eius, imponens capiti eius diadema stellarum duodecim, hoc est, dans ei gloriam omnem, quam habent sancti vniuersi in cælo.

Philip. 2. *Lucæ* 2. *Apoc.* 12.

CAPVT

CAPVT IIII.
REMEDIA CONTRA DE-*tractionis vitium.*

PRIMVM est, seipsum, vitiaque sua diligẽter intueri. Sicut enim qui domi multis negotiis distinetur, non habet ocium aliena curandi: qui autem alienis occupatur, apertè declarat, vel nõ esse domi suæ quod occupationem requirat; vel sanè si sit, non rectè curari. Ita qui diligens est inspector cõscientiæ suæ, tam multa in ea reformãda inueniet, vt non sint illi curæ vitia proximorum: & qui alienis vitiis carpendis detinetur, ille indicat se negligentem esse suorum morum cẽsorem. Nullus est enim detractor, nisi conscientiæ propriæ negligẽs curator: & quo quis pluribus vitiis abundat, eo pluta eaque minutiora in aliis carpit.

2. Considerare, hoc peccatum detractionis non sola pœnitentia deleri; sed sicut in furto non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: ita hic non tolli culpam, nisi fama ablata reddatur.

3. Considerare, detractorem esse causam peccati multorum. Quicquid enim ab auditoribus ex auditis referendo committitur, id totum à Deo detractori imputabitur. Quantus porrò est numerus peccatorum, quando res ab vno narrata, à multis, variis in locis, plurimis annis repetitur?

4. Cogitare, an vellet homo ea de se absente di-

te di-

Tob. 4. te dici, quæ de altero narrat. Nã quæ tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

5. Vtilitates detractionis cum eius incommodis conferre. Nã vtilitas nulla est, nisi fortè risus inanis: incõmoda autẽ sunt varia. Primò enim (ait D. Chrysostomus) audientem peiorẽ fecisti, proximo calũnians: nã siue peccator sit, segnior fit peccati cõmunicatorẽ nactus; siue iustus sit, in arrogatiã tollitur & inflatur ex aliorũ peccato magna de seipso sentire persuasus. Secũdò: Communẽ Ecclesiæ statũ læsisti: non enim audientes omnes peccatorẽ solũ accusant, sed opprobria Christianorum genti infliguntur. Tertiò: Dei gloriã blasphemari fecisti. Sicut enim nobis laudabiliter viuẽtibus Dei nomẽ glorificatur: sic peccãtibus blasphematur, & cõtumelia afficitur. Quartò: malũ audientẽ confudisti; & sic impudentiorẽ reddidisti, inimicũ & hostem reddens. Quintò: teipsum pœnæ & castigationis reũ fecisti, negocia nihil ad te pertinẽtia texens. Nequis enim hoc mihi dicat, tunc detraho, quãdo falsa dico. Nã si vera dicens, malè dixeris: & hoc crimen est. Hactenus B. Chrysostomus.

Homil. 3. ad popul. Antioch.

CAPVT V.

REMEDIA CONTRA INANEM GLORIAM.

PRIMVM, Considerare, nihil vtilitatis sequi ex inani gloria. Talis enim quisque est, qualis coram Deo est. Si quis vesperi, postquam incubuit, apud se cogitet, quid omnis

nis elapsi diei gloria iam illi profit: inueniet nihil se nisi vanitatem consequutum.

2. Considerare, quòd quærẽdo gloriã, amittatur gloria: fugit namq. gloria sequentem, & sequitur fugientẽ. Ideo omnis superb⁹ & glorioſus est cõtemptibilis, & meritò contemnitur: humilis autẽ exaltatur. Exempla in vtroq. Testamento in promptu sunt, in Aman, & Herode: contrà, in Dauide, & B. Virgine. *Libr. Esther.*

3. Ex inani gloria magnum sequitur detrimentum: quia perit omnis bonorum operum fructus, vt dicitur, *Receperunt mercedẽ suã.* Nam sicut aues non relinquerent intactas carnes, quas in aperto campo expositas viderent, nec latrones sine damno dimitterent viatorem, qui in silua pecunias manu deferret: ita dæmones, qui bonis operibus insidiãtur, illa nobis merita furantur, quæ per inanem gloriam exposita vident. Si autem non tanta sit inanis gloria, vt omnia merita boni operis perdat, vsque adeò tamen est inimica virtuti omnis vana gloria, vt virtutis splendorẽ obfuscet etiam exigua: sicut qui in ardente sole iter facit, non potest non colorari. *Act. 12.* *Matt. 6.*

4. Considerare (vt ait B. Bernardus) hunc statum nostrum non esse honoris & glorię sed contemptus potius, laboris, & exilij, inter vermes & bestias, in quo omnia nos ad humilitatem prouocãt: corpus sordidum multisq. malis obnoxiũ; tentatio dæmonis assidua; deniq. Christi & Sanctorum prædicatio & exempla. *Ser. 3. in paruis sermonibus.*

5. Qui laudari vult & videri, quærat laudẽ

à Deo

à Deo & Sanctis omnibus, qui & plures sunt, & nobiliores hominibus omnibus in terra viuentibus; eorumque laus est solida. Sicut enim stultum est, quærere laudē puerorū, & interim à viris omnibus contemni: ita valde imprudenter agit, quisquis gloriam hominū quærit, & se ridendum & contemnendum proponit Deo sanctisque omnibus, qui facta eius omnia intuentur.

CAPVT VI.

REMEDIA CONTRA AVARITIAM.

PRIMVM, vitare consuetudinem auarorum, frequenter adesse liberalibus, atque assuescere dādis eleēmosynis. Facilius est enim dare, quàm accipere. Quia si dare velis, nemo impediet: si accipere velis, multi obiiciēt impedimentū. Præterea, beatius est dare, quàm accipere: Quia cū donas, à multis gratiæ tū Deo, tū tibi agūtur: cūm accipis, omnes detestantur. Vtautē consuetudinē illā dādi assumas, alterum horum, vel vtrunq. facito. Nempe 1, Naturæ auaræ vim adferas. 2, de tuo quotidiè certam eleēmosynam, etiam te nescio, conferendi, domestico, vel familiari potestatem facias.

Act. 20.
2. Cor. 9.

2. Considerare breuitatem vitæ, mortemq. imminentē. Facilè contemnit omnia (ait D. Hieronymus ad Paulinum) qui se semper cogitat esse moriturum. Nam primò, morte deserenda sunt omnia, ad aliumq. deuoluentur, fort

fortè ingratum, tui immemorem, & (vt sæpè videmus) decoctorem. *Sulte* (ait Dominus) *hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Secundò: post mortẽ Deo erit reddenda ratio de quolibet quadrante, quomodo eum ad Dei Domini voluntatem expenderis. Quia enim tu bonorũ non dominus, sed œconomus es constitutus, ratio erit danda de singulis. Quid ergo tantas opes quæris, quibus te obligas ad tantas rationes? *Luc. 12.* *Chrysost. Hom. 34. ad popul. Antioch.*

3. Considerare, quòd per diuitias conseruatas neq. vita ista prorogetur (nõ enim in abũdantia est vita cuiusquam, ex his quę possidet) neq. vita æterna comparetur: cùm dicat Dominus, *Beati pauperes quia vestrum est regnũ Dei:* & *Væ vobis diuitibus.* Cùm autem in vsus pauperum liberaliter effunduntur, sic & deducũt ad perfectionem, vt Christus ait, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c.* Et cælestes mereantur diuitias, quæ tanto nostris diuitiis præstantiores sunt atque maiores, quanto solutum decore, & cæli circuitus terram amplitudine vincit. Si ergo vis veras diuitias: habeto illas in cælo, vbi fures non effodiunt, neque furantur; vbi sollicitudo conseruandi animum non cruciat; vbi qui dives est, nunquam ad paupertatem redigitur; & vbi diuitiæ synceram adferunt & solidam oblectationem. *Luc. 12.* *Luc. 6.* *Matt. 19.* *Matt. 6.*

4. Firmam cõstituere in Domino fiduciam, qui non solùm in veteri testamẽto, sed etiam in nouo, necessaria vitæ fidelibus promisit, & præ-

Matt. 6. præstitit, *Quærite* (inquiens) *primum regnũ Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Et, Hebr. 11. *Non vos deseram neque derelinquam.* Qui tantam turbam Monachorum, Anachoretarum, aliorumq. religiosorum, & Christianorũ, qui nudum Christum nudi secuti fuerunt, hactenus aluit: is tibi quoq. necessaria præbebit, si magna fide ei te committas. Dum autem tu plus æquo sollicitus es, deponit sollicitudinem tui Deus, quam tu de te satis magnã habes. Si verò sollicitudinem tui proiiceres in eum, ipse maiorem curam tui susciperet.

5. Intueri exemplum Dei Domini nostri, qui tanta largitate in omnes vtitur, vt creaturas omnes diuitiis suis cumulet. Non illi sufficit, in vsum tuum hunc orbem creare, quotidianis muneribus te locupletare, Spiritum suum sanctum atq. seipsum tibi communicare: sed insuper sanguinem suum, & vitam tibi 2. Cor. 8. dedit, & propter te egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia tu ditareris.

CAPVT VII.

REMEDIA CONTRA LVXVRIAM.

OLLA, cùm admota igni nimium feruet, ad eam refrigerandam consueuit vnũ ex his tribus adhiberi: vel ab igne amouetur: vel ligna subtrahuntur: vel frigida infunditur. Quia ergo libidinis ardor est quidam ignis: ad eius feruorem minuendum similibus est vtendum remediis.

1. Fu-

1. Fugiendæ sunt occasiones, vitanda mulierum colloquia, ocium, perditio tẽporis: cohibendi oculi, aures, manus, & omnia ea declinanda, quę aliquam possunt libidinem prouocare. Quia, cùm cætera vitia concertatione vincantur; sola luxuria superatur fuga. 1. Cor. 6. Fugite fornicationem. *D. Aug. lib. de honestate mul. ca. 1.*

2. Subtrahatur fomentum, quod est cibus & potus: sicut Helias, impuram Iesabel fugiens, ieiunus ambulauit 40. diebus, & totidem noctibus. Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam. *3. Reg. 19*

3. Addatur aqua refrigerans, corporis afflictio, & pœnitentia. Corpus enim nostrum, cùm sit asino simile, tunc minus insolescit, eùm durius tractatur. B. Benedictus tentatus à carne, in spinas se nudum abiecit: B. Franciscus in niuem. Nobis quidem licet tam austera remedia adhibenda non sint, assumantur tamen ea, quæ ad domandam petulantiam carnis sufficiant. *D. Gregor. lib. 2. Dialogorum. ca. 2.*

4. Feruens oratio ad Dominũ: Quia de hoc vitio ait Christus: *Hoc genus dæmoniorũ non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio.* *Matt. 17.*

5. Primis insultibus impurarum cogitationum statim occurrere: quia dũ aliqua negligentia permittuntur irrepere, inficiunt animam, & firmius hærent, quàm vt facilè possint excludi. Sunt enim viscosæ instar picis, quæ tacta adhæret, & inficit.

CAPVT VIII.

REMEDIA CONTRA INVIDIAM.

Lib. 5. Moral. cap. 34.

PRIMVM ex B. Gregorio: Qui (ait) liuoris peste plenè carere desiderat, illā hęreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota; quæ tanto largior esse ostēditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur.

Hom. de inuidia.

2. Ex D. Basilio, nihil existimare magnum esse in hac vita. Nihil (inquit) rerū humanarum magnum, aut supra naturā existimemus: non enim in rebus fluxis bonū constituimus.

3. Frequens cogitatio de iis rebus, quæ ad fraternū amorē excitare possunt: vt sunt eadē natura, eadem Christi beneficia, eiusdē hæreditatis promissio, quodque reuera non plus merearis honoris, quàm quiuis alius; cū æqualiter omnes Deo dicant, Pater noster, qui es in cælis: quinimò si vitia tua spectes, indignus fis, cui vel minimus honor habeatur.

4. Considerare, cui per inuidiā similis efficiaris. Nam sicut de charitate dicit B. Ioannes, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & scit ille est, nos sumus in hoc mundo:* Ita de inuidia dicit idem, *Cain ex maligno erat, & occidit fratrem suum.* Et D. Chrysostomus: Inuidia hominem in diaboli condicionem, atque in dæmonem immanissimum conuertit.

1. *Ioan. 4.*

1. *Ioan. 3.*

l. 41 init.

5. Consideratio damni atq. malorum, quæ adfer

adfert inuidia; & bonorum, quæ adfert charitas. Inuidia siquidem, vt ait D. Basilius, nemini magis nocet, quàm authori. Sicut enim (inquit D. Augustinus) ærugo ferrum: ita inuidia ipsam animã; in qua est, interimit & consumit. Omnibus grauis est inuidus, nemini charus; ridetur ab omnibus, illi nemo compatitur. Nã sicut hoc vitium proprium est diaboli (vt ait D. Basilius) ita & ad inuidum affecti sunt homines, vt affici solẽt erga diabolum. Contra verò charitas lętitiam parit, aliorum bona etiam nostra facit, amorẽ aliorum conciliat, &c. vt est apud D. Chrysostomum, & D. Gregorium pastoralis curæ parte 3. Admonitione 11.

Homil. de inuidia. Serm. 81. de tẽpore.

Hom. in aliquot scripturæ locos.

Hom. 44. ad popul. Ant.

CAPVT IX.

REMEDIA CONTRA IRAM.

PRIMVM ex D. Basilio, vt statim atque moueri te sentis, iram cohibeas: &, si internam commotionẽ fortasse sedare non possis, saltem linguam contineas, vt neq. bona loquaris, neq. mala, ne quid laxata effutiat, quod ira, non ratio dictet: & potius te ad orãdum conuertas, tuamque infirmitatem Deo curandam proponas.

Hom. de Ira.

2. Ex B. Gregorio. Vt mens (inquit) solicita, antequam aliquid agere incipiat, omnes sibi, quas pati potest, cõtumelias proponat; quatenus Redemptoris sui probra cogitãs, ad aduersa se præparet. Iacula enim præuisa minus feriunt.

Lib. 5. Mor. cap. 32.

3. Ex eodem loco, Vt cùm alienos (ait) excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Cogitet igitur homo, quàm multa alij in ipso tolerent, quàm multa toleret Deus, qui si ad singulas culpas vindictam inferret, iã dudum periissemus omnes. Deniq. & homo ipse frequẽter sibi est grauis, sibiq. displicet. Proinde qui talis est, ipse suo vitio vt se tolerare debeat, non grauatè ferat ab aliis committi, quod sit tolerandum.

4. Considerandæ incõmoda, quæ ex ira sequuntur. Quid enim prodest vindicta post acceptam iniuriam? An fortè vulnus tuum alieno vulnere curatum est? aut conuitium acceptum, conuitio reddito? Hæc porro assequitur, qui iræ obtemperat: 1. Corona gloriæ & mercede æterna priuatur: 2. Minister fit & instrumentum Diaboli: 3. Occidit animam suam, vt lædat corpus alterius. Similis est enim iracundus homini, qui vt asinum occidat, se ipsum perimit: & item illi, qui ob immensa debita, quibus soluendis non erat, coniectus in carcerem, oblatam ab alio solutionem magno fastu recusat. Per eum quippe, qui nobis iniuriam facit, debitũ quo Deo obstringebamur, tollitur, modo patiẽter iniuriã feramus. 4. Iratus homo vindictam petẽs, ostẽdit Deo, quomodo cupiat ab ipso secũ agi: nimirũ, vt sicut ipse in alio non tolerat parua, ita nec à Deo in ipso parua tolerẽtur. Quemadmodũ scriptum est

est: *Qua mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis* Et *Luc. 6.*
in Oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* *Matth. 6.*
Gregorius lib. 5. Moral. cap. 31. adfert sex alia detrimenta. Nam (ait) per iram amittitur Primò, Sapientia: dũ ratio cæcatur. Secundò, Iustitia: Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. *Iac. 2.* Tertiò, Sodalitas: nam iracundi hominis consuetudo nemini grata est. Noli, ait sapiẽs, esse amicus homini iracũdo. *Prou. 22.* Quartò, concordia: dum pax perturbatur. Quintò, Lux veritatis: quia dum menti iracundia cõfusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Sextò, Splendor Spiritus sancti: Super quem, ait Propheta, requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, id est, mansuetum. *Esa. 66.*

5. Frequẽter perpendere iniurias, quas non verbis solis, sed multis quoq. verberibus sustinuit Christus, nulla sua culpa, sed ad delendã culpam tuam. Aspiciẽtes (ait B. Paulus) in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem: Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficiẽtes. *Heb. 12.* Et B. Petrus: Si benefacientes patienter sustinetis, hęc est gratia apud Deũ. In hoc enim vocati estis. Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini eius vestigia eius. Officium namq. hominis Christiani est, ad imitationem Christi capitis sui, omnium- *1. Pet. 2.*

niumque Sanctorum, bona facere, & malapati, in eoque ad finem perdurare.

CAPVT X.

REMEDIA CONTRA GVLAM.

PRIMVM, Consortia potatorum deuitare, & omnes occasiones fugere, iuxta admonitionem sapientis: *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum.* Et postea: Ne inuearis vinum quando flauescit, quum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venenum diffundet. Difficillimum est, in deliciis non excedere, & in multitudine ac nouitate ferculorum mediocritatem seruare, dum posteriora nouitate delitiarum prouocant appetitum præcedentibus satiatum, vt pulchrè docet B. Bernardus, Apologia ad Guilielmum Abbatem.

Prou. 23.

2. Considerare incommoda animæ & corporis, quæ ex gula proficisci solēt. Animæ quidem sunt, Primò, Luxuria. Nam teste B. Hieronymo, venter vino æstuans citò spumat in libidinem: & B. Paulus ait: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Secundò, cordis aduersus misericordiam obduratio. Vt ait Propheta: *Bibentes in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* Ita diues epulo non est compassus Lazaro. Tertiò, Ira & homicidia. Vinū (inquit Sapiens) multum potatum, irritationem, & irā, & ruinas multas facit. Sic enim B. Ioannes Baptista, in cōuiuio Hero-

Epist. 83 ad Oceanum.

Ephes. 5.

Amos 6.

Luc. 16.

Eccli. 31.

Matt. 14.

Herodis, martyriū ſuſtinuit. Corporis autem incommoda ſunt, Primò, infirmitas. *Vigilia & cholera & tortura homini infrunito: ſomnus ſanitatis in parco homine.* Secundò, paupertas: nam operarius ebrioſus non locupletabitur. Tertiò, mors: iuxta illud, *Propter crapulam multi obierunt.* *Eccli. 31.* *Eccli. 19.* *Eccli. 37.*

3. Conſiderare, quantoperè hoc vitium diſpliceat Deo, cū, Primò, venter hominis Deus conſtituatur, vt ait Apoſtolus: *Quorū Deus venter eſt.* Secundò, templum ſpiritusſancti vertatur in ſordidiſſimā culinam, immò cloacam. Tertiò, membra Chriſti efficiantur beſtiæ ſine ratione, adeoq; beſtiis deteriora, quę naturam vltra ſatietatē nō grauant. Proinde Deus hoc vitium frequenter in iſta vita grauiter eſt vltus, dum Holofernes ebrius à Iudith eſt occiſus: Amnon ebrius in conuiuio periit: filij Iob à dæmone oppreſſi ſunt: & filij Iſraël ob eſum carnium cōcupitum, diuinam iram ſuſtinuerunt. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Deniq; vniuerſum genus humanum, gulæ primorum parentum pœnas etiamnum luit. *Philip. 3.* *D. Aug. ſerm. 131. de tēpore.* *Iud. 13.* *2. Reg. 13.* *Iob 1.* *Num. 11.* *Pſal. 77.*

4. Conſiderare, hoc vitiū gulæ, ſicut aduerſatur naturæ humanæ, ita valdè gratum eſſe diabolo, inimico eiuſdem naturæ, qui ambulans per loca arida, dum requiem non inuenit inſobriis, quieſcit in locis humentibus. *Matt. 12.* *Iob 40.*

5. Vt homo ſibi pœnitentiam ſtatuat die vno atq; altero, aut etiam tertio, victitandi pane & aqua, cibumque, quem fuiſſet ſumptu-

rus, pauperibus erogandi, si in ebrietatē labatur; neq. de hac pœna quicquam remittat.

CAPVT XI.

REMEDIA CONTRA ACEDIAM.

PRIMVM, Considerare beneficia atque labores Christi, pro nobis susceptos, quibus excitari debemus, vt aliquid in eius gratiam agamus.

2. Cogitare facilitatem operis boni, cuius difficultatem Christus passione sua sustulit. *Ioan.16.* *Confidite*, inquit, *ego vici mundum*. *Matt.11.* *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* & (vt inquit Apostolus) mandata eius grauia non sunt. *1.Ioan.5.* *Ero*, inquit *Oseæ 11.* Dominus, *quasi exaltans iugum super maxillas eorum*: Itaque suauiter equitat, quem gratia Dei portat.

Matt.23 3. Perpendere operis necessitatem. Nam infernus impendet non laborantibus: cùm seruus malus, & piger mittatur in tenebras exteriores, non aliam ob causam, quàm quod talētum Domini sui ad lucrum non expendisset. Sicut ergo puer de virga cogitās, & operarius de inedia, excitat se, hic ad laborē externum, ille ad litterarū studia: ita meritò excitari debet ad discutiendam pigritiam, qui pœnas secuturas considerat.

4. Contemplari omnium creaturarū indefessum laborē, ad voluntatē Dei. Sol enim & omnia sydera immensum iter quotidiana circumuolutione perficiūt: arbores & herbæ nobis flores & fructum producunt: bestiæ quælibet

bet ad naturæ rationem operantur, etiã minimæ formicæ, ad quas nos Sapiẽs remittit. Indignum est ergo, vt solus homo ocio torpeat. *Prou.6.*

5. Videte quantus labor sustineatur passim ab omnibus, ad consequendos honores, opes, aliasq. istius mundi vanitates perituras; quãtaq. nosipsi fecerimus, aut faciamus ad animarum nostrarum damnationem. Si ergo vera fides est in nobis, qua certissimè credimus, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis: & hoc leue ac montaneum, operari in nobis æternum gloriæ pondus: tantamq. pro exiguo labore reddi gloriam, vt eã neq. oculus viderit, neque auris audiuerit, neq. in cor hominis ascenderit: meritò omnis torpor est excutiendus, & manus operi est admouenda, maximè cùm exigua sint, quæ à nobis Dominus postulat, nempe vt sicut exhibuimus mẽbra seruire immundiciæ, & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. *Rom.8.* *1.Cor.4.* *1.Cor.2.* *Rom.6.*

CAPVT XII.

MEDIA AD COMPARANDAM *humilitatem cordis.*

VERA humilitas nõ in externis actionibus, sed in corde inuenitur, de qua Christus: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* per quam homo vilis est abiectusque semper in oculis suis, & talis haberi ab omnibus desiderat; & si habeatur, gaudet. Ve- *Mat.11.*

Ser. 16. in Cant. rus humilis (ait Bernardus) vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet de contemptu sui; hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit. Ad eam assequendam hæc pauca iuuabunt.

Primò, De se suisq. factis non miscere sermones, vel in laudē vel in vituperium, iuxta Poëtæ cuiusdam dictum:

Nec te collaudes, nec te contempseris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Qui enim se commendat, apertè laudē quærit: qui autem se cōtemnit, occultè eandē quærit, dum, nempe, cupit sua facta ab aliis excusari.

Secundò, Frequenter sibi imperfectiones & peccata sua ob oculos ponere. Quia tā multa sunt vitia cuiusque, vt laudis omnē occasionē tollant. Hoc autem tunc maximè faciendum videtur, quando gloriolæ præbetur materia.

Tertiò, In rebus abiectioribus libenter occupari, & cum humilioribus frequenter versari. Sicut enim humilitas est causa actionum humilium: ita ex humilibus officiis oritur, atque eisdem conseruatur.

Quartò, Superiores omnes suos, tanquam Christi vicarios, ex animo magni facere; internam eis externamq. reuerentiā exhibere; eorum nomē, authoritatē, & facta apud alios, quantū fieri potest, tueri. Quia manifestū est superbiæ argumentum, superiores vel reprehendere, vel iudicare, vel parui facere.

Quintò, Sæpius in sanctorum cum Christo regnantium vitā moresq. intueri, nostraq. facta

cta cum illis conferre. Tali enim comparatione intelligemus, nihil esse quicquid hactenus egimus. Iuuabit etiam inspicere perfectionẽ hominum multorum adhuc viuentium, atque ex eorum vita considerare, quàm multa nobis desint.

CAPVT XIII.

MEDIA AD PATIENTIAM.

PATIENTIA est virtus, qua iusta rationis dictamẽ, moderatè toleramꝰ aduersa. Ad quam hæc puncta erunt vtilia.

Primò, Considerare, nos lõgè grauiora malà diuersis multorum annorum peccatis cõmeruisse; quæ si non in isto mũdo, his similibusque afflictionibus; certè in futuro sęculo, purgatorij ignibus excoquenda erunt.

Secundo, Conferre tribulationes molestiasq; nostras cum his quas multi alij, fortasse etiam meliores nobis tolerant. *Scientes* (inquit Apostolus) *eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.* 1. Pet. 5.

Tertiò, Respicere lucrũ, quod ex tribulatione sequetur. Sicut enim operarius, in summis laboribus, consolatur se expectatione mercedis: ita Christianus omnibus molestiis & afflictionibus, gaudere debet spe retributionis. Quia vir bonus, qui filius est Dei, non gratis affligitur: sed sicut filius Dei, dignior est filio Regis: ita maior erit merces laboris atq; molestiarum filij Dei in cælo, quàm filij Regis in hoc mundo. Nam iuxta personarum dignita-

2.Cor.1. gnitatem, augentur præmia laborum. Et quidem, in hoc mundo, ſicut abundant tribulationes in nobis: ita & abundare ſolent conſolationes. Poſt mortem verò, quod in præſenti
2.Cor.4. eſt momentaneũ & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Quartò, Cogitare, quid ex impatiẽtia leuaminis ſentiemus. Non enim ob id dolor minuitur, aut moleſtia tollitur, quia impatientiæ ſigna edimus; ſed potius augetur, quod ad cætera mala etiam conſciẽtiæ vulnus addamus. Ergo faciamus de neceſſitate virtutem, patienterque feramus, quod iuxta Dei voluntatem ferendum videmus.

Quintò, Oculis fidei ad Dei voluntatẽ omnia referre, quæ patimur; neq. imputare hominibus vllis mala illata, ſed Deo; quo authore nobis omnia eueniunt. Sicut B. Iob tã magno à variis accepto detrimento, nihil de vllis
Iob 1. inimicis conqueſtus, dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictũ.* D. Gregorius, Magna eſt (inquit) conſolatio in eo quod diſplicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui
Lib.2. moral. cap.18. non niſi iuſtum placet. Si igitur iuſta placere Deo ſcimus; pati autẽ niſi quæ Domino placuerunt, non poſſumus: iuſta ſunt cuncta, quæ patimur: & valde iniuſtum eſt, ſi de iuſta paſſione murmuramus.

CAPVT

CAPVT XIIII.

MEDIA AD OBTINENDVM *verum cordis gaudium*.

PRIMÒ, Conscientiam habere à peccatis non solùm mortalibus, sed etiam grauioribus venialibus liberam. *Quia secura mens, est iuge conuiuiũ. Et gloria nostra hæc est*, ait Apostolus, *testimonium conscientiæ nostræ*. Cauẽda est autem omnis duplicitas & simulatio, quæ solet esse inimica pacis internæ. Nam qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *Prou.15.* *2.Cor.1.* *Prou.10.*

Secundò, Frequenter suscipere Eucharistiæ Sacramentum, quod est Sacramentum pacis & gaudij; in quo datur Christus, pax nostra. Ideo in vltima cœna, post datũ sanctissimum corpus suum, sic ait Dominus: *Pacem meam do vobis, pacẽ relinquo vobis*. Et, *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Nulla est enim plenior consolatio, quàm quãdo anima possidet illum, qui planè satiare potest eius desiderium. *Ioan.14.* *Ioan.16.*

Tertiò, Exercitium veræ humilitatis & mãsuetudinis, iuxta doctrinam Christi: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris*. Sicut enim vesica inflata vento, & in edito loco suspensa, in fumo aut vento non potest quiescere: & sicut aqua feruens perpetuo mouetur: ita homini superbo, & iracundo, nulla est vnquam quies animi, aut solidum gaudium. *Matt.11.*

Quartò, Rebus, quæ nobis cõmissæ nõ sunt, & quarum ratio à nobis nõ exigetur, nos non inge-

ingerere, aut curiosius eas inquirere: & si fortè de iis vel loqui vel audire contingat, ita nos habere, atq. ad res alienas, ad nos non pertinẽtes, hoc vnicè cauentes, ne conclaue cordis ingressæ, internam pacem perturbent. Sæpè nobis veniat in mentem illud, *Quid ad te?* quod Christus Petro de negotiis Ioannis curiosiùs agenti, respondit: *Si sic eũ volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*, id est, tu tua tracta, reiectis alienis, quæ nihil ad te. Ioan. 21.

Quintò, Nos totos, nostraq. omnia plenè in manus Dei resignare, eique committere, ab eoque pendere. Nam sicut infantulus securus est & lætus in sinu matris, nihil dubitans, quin à matre regatur, iuuetur, & foueatur, quomodocunque tandem mater illum teneat, siue dextera, siue sinistra manu: Ita Christianus, qui Deo nititur, hoc vno gaudere deberet, quòd à Deo regatur. Et sicut tessera, in quodcunque latus proiecta, firmiter consistit: ita æquabili & constanti esse deberet animo, quicquid occurrat, seu lætũ, seu triste; hoc sæpè cum Dauide repetens: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* B. Paulus in Epist. ad Colossens. videtur tria proponere ad internum gaudium, ac spiritus consolationem obtinendam: *Vt*, inquit, *consolentur corda ipsorum, instructi* seu, vt Græcis est) *instructorum in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, & in agnitionem mysterij Dei & Patris, & Chri-* Psal. 22. Abac. 3. Cap. 2.

Christi Iesu. hoc est, vt per hæc tria accipiant veram cordis consolationem: 1, Per veram charitatem, qua inter se connectantur. Sicut enim inuidia tristitiam: ita charitas gaudium adfert: 2, Per certissimam fidem & persuasionem intellectus, quòd homo à Deo regatur, & Deus omnia rectè ex summa dilectione moderetur: 3, Per frequentem considerationem & meditationem beneficiorum Dei, & mysterij Christi, ac vitæ æternæ, ad quam per Christum habemus ius, & accepimus arram.

CHRISTIANARVM INSTITVTIONVM LIBER III.

PRAEFATIO.

AD omnia peccata declinanda, virtutesq. cõplectẽdas, nihil tantã adfert vim & momẽtũ, atq. rerum nouissimarũ cõsideratio: quæ cùm ad vniuersos homines pertineãt, & magnitudine sua atq. atrocitate metum vehementem incutiãt, mollire solent duritiam animorum nostrorum, & petulantiam refrænare, idoneosq; nos efficere ad audiendam, capessendamq. veritatem. Quocirca secutus exemplum Christi, & Beati Ioãnis Baptistæ, qui ab hominis nouissimis auspicati sunt prædicationem suam; Matth. 4. Matth. 3.

&

Act.24. *& Beati Pauli, qui Felicem præsidem memoria mortis futuriq́ue Iudicij tremefecit: existimaui me rem vtilem & studiosæ iuuentuti, istius sodalitatis imprimis salutarem facturum, si de his nouissimis, tanquam generalibus vitiorum remediis & medicamentis, non-*

Eccles.7. *nulla dissererem, vt memorantes nouissima nostra, in æternum non peccemus. Horum siquidem consideratione, & peccata facilè vitantur, & mala omnia atque incommoda vitæ huius, æquiori animo feruntur.*

CAPVT I.

CVR PAVCI MORTEM CAEteraq́ue nouissima hominis metuant.

CVM nemo sit Christianorũ, qui nõ firmissima fide credat, & mortem ipsam imminere, & terribilissima horrendaq́ue post mortẽ instare: attentè considerãda est causa, quare vel nulli, vel pauci, metuant mortem, & ea quæ mortẽ sequuntur: & primò quidem sunt nonnulli, qui ita securi omni flagitiorũ generi se dedunt, atq. si neq. supplicia post hãc vitam vlla improbis constituta crederent, neq. Deũ esse, qui iustè sit iudicaturus. Vix enim fieri potest, vt in sceleribus viuat securiùs homo Ethnicus, qui nihil vnquã audiuit de rebus futuris, quàm homines pleriq. Christiani, qui dicunt se credere, pœnas acerbissimas ac sempiternas peccatis propositas. Alij in rebus humanis prudentes, toti in terrenas curas effusi, prudentiam suam ad futura non extendunt,

dunt, senes non aliter quàm iuuenes, & voluptatibus vacant, & pecuniis colligẽdis, honoribusq. augendis studẽt. Vix est deniq. in omni ordine, sexu, & ætate, qui mortis futurorũque nouissimorum suorũ metu tangatur, nobilis, ignobilis, eruditus, indoctus, senex, iuuenis, Ecclesiasticus, secularis.

Causa huius est, vel nulla, vel exigua nouissimorũ consideratio. Si quis enim attentè frequenterque secum expendat, quid tandem post vitam istam cõsequatur, facilè intelliget, quàm verè sit à Sapiẽte dictũ: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis: & primò quidem, salubri mortis timore cõmouebitur. Secundò, omni cum diligentia modos ac vias excogitabit, mala illa euadẽdi, quæ mortem sequuntur. Tertiò, cùm intelliget ad hanc rem plurimum valere Ecclesiæ sacramẽta, conabitur conscientiam quidem primò per confessionem purgare, deinde sacratissimo Christi corpore frequenter se reficere, & aduersus impetus Dæmonis cõmunire. Quartò, hac nouissimorũ cogitatione cõmotus, & Sacramentis adiutus, paulatim clarè perspiciet, quanta sit in mundo vanitas, quanta malitia, quanta pericula. *Eccles. 7.*

Itaq. vilescet mundus, & quicquid à mundo proficiscitur, & omnem suã operam in eo ponet, vt nihil habeat cũ mundo commune. Quintò, debellabit praua animi desideria, & malas inclinationes conabitur studiosa virtutum contrariarũ exercitatione delere. Sextò,

domui suæ rebusq. prospiciet, omniaq. probè cõstituet, ne quid felicẽ ex hac vita discessum impediat. Septimò, occupabit mentem cælestium rerũ cogitatione, & eò q. progredietur, vt cũ B. Paulo cupiat dissolui, & esse cum Christo. Tum solidũ firmumq. gaudiũ in eo nascetur, nec mortis memoria conturbabitur; sed spe cælestis gloriæ erigetur, & mirificè cõsolabitur, iuxta Christi admonitionẽ: His fieri incipientibus, suspicite, & leuate capita vestra, quoniã appropinquat redemptio vestra. At verò qui huic mũdo dant operam, neq. cogitationem mortis admittunt, neq. ad verba, quæ de morte habentur attendunt; pleriq. etiã rident, & si fortè cogitãt, id faciunt tanquam de re aliqua ad se non pertinẽte, more eorum, qui illa quæ nunquam futura sunt speculantur. Commouentur quidẽ nonnunquam morte sociorum, & exhorrescunt, sed exiguo tempore; sicut cùm sus iugulatur, grunniunt aliquantisper alij qui audiunt porci, & cibũ præmetu deserunt, sed mortua ea, metu & grunnitu omni posito, ad pabulum reuertũtur. Sed vtvt vulgus se habeat: id certè est nõ parua admiratione dignũ, viros probos, prudentes, veritatis studiosos, & de rebus minoris momenti vsq. adeò sollicitos, atq. in damnis exiguis præcauendis sedulos, ipsos etiã senes atq. decrepitos, cùm sciant illa quæ nobis post mortem euentura sunt, tanti esse ponderis, vt inde salus æterna dependeat; tam certa, vt fide teneantur; tã propinqua, vt hoc ipso die accide-

Philip. 1.

Luc. 21.

re possint: ex animo suo posse eorũ cogitationem deponere. Si enim nõ minus euenire potest, vt ante diẽ crastinũ ex hac vita abreptus æternas pœnas apud inferos perferã, quàm vt cras iacturã centum aureorum faciã: Cur, bone Iesu, in vtroq. deuitando, par saltẽ studium & industriam non adhibeo? cur pro aureis illis tãtoperè sudo, pro sempiternis ab anima mea cruciatibus dimouendis nihil cogito?

Multiplices sunt istius deplorandæ cæcitatis causæ. Prima, eaq. præcipua, à qua ferè cæteræ omnes emanãt, dæmonis insignis & callida tentatio, cui nihil magis curę est, quàm ne homines memorentur nouissima sua, quibus, quòd sensibus ducãtur, res pręsentes perpetuò offert & inculcat: & res futuras tanquam longissimè positas, & alterius conditionis atque naturæ, aut tanquam nunquam euenturas obiter repræsentat.

Secundò, Accedit naturalis amor viuendi, & dulcedo vitæ præsentis, quæ sic mentis nostræ fascinat oculos, vt (quod in rebus maximè charis accidit) homo sibi persuadere nequeat, hanc vitam amitti posse: & licet fateatur amittendam aliquando, multos tamen sibi polliceatur annos, quos veluti eminus prospiciens, lõgissimo interuallo videtur sibi à morte disiunctus. Siquidem futurũ tẽpus & præsens arbitramur longum, sed illud quod iam præteriit, breue: nequeaduertit miser fragilisque homo, magnam ætatis suæ partem effluxisse, eamque quæ fortè breuior re-

ſtat, nõ minore cum celeritate præterituram.

Addit tertiò dæmõ commendationẽ diuinæ miſericordiæ, quæ præſtò eſt omnibus inuocantibus ſe, in ipſo quoq. extremo vitæ momento: Latronem quippe etiã tunc veniã impetraſſe: pacẽ hominibus eſſe promiſſam bonæ voluntatis: bonam voluntatem & dolorem de peccatis facilè cõparari. Item, Deũ ad miſerendum eſſe propenſiorem, quàm ad pœnas infligendas; cælum feciſſe, ſanguinemq. profudiſſe, nõ pro brutis animalibus, ſed pro hominibus. Itaque ſecurè poſſe iuueniles annos traduci, vitæq. mutationẽ in ſenilem ætatem reiici; ad quam ætatem vbi vẽtum eſt, eadem prorſus ratione ſuadet, in extremam infirmitatem extrahendam pœnitentiam. Sed conſiderandũ eſſet primò, plerunq. iuuenes moriri multò ante ſeniũ, mortemque in omnẽ ætatem ſuum exercere imperium. Secundò, nec rarò vel ſubitò mortem opprimere non cogitantem, vel ſanos repẽtè morbo corripi, vſuq. linguæ & rationis deſtitui. Tertiò, Cõtritionem, verumq. de peccatis dolorem, eſſe ſingulare Dei donum, quod iuſtè negatur illis, qui dum integra eſſent valetudine, illud oblatum recuſarunt: Iuſtoque Dei iudicio talis eſt plerunq. in morte homo, qualis in vita; vt quis tam vitam in peccatis traduxit, cum eiſdẽ de vita decedat. Quartò, plura eſſe ſub vitæ finem atq. in ſenectute impedimenta veræ pœnitentiæ & confeſſionis, quàm in recta valetudine aut iuuentute, vt ſunt naturæ debilitas, cõtraria conſuetudo, grauiores dæmonũ impugna-

Luc. 23.
Luc. 2.

tiones, qui eò alacrius, constantius, & vehemẽtius hominem adoriuntur, quò sæpius victores abierunt, & quò propinquius finem certaminis adesse conspiciunt. Cùm igitur sanus, corpore animoq. firmus, non raro victus fuerit, an nõ multò facilius vincetur æger? & quĩ multorum annorum consuetudine, quæ ferè naturæ vim obtinet, vix potuit caput in cælum tollere, quo pacto id faciet morbo fractus & præpeditus? qui per omnem vitam manus dedit diabolo, semperq. abhorruit à peccatorum suorum consideratione, studioq. virtutũ, quomodo is corporis & animi vigore consumpto, victoriam reportabit? aut animum ad verum dolorem, & sinceram peccatorũ confessionem applicabit? Sicut enim viriũ debilitate nequit mouere corpus, ita multò minus conuertet animum ad rem vsq. adeò difficilẽ atq. insuetam: Et si fortè cõfiteatur, id potius metu gehennæ, quàm dolore, ex diuinæ maiestatis offensione cõcepto, faciet: more furum, qui non tam se furatos esse, quàm ob furtũ laqueo sibi vitam finiendam lamentantur. Vnius latronis exemplum inculcatur: sed vnicus ille legitur in fine obtinuisse veniam, & quidem non sine constãti fide, quam palam profitebatur, & in grauissimis crucis, & ossium confractionis tormentis, quibus anteactæ vitæ crimina expiabat: Satius multò fuerit per omnem vitam colere pœnitentiam, singularumq. ætatũ peccata, iis ipsis ætatibus abolere. Nã sicut famulus, qui ab hero ex nũdinis domum remissus, *Luc. 23.*

cum quatuor robustis equis & vno debiliori, singulis pro viribus onere grauatis, non rectè facere cẽseretur, si quatuor firmioribus equis parcens, eorũ onera, in debilẽ transferret, qui flumen traiiciens fortè vna cũ mercibus pessum ire posset: Ita parũ saluti suæ consulunt, qui pœnitentiam eorum peccatorum, quę per omnes ætates admittunt, in extremam senecturem, & infirmitatem differunt.

Quarta causa quæ instinctu dæmonis memoriã nouissimorum ab animis nostris remouet, est metus continuæ tristitiæ, vel melancholiæ. quis enim tali cogitatione occupatus vnquam lætus esse posset? At mortis meditatio non accelerat mortem, quę suum cursum properando tenebit, quicquid tandẽ mẽte agites, instar nauis, quæ progreditur, siue dormias, siue vigiles. Hoc tamen inter mortem improuisam & præmeditatam interest, quod illa hominem nihil cogitantem opprimat, atque in miserias inextricabiles deiiciat; ista verò hominem præparatum inueniat, minusq. lædat. Sicut igitur fur, qui ad supplicium ducitur, si cogitando de imminente periculo, posset rationes inire effugiendi crucem, vtiliter profectò de isto suo periculo meditaretur: Imprudentissimè faciunt illi, qui secum frequentissimè mortem cõmentantur, per quam rem hoc assequuntur, vt mors non sit ipsis interitus, sed vitæ ianua. Melancholiã & tristitiã parit quidem omnibus hæc mortis cogitatio, qui peccatis sunt inquinati: sed illis solis per-

perpetuam, qui mundi vanitatibus & deliciis inhærere ſtatuũt; quippe quibus mors iſta tẽporalis, eſt principiũ mortis æternæ. Illis verò qui iam vitiis & voluptatibus nũcium remiſerunt, ſeſeq. totos ad virtutem contulerunt, affert gaudium & ſuauitatem incredibilẽ cogitatio mortis, per quã vident ianuam, aditũque ſibi patefactum iri ad bona immortalia, quorum conſequendorum cupiditate mirabiliter exarſerunt.

Quinta cauſa eſt, infidelitas, aut hæreſis, quã non pauci ideò aſſumunt, ne ſtimulis cõſcientiæ, metuq. mortis cõmoueantur. Cùm enim videant ſe flagitioſè viuere, intelligãtq. ex præſcripto doctrinæ Catholicæ ſibi, niſi peccata deſerãt, defleant, confiteantur, ęterna ſupplicia ſubeunda; nolint tamen acerbũ pœnitentiæ remedium ſumere, & vitam ~~viè~~ inſtituere, hoc ineunt conſilium compeſcendæ conſcientiæ, vt ſibi perſuadeãt falſam eſſe doctrinam Eccleſiæ; Deũ neq. dolorẽ ſuper cõmiſſis ſceleribus, neque bona opera exigere, quippe cuius miſericordia ſit tanta, vt ſola fide, firmaq. ſuorũ fiducia ſit contentus. Faciũt huiuſmodi homines ſimiliter atq. illi viatores, qui tametſi norint tenue ſibi eſſe viaticũ, ſecurè tamen & ſplendidè epulantur, quòd confidant hoſpitem pro ipſorũ arbitratu, quæ abſumpta fuerint æſtimaturum: ſed iſtis, quod valde fallantur, temeritas non bene cedit. Pari modò, non malè tantùm, ſed peſſimè ſuccedet illis, cùm ad tribunal Chriſti ſiſtentur, qui

inperſcrutabilem Dei iuſtitiam ex ſuo capite, & prauis deſideriis pependerunt. Sicut enim tantam nobis Deus in mundi huius, quem ſine labore ex nihilo fecit, creatione exhibuit potentiam, vt ad eam capiendam nec mentes quidem Angelorum, nedum hominum, ſufficiant: ſimilemq. ſapientiam in eius gubernatione: & charitatem inexplicabilem in humani generis liberatione declarauit: ſimili modo adeò ſeuerè de nobis, noſtrisque actionibus, verbis, cogitationibus poſt mortem eſt iudicaturus, vt infinita ſe iuſtitia præditum eſſe omnes palam ſint cognituri.

CAPVT II.
DE MORTE.

CONSIDERANDVM eſt ante omnia, quid ſit mors, & quid adferat homini. Mors eſt vitæ huius mortalis perpetua priuatio, & eorum omnium, quæ in hac caducã vitam conueniunt. Itaque homo mortuus priuatur anima, non intelligit, nõ videt, non audit, nõ fruitur vllius ſenſus oblectamẽtis; deſerit omnia, parẽtes, amicos, bona fortunæ, diuitias, honorem, & quicquid deniq. hãc mortalem vitã comitatur, & ita deſerit, vt in æternum ad illa non ſit reuerſurus. Si igitur cùm in vita manemus, nõ ſine moleſtia à charis parentibus, atq. amicis, breui temporis ſpacio diſiungimur; ſi non niſi ægrè valde paucas pecunias egenis diſtribuimus, ſi denique, difficillimè huius vitæ deliciis caremus, qui-

quibus vt perfruamur totis viribus, atq. omni mentis impetu incũbimus: quò animo feremus sempiternã illam ab omni voluptate, ab omnibus diuitiis, ab omnibus amicis, & dulcissimis parentibus, filiis, sociisq. separationẽ? Bos à boue aratri socio si separetur, immugit: itineris iucũdi comites, nõ sine dolore & molestia digrediuntur: Anima igitur tã arcto nexu cũ corpore ab ortu suo colligata quàm ęgrè à suo contubernali diuelletur? Sicut porrò tibi deserẽda sunt omnia, ita te quoq. vicissim omnia deserẽt. Simul atq. excessit anima, operitur cadauer, omnes ab illo tanquã ab aliqua peste abhorrent atq. refugiunt, adeò vt etiã illi, qui arctissimo antea necessitudinis vinculo viuo coniuncti fuerant, instar mortis esse putent mortuo adesse; hoc vnũ omnibus curæ est, vt quàm citissimè domo efferatur, & in terrã defodiatur. Anima verò, ne fortè redeat, vt spectrũ, multò magis metuitur. Atq. ita nihil nobis cõmune esse volumus cũ homine mortuo; cuius vel sola cogitatio mentẽ percellit ac terret. Diuitiæ prius ferè dilabuntur, quàm deserantur; dignitatibus, officiis, præbendis necdũ mortuo homine multi inhiant; domus, possessionesq. eiecto domino, & in angustã fossam, inter malè olentia mortuorũ ossa, vermesq. & lumbricos coniecto, in aliorũ manus ac potestatẽ veniunt. Neq. mirũ, quia vt in ludis scenicis, vestes commodatò acceptæ, peracta comœdia restituẽdæ sunt heris: ita cùm in mũdo hoc, quasi in theatro aliquo comico versemur,

mur, rebusq; omnibus cõmodatò acceptis vtamur, simulatq. ex scena, & vita hac mortali exiuimus, reddendæ sunt mũdo; qui easdẽ deinde res aliis atq. aliis vtendas accommodat. Et quemadmodũ piscatores facere solent, vt eadẽ esca qua piscẽ vnũ ceperãt, alios deinde capiant, & priusquã absorbuerint escã, vnco gutturi infixo prædã extrahant, & escã de ore tollant: ita mundus iisdẽ illecebris alios atq. alios, tanquã esca quadã captos, ad inferos trãsmittit. Ex his nonnihil licet ratiocinari, quàm sit mors horribilis, de qua philosophus quidã ita dicebat. Omniũ terribilium, terribilissimũ est mors. Si enim sola mortis memoria cohorremus, si corpus mortuũ charissimi socij, dulcissimiq. parentis perhorrescimus, si soli cũ solo cadauere per noctẽ vnã manere animus refugit: quid fiet, accedẽte ad nos per se morte ipsa, quæ tantoperè nos terret in alio?

CAPVT III.

DE CERTITVDINE MORTIS.

Heb. 9. MORS omnes manet certissimè, quia statutum est omnibus hominibus semel mori sententia lata est; & hactenus executioni mandata. Recẽse maiores tuos à primo parẽte, cõsidera quot illi fuerint, quot nunc ex omnibus supersint, quę illorũ memoria. Itaque cùm aliis in rebus omnibus humanis, locũ habeat vocula, Fortasse; fortasse enim adolescet puer; fortasse euadet in virũ doctũ; fortasse locupletabitur; fortasse vxorem ducet,

August. Ser. 21. de verb. Dom. cap. 3.

cet,&c. In morte sola hac voce nō vtimur: quia non fortasse, sed certissimè, sine omni fortasse, morietur omnis homo. Neque hic opus est conditione, qua B. Apostolus Iacobus, pronū- *Iacob. 4.*
ciata nostra voluit cōstringi, Si Dominus voluerit, aut, si Deo placuerit: stat enim volūtas ac sententia Dei immobilis, Morte morieris. *Genes. 2.*

Adeò porrò certò mors omnibus impēdet, vt non prius viuere incipiamus, quàm mori, iuxta illud, Omnes morimur; &: In qua hora *Eccles. 8.*
comederis, morte morieris. est enim vita om- *Genes. 2.*
nis nostra, profectio ad mortē. Sicut igitur reꝰ, qui ad suppliciū ducitur, scalas conscendit, laqueū collo excipit, manibus pedibusque ligatur, tota illa actione suspendi dicitur, tametsi necdū de scalis deiectus ex fune pēdeat: ita qui ad mortē continuò tendimus, pugnantibusq. in nobis qualitatibus & circumstantibus vndiq. periculis, quo momento deiiciendi simus ignoramus, re vera morimur, quia tota vita nostra est mortis operatio. Proinde sicut fur, qui ad patibulū vehitur, non parū desipere tibi videretur, si exclusa mortis & ignominiæ appropinquantis cogitatione, honori sibi & glorię duceret currū equitibus cinctū, turbam comitantē, sacerdotē assidentē, & carnificem lictoresq. sibi ad ornatū, aut triumphū adesse præsentes crederet: Ita stultum est, gloriari in vestitu, filiis, diuitiis, aliisq. huius vitæ ornamentis, quæ certissimò mortē nobis imminere clamitant: vestitus enim præuaricationis & condemnationis est insigne; diuitiæ, cibus, potusq.

tusq. neceſſitatē, fragilisq. naturæ conditionē indicant, quæ niſi rebus eiuſmodi ſuſtentaretur, non poſſet conſiſtere: filij, hæredes te poſſeſſionibus excludēt. Torques & annuli aurei, nónne cādētia inferni vincula; & capilli flaui gehennæ flammas repręſentare tibi videntur?

CAPVT IIII.

DE INCERTA HORA MORTIS.

Matt. 24

EST verò punctū illud tēporis, quo animæ de ſua ſtatione decedendū eſt, longè incertiſſimū. Cōparat mortem Chriſtus furi, qui non tunc inuadit domū, quando patrēfamilias didicit agere excubias, ſed quando omnes arbitratur ſomno oppreſſos, nihil minùs quàm de ſuo aduētu cogitantes: & aduentū filij hominis ſimilem dicit fulguri, quod momento temporis orbem peruadit.

Mors igitur celerrimè irruet, & quādo minimè ſuſpicabimur, opprimet. O igitur deplorandā tuam cæcitatem, qui hac mortis incertitudine ad peccata potiùs accumulāda, quā ad ea deponēda abuteris. Cur enim peccas, & vitiis indulges? an quia certū te diu victurū? aut in craſtinū vitā producturū? nequaquā. Sed quia fortè es diu victurus. Miſerum & debile fundamentū, cui innititur tāta ſecuritas peccandi. Fortè inquis, cras viuā, fortè hodie non moriar. Cur nō potius inuertis ordinem: fortè hac nocte moriar, fortè hoc die euocabor? Matt. 24. Chriſtus prædixit: Qua hora nō putatis, filius hominis veniet. Experiētia quotidiana & nūc

docet

docet nos, & olim docuit securos Sodomitas, *Gen. 19.*
Dathan & Abiron, & Absalonem: & diuiti illi *Num. 16.*
Euangelico dictū fuit: Stulte, hac nocte tollēt *2. Reg. 18*
animā tuam. An quod alteri cernis fieri, id erit *Luc. 12.*
alienū à te? Si domum habitares malè materiatā, & ruinosam, quā certò nosses ruituram, tēpus autē ignorares ruinæ; an eā nouis oneribus grauares? an te illi securè cōmitteres? an parietes malleis pulsares? Minimè profecto: sed in alias ædes & te ipsū, & suppellectilē tuā transferres. Corpus hoc tuum in horas singulas minatur casum, catarrhus vnus in cor aut pectus delapsus, hominem deiicit; caro natura sua fragilis, in se habet interitus causam, vno vento, vno potu, paruo aëre infecto læditur: mitto alia infinita foris aduenientia quæ mortem accelerāt. Quid igitur te peccatis grauas? quid cōpotationibus, comessationibusque, & intemperantia, variisq. periculis, mortem tibi immaturam procuras? Robustus sum, inquis; nihil mali sentio; timidi est metuere mortem. atqui vt intus sis constitutus ignoras, & quid aliunde aduenjet nescis. Morrem sanctorum non timere, fortitudinis est; mortem peccatorum pessimam non metuere, temeritatis.

Scriptura variis rebus vitam humanā comparat, vt eius fragilitatem & imbecillitatē discamus, mortemque nobis imminere persuadeamus: Primò, flori qui pulchritudine sua *Esa. 40.*
capit oculos, sed leui frigore, nimio æstu, aspe- *1. Pet. 1.*
riori vento, humore, læditur, concidit, marcescit: si carpatur, post pauculas horas marcidus,

in

*Exod.*8. *Act.*12. *Iudic.*16. *Psal.*108. insterquilinium abiicitur. Minima res hominem lædit; Pharao culicibus vexatus est; Herodes pediculorū morsu interiit; pili rasi, robur Sampsoni ademerunt.

Secundò, Vmbræ, quæ licet aliquo modo corpus referat, est tamē squalida, nigra, deformis, fugaturq. non solùm accessu magni luminis, verùm etiā tenebrarum. Sic omnis splendor humanæ vitæ decrescit & perit, nihil præclari ipse habens, quàm quòd ad cōsiderationem veritatis totiusq. pulchritudinis cælestis nos inducat. Ne igitur instar pueri (qui pulchros characteres admiratur, ignorans veritatis sententiarū pulchritudinē, quæ illis continetur) arbitrere aliquid pulchrū, constans, aut eximiū in hac vita mortali, sed ex splēdore vitæ istius, conuerte mentis oculos ad vitæ alterius ornatum.

*Iacob.*4. Tertiò, Vapori & fumo, qui dū cubiculum replet, est molestus oculis; quæ attingit, deformat, cōmaculatque; in caminū pulchro ordine & figura ascendit, sed egressus à vento dissipatur. Homo & sibi molestus est, & aliis: multos deuicit Alexander Magnus: multa bella gessit Iulius Cæsar: Absalon vniuersum Israēlē in parentē concitauit; sed breui vita functi, funditus sunt deleti, iuxta illud, Periit memoria eorū cum sonitu, hoc est, instar soni & strepitus, qui semel concitatus, perpetuò silet.

2. Reg. c.15.16. 17.18.19 *Psal.*9.

Quartò, Figuræ vel imagini, quę in charta pulchrè depicta, mirè delectat colorū varietate, exposita autē pluuiis & vento, omnē amittit

tit decorē, & præter laceram chartā nihil relinquit: Sic homo diuitiis, honoribus, potentiaq. ornatus, est admirationi: mortuus præter ossa nihil habet. Exemplum in Iezabel, quæ stibio pingens oculos, de feneſtra præcipitata, à canibus discerpta, ex solis manuū pedumq. extremitatibus agnosci potuit. Ossa mortuorum eo consilio relinquuntur, vt quo pulchritudo decorque omnis humanus euadat, oculis ipsi adhuc viuentes, vsurpemus.

Alias multas similitudines apponit Scriptura, nauis transeūtis, auis volātis, sagittæ emissæ, &c. quorū omniū celerrimè prætereuntiū, nullū cernitur vestigiū: vt & velocē vitæ trāsitū, & incertū facilemq. terminū, & post mortē æternā obliuionē intelligamus: voluit quippe Deus, breuē esse cursum vitæ nostræ, tū ne, sicut antiquissimi illi, qui ad nongentesimū annū vitā perduxerūt, peccata cumulemus peccatis, grauioraq. supplicia promereamur: tum ne diutius istius vitæ incōmodis miseriisque conflictemur; tū vt citius ad se veniamus, cuius deliciæ sunt, esse cum filiis hominum. *Sap. 5.* *Prou. 8.*

CAPVT V.

DE TENTATIONIBVS IN *hora mortis.*

SI vnquā toto vitæ decursu, certè in mortis hora dæmon omnes suas vires profundit, vt in vltimo illo certamine, in quo summa victoriæ sita est, hominē vi morbi debilitatū, & pristino animi vigore destitutū, vincat.

cat. Magnitudo huius conflictus vel ex eo intelligi potest, quòd opus fuerit peculiari Sacramẽto extremæ Vnctionis, ad miserũ infirmumq. hominẽ fulciendũ, & corroborãdum. Longè tunc aliter homo affectus est, præsertim peccator, atq. se fore putabat, dũ sanus esset. Nam qui viribus integris confessionem in hoc vltimũ tempus reiecerunt, ferè non possunt in animũ inducere, vt tũc de peccatis cogitent, quod enim molestũ fuerat sanis, id maiorem parit molestiã morituris. Itaq. neque libet in cælũ oculos ferre, Deumq. precari, neque de peccatis dolere, neq. ea quę è salute animæ sunt, audire. Quia tali animaduersione percutitur peccator, vt moriẽs obliuiscatur sui, qui, dũ viueret, oblitus est Dei. Nónne Nabal durus instar lapidis vita discessit? accedit acerbitas dolorũ, quibus mens & ratio ferè cõuelluntur: desideriũ vitæ medicorũ solatia quærit; occupationes externæ, quibus animus assueuit, in bonorũ temporalium dispẽsatione, dissipant mentẽ & cogitationes, nec patiũtur miserũ hominem quicquã de rebus ad salutem animæ pertinentibus loqui, vel cognoscere. Si cognoscat ex medicis nullã viuendi spem restare, visa peccatorũ multitudine, & grauitate, difficultateq. resipiscendi, quã obiicit dæmon; primùm quidẽ concutitur homo peccator incredibili terrore: deinde verò non capiẽs diuinæ misericordiæ abyssum, cum proditore Iuda salutem desperat: Alij nimia fiducia pereunt, vel ex hæretica opinione de sola fide, vel

August. Ser. 3. de Innocentibus.

2. Reg. 25.

Matt. 27

Actu. 1.

vel ex bonis operibus, quæ fortè ediderunt, concepta: alios infidelitate perdit mille artifex, cùm scrupulos, & dubitationē, de iis, quæ religio Christiana credenda proponit, iniicit: alios spe cōualescēdi: alios aliis rationib⁹, prout negotiū facilius à se confici posse, despicit.

CAPVT VI.

DE HIS QVAE POST *mortem accidunt.*

QVAE accidant corpori post discessum animæ, palā sunt ante omniū oculos; iacet cadauer inanime, sine sensu, deforme, horribileq. aspectu; conditum in terra, paulatim fætore vermibusque dissoluitur, & post dies nō ita multos, in cineres redactū, nihil præter ossa restat, quæ si videas, quis qualisq. fuerit, diues an pauper, nobilis an rusticus, rex an opilio, non agnoscas.

De anima quid agatur, nihil certi habemus, quædā tamen generatim, vel naturali lumine, vel fide nouimus, quę possunt homini terrenis rebus immerso maximo esse terrori. Primò, scimus animā vna cū corpore non extingui, sed eandē illam animā corpore solutam viuere, intelligere, cognoscere, quæ paulò antè adminiculo sensuū res cognoscebat. Non enim est alia anima extra corpus, & alia in corpore, sed alio modo. Secundò, hanc animā quę paulò antè multitudine ministrorū, & amicorum stipata fuerat, nūc proficisci solā in regionem ignotā, vbi aliæ sunt leges, alij ciues, alij mo-

res, alia iudicia & cogitationes, alia rerũ æstimatio; vbi nihili est aurum, facetiæ non oblectant, vbi doctrina humana est ignorãtia, corporum pulchritudo est deformitas, ocioſum verbũ graue malum, vbi parentes non mouẽtur cõmiſeratione filiorum, neq. filios niſi ſecundũ Deum agnoſcunt, vbi occurrunt teterrima monſtra, vbi dæmones ipſi forma ſpecieq. ſua clarè conſpiciũtur. Pone tibi ob oculos amplissimã ſub terra ſpecum, horridam tenebris, ſpectris terribilem, plenam fœdis ſerpentibus, & te ſolũ, comitante nemine, in eam deturbandũ: præſtolãtur miſeræ animæ egreſſum dæmones, inſtar felis, quæ muſculi foramen obſeruat, vt deuoret. Tertiò, bonis operibus poſt hanc vitam neminẽ poſſe quicquã mereri, neq. quenquam lachrymis, vel anguſtiis ad miſericordiam cõmoueri, quia vbicũq. ceciderit lignum, ibi erit. Quartò, ſimul atque euolauerit anima ex corpore, ſeueriſſimè in totam eius vitã inquiſitũ iri, iudicioq. Chriſti ſententiam ferendam, vt vel optimè ſit ei, vel peſſimè, in omnem æternitatem.

Eccl. 11.

CAPVT VII.

ADVERSVS MORTIS *metum remedia.*

CVM tria præcipuè mortẽ faciant formidabilem; amiſſio rerũ omnium huiuſce vitæ, quas tantoperè diligimus; ignota regio vitæ alterius, in quam deducemur; & iudicis ſeueritas, coram quo apparebimus;

mus; quinq. ista remedia adhibeantur ad metum pellendum; quorum tria prima valebunt ad leniendum dolorẽ, qui ex amissione rerum capitur; duo posteriora, aduersus reliquas metus causas facient.

Primò, Consideremus attentè, quo fine in hunc mundũ à Deo producti simus; vt in hoc vitæ cursu, intẽtio nostra à volũtate Dei creatoris nostri ne discrepet; indignũ quippe esset, si res quæpiã ab artifice in vsum aliquẽ facta, huic vsui, mentiq. artificis conformem se reddere noller. Formauit nos sanè Deus, vt ex hac vita aliquãdo migremus: iussit nos veluti peregrinos aliò proficisci; &, quæcunq. mundus habet, pro viatico nobis dedit, ne quid corpori vel animæ cõmoditatis ad hoc iter conficiendum desit. Quemadmodũ igitur, qui ab optimo parente aliquo ad suum cõmodum mittitur, adeò non metuit ciuitatis portam, qua ingrediendum est, vt etiam quæcunq. in itinere obuia sunt, tametsi iucunda lætaque clausis quasi, & auersis oculis prætergrediatur, atq. ad ciuitatẽ quo missus fuit, properet, visaq. eminus ciuitate, Deo gratias agat: Ita qui hoc iter ingressi sumus, oculis animoq. in cælis defixo eò curramus, quò mittimur, neque doleamus, aut perhorrescamus propinquante morte; sed gaudeamus nos ad metã propositã peruenisse. Et sicut is, qui rapidissimum torrentem transmittit, non in aquã ipsam, ne vertigine concidat, figit oculos, sed in ripam obiectam immobilem: Sic oculi mentis nostræ in cælo per-

petuò sint defixi, mundusque iste nec appetatur, nec aspiciatur.

Secundò, Ne grauis sit à parentibus, bonisque omnibus huius mundi, æterna per mortẽ separatio; curandum est, vt dũ viuimus, paulatim ab his rebus animum abducamus, illumque imitemur, cui, medici iudicio, est ex mandibula dens euellendus: Is enim medicamentis dentem prius luxat, & cõpage soluit, vt sine dolore excidat, alioquin summa vi, grauiq. dolore nec sine ossis læsione, cũ adhærẽte carne tolletur. Nonnulli, secuti consilia Christi, deserunt mundum, omniaq. detrimentum & stercora arbitrantur præ rebus cæleſtibus, & Christo, volũtaria paupertate, castitate, & obedientia assumpta, spretis diuitiis, contemptis voluptatibus, voluntateq. & iudicio proprio deposito alacriter deseruiũt. Alij, qui huc perfectionis non euadunt, sic mundo vtãtur, tanquam eo non vtentes; hoc est, cor suum rebus terrestribus non affigant, & quicquid mundus habet, pendant, non ex vulgi opinione, sed ex veritate. Quod vt cõmodius fiat, considerentur primò, rerũ istius vitæ conditiones & proprietates: nam ex se tales sunt, vt verum gaudium animo non adferant, neq. mentem humanam satient, imò ne consolẽtur quidẽ cor hominis, sed externos tantum sensus, gustatum, visum, auditum, odoratum, & tactũ aliquo modo afficiant, adeoque nulla sit lætitia, quæ sua amaritudine non permisceatur: nam & cum molestia parãtur, & cum sollicitudine con-

conseruantur,& cum inuidia augẽtur, & cum dolore stimulisque conscientiæ finiuntur. Secundò, perpendatur breuitas vitæ humanæ, post quam omnia necessariò sunt deserenda, velimus nolimus, & id quidem breui; nã breue est tempus vitæ, cuius iã fortè magna portio effluxit. Ego igitur cor meũ rebus illis affigam, quæ cras fortè tollentur, in æternum non redituræ? Vt autem hac consideratione affectus moueatur, curandum est, ne in sola speculatione hæreat animus, sed ad affectũ quoque practica cogitatione trãseat, nempe vt ita consideres ea, tanquam tibi certò breuiq. euẽtura. Ad quod non parum conducet; subinde adesse morientibus, iis præsertim, qui in flore ætatis abripiuntur, & quod in illis coram cernis, ad te ipsum accommoda. Præterea, vtile est mortuorum ossa intueri, eorumque nuditatem, horrorem, fætorem, & contemptum animo complecti; & quid discriminis sit inter seruum & dominum, adeoque quis seruus fuerit vel dominus, diiudicare, & quod tu futurus sis breui, quod illi, quorum sunt ossa; quandoquidem illi ante paucos annos tui similes fuerunt, & floruerunt. Iuuerit etiam, frequenter ex occurrentibus rebus imaginem mortis ob oculos ponere, aut de morte cogitationem suscipere, ex flore suauiter olente, & paulò pòst marcido; ex ariditate hyemis, quæ nobis repræsentat omnium rerum interitum; ex infirmitate, quæ florentem & robustum quemlibet deiicit; ex aspectu aliorũ, quorum

similes multi aliquando extiterũt, & obliuione sempiterna deleti sunt; & sanè vix quicquã est in tota rerum vniuersitate, vnde non possimus salutarem aliquam ad animi statum bene constituẽdum meditationem formare. Ad idem valebit præteritorum annorum curriculum in mentem reuocare, eorumq. velocitatem cum tempore futuro, licet incerto, conferre; siquidem quod ex reliqua vita supereſt, eadem celeritate percurretur.

Tertiò, si mortem non metuere, sed desiderare cupis, fac vt tibi grauis molestusq. sit mũdus, seu potius, vt eius mala incõmodaq. sentias. Qui enim molestiam patiuntur, desiderant liberari, sicut contrà, retinere volunt quod oblectat. Sancti viri molestè ferebant hunc mũdum, vnde Dauid: Heu mihi, inquit, quia incolatus meus prolõgatus est: & D. Paulus, Quis me liberabit de corpore mortis huius; cui mundana omnia sordebant vt stercora. Alij ita impatientes fuerunt miseriarum huius mundi, vt contra naturæ dictamẽ, mortem sibi ipsis consciuerint. Et quidem si percurras singulas humanæ vitę ætates, plures inuenies miserias, quã cõmoditates; cùm etiam commoda ipsa plena sint miseriarum. Videtur enim homo similis illi, qui aliquò proficiscens nulla itineris cõmoditate vtitur, sed variis difficultatibus præpeditur. Primò, quia via lutosa, & pluuia grauis, tum montosa, postea saxosa, deinde præceps, tum rursum siluestris & latrociniis infesta. In quo sanè itinere vnicum

Psal. 119.
Rom. 7.

est

est solatiū, breuitas viæ, si modò certa sequatur quies. Nam si ad grauius malum tenditur, veluti ad supplicium ignis, æquiori animo ferētur minora hæc incōmoda. Qui igitur ad beatissimam illam optatissimamq. quietem proficiscitur; capiatur tædio malorū huius vitæ, ad patriæ cælestis gloriā aspiret, sese curis & vinculis huius mūdi exsoluat. Deus enim tot mala voluptatibus nostris immiscuit, vt pertesi malorū vitæq. mortalis, pura illa & impermixta bona cælestia, toto corde consectaremur. Qui verò his tā incommodis voluptatibus tāquā magnis bonis deliciisq. adhærent, ostendunt se nō ex valle lachrymarū in beatæ vitæ sedes, sed à miseriis hisce terrestribus, ad inexhaustum infernalium malorū oceanum proficisci. Quod si fortè cōmunibus aut priuatis malis, quia bonis omnibus deliciisque affluis, non cōmoueris; tibi ipse accerse molestiā, ieiuniis, vigiliis, pœnitentiis, corporisq. id genus afflictionibus, vt incipiat te vitæ tædere; Deumque precare, vt, quod bonis omnibus est summè molestū, id tu quoque non leuiter, sed molestè feras; nēpe, quotidianis peccatis Deū offendere; istius mundi illecebris oblectari; mentē difficulter in cælū attollere; tot imperfectionibus, & perturbationibus subiectū esse; tanto tempore suauissimo diuini vultus aspectu carere: Hæc enim si grauia tibi esse cœperint, non secus adspirabis ad mortis quietē, atq. mercenarius quispiam, post longos molestosq. labores, ad dulcem diuq. optatū somnum.

num. Quando de iustorũ morte, qui laboribus multis æternã gloriã pepererũt, scriptura cõmemorat; labores ipsos, à quibus in æternum
Apoc. 7. suauissimè vacabunt recensetː non esurient, neq. sitient amplius, neq. cadet super eos sol, aut vllus æstus: absterget Deus omnẽ lachrymã ab oculis eorũ, & iam nõ erit amplius neque luctus, neq. clamor, neq. dolor, &c. sicut contrà his qui labores omnes, subterfugerunt, vitãq; deliciis plenam duxerunt, vocantur in memoriã bona, quibus in hac vita fuerũt oblectati, atq. in posterum per omnia sæcula ca-
Luc. 16. rere debebunt: Fili (inquit) recordare, quia recepisti bona in vita tua, nũc autẽ cruciaris. &,
Apoc. 18. Merces eorũ nemo emet amplius, merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, &c. & poma desiderij animæ tuæ discesserũt à te; & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa non inuenient. Siquidem qui in labore hominum esse noluerunt in hac vita mortali, in laboribus erunt dæmonũ in morte immortali.

Quartò, cũ sola nudaque, & inermis egrediatur anima inter sæuissimorũ hostium cohortes, danda est opera, vt, cùm non liceat ex hoc mundo nobiscũ comites adducere, saltem illic statim à morte socios amicosq. inueniamus, qui solitudinis illius tædium subleuent, tutosq. per hostium agmina ducant. Hi erũt: Primò quidem Sancti cum Christo regnantes, cælestis aulæ principes: & præter cæteros,

Ange-

Angelus noſter tutelaris: cum his ſi viuentes ineamus familiaritatem, eos quotidie inuocemus, ex his patronos nobis certos deligamus, quos veneremur ſingulari cultu, quorum imitemur exempla, & Angelo cuſtodi pia nobis conſilia ſuggerenti auſcultemus; habebimus eos nobis proculdubiò in hora mortis fauentes. Secundò, Animæ parentum, aliorumq; fidelium defunctorū, quas orationibus, ſacrificiis, eleëmoſynisq. ex Purgatorij pœnis eduximus. Tertiò, pauperes & corporalium ſpiritualiumq. bonorū indigentes, quibus ad pietatē, & vitam ſaniorem, æternamq. ſalutem, quocunque modo auxilium tulimus. Hi omnes, conſpecto de cælis periculo noſtro, accurrent obuij ſuppetias laturi.

Quintò, Exacti ſeueriq. iudicis metū hac ratione minues. Primò, Si ante iudicij tempus in eius amicitiam venias, cū eo frequēter orando, meditandoq. agas, eumq. piis officiis tibi ſtudeas continenter obligare. Secundò, Si muneribus places, & quaſi corrūpas eleëmoſynis, quas pauperibus, ipſius filiis & mēbris, libera & effuſa manu largiaris, & illis maximè, qui ob vitæ ſanctimoniam plus apud iudicem poſſunt, quales ſunt religioſi, qui deſerto ſæculo ſe totos ad Chriſti obſequium cōtulerunt. Tertiò, Si cū Vicariis iudicis in Sacramento pœnitentiæ diligenter rationes tuas putes: illi quippe cùm iudicis acceperint poteſtatē, ſi omnia dimittant, & ſacra abſolutionis verba, tanquā chyrographum ſoluti debiti

tradant, non erit quod coram iudice metuas. Quamobrē prudenter ages, si crebrò peccata Sacerdoti confitearis, ne quid reſtet virtute abſolutionis, teſtimonioque chyrographi non condonatum.

CAPVT VIII.
DE IVDICIO.

2. Cor. 5. Rom. 14. OMNES nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq. propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malū. Omnes omnino homines iudicandi ſunt à Chriſto, nemine prorſus excepto: ſiue diuites illi ſint, ſiue pauperes, Reges, Principes, plebei, ignobiles, omnis ætatis, omnis ſexus: quia ſtatutū eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc, iudicium. Bis autē vnicuiq. ſtandū eſt ante tribunal Chriſti: ſtatim à morte obita, & in cōmuni illo totius orbis iudicio; quod generale iudiciū, ſi ſententiā ipſam ſpectes, præter mercedem, quæ corpori dabitur, nihi noui adferet, ſed erit cōfirmatio eorū, quæ in particulari ſingulorū iudicio decreta fuerunt. Qua ex re intelligimus, nō minus eſſe metuendū priuatum hoc iudiciū, atque illud vniuerſale, quia qualē inueniet Deus hominē, in ſuo nouiſſimo die, talē iudicaturus eſt in mundi nouiſſimo die. Quàm verò ſit formidabilis futurus dies ille, primò quidē ex vaticiniis prophetarū intelligere poſſumus: Mal. 3. Ecce (inquit Malachias) veniet, & quis ſtabit ad videndū eū, & quis poterit cogitare diem aduen-

aduentus eius. Deinde nõ minus idẽ declarãt voces ſanctiſſimorũ hominum, qui magnum de illo die timorẽ habuiſſe videntur. Quid faciã, inquit B. Iob, cùm veneritad iudicandum Deus? quaſi dicat: hæc vna ſollicitudo me tenet, vt in die iudicij immunis ab omni damnationis periculo euadã. Et B. Paulus, qui plus cæteris omnibus laborauerat, & qui nullius peccati ſibi cõſcius erat; Caſtigo, inquit, corpus meũ, & in ſeruitutẽ redigõ, ne fortè cùm aliis prędicauero, ipſe reprobus efficiar. B. Hilarion, cùm ab anno ætatis 14. ad extremã ſenectutẽ, duriſſimam vitã egiſſet, tamen in extremo vitæ conflictu, ita animã ſuã alloquebatur; Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & morẽ times? Tertiò, ex grauibus pœnis, quibus ſe multi viri ſancti vtriuſq. Teſtamenti, ſponte afflixerunt, vt hoc terribile Chriſti iudiciũ, ſalui effugerent. Veteris legis patres plerique lapidati ſunt, ſecti ſunt, & circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis & cauernis terræ, vt meliorem inuenirent reſurrectionẽ. In nouo autẽ teſtamento martyres grauiſſima ſupplicia paſſi ſunt, & Confeſſores, Monachi, & Anachoretæ, admirabili victus cultuſq. aſperitate corpus caſtigauerunt: alij ſub dio in columna erecti multis annis ſteterunt: alij ſumma paupertate vitam traduxerunt: alij verberibus, ciliciis, vigiliis, carnẽ domuerunt, multaq.

Iob 21.

1. Cor. 9.

D. Hieronymus in vita S. Hilarionis.

Hebr. 11.

taq. id genus præstiterunt obstupescēda, vt in hora mortis iudicē sibi inuenirent placatum. Cùm igitur idē sit dominus & iudex omniū, qui non magis iustus atq. seuerus futurus est his, qui metu seueritatis eius grauissima ista molestissimaq. sibi imposuerunt, quàm cæteris hominibus omnibus; vehementer metuendū est his, qui nunc ita securè viuunt, voluptatumq. omniū habenas laxant, ne longè aliū in se Christū experiantur, quàm in hac tanta securitate, sibi promittunt: qui vt salutarē metū concipiant, consiliumq. capiant iudicij illius acerbitatē subterfugiendi, poterunt hisce sequentibus meditationibus seriò aliquādo occupare animū. Si enim aliquid est in vita humana magni momenti, & à quo salus nostra dependet, illud est in huius iudicij consideratione positum: quod iudicium decernet cuiq. nostrum locum, vbi per omnē æternitatem vel optimè iucundissimeq. viuamus, vel pessimè miserrimeque moriamur.

CAPVT IX.
DE PERSONIS IVDICIO *præsentibus.*

CONSIDERANDAE sunt quatuor personæ huic iudicio adfuturę. Primò, anima iudicanda, sola illa secū in conscientia, descriptā ferens totius anteactæ vitæ historiā, quæ sub oculos omnium subiicietur: & quicquid per omnem vitam gestum fuerit, siue bene, siue malè, clarissimè conspicietur: qua

qua in re homo pictorē imitatur, qui, dū in tabula ex arte sua pingit, velo se & tabulā tegit, ne, quid agat, à quoquā conspiciatur: absoluto verò opere, remoto velo, clarè omnibus exhibet artis suæ industriam: sic homo, dum viuit, corporis istius tegumento velatus, actionibus, verbis, & cogitationibus, tanquā picturis, historiā suæ vitæ in conscientia describit: quæ historia quādiu corpore tegitur, à nemine legi potest; remoto autē hōc corporis velo, clarè ab omnibus videntur, quæ anima secum depicta defert: Et si quidē pulchris virtutum coloribus ornata sit anima, accepta erit Deo: si autē peccatorū sordibus deformis, similitudinē geret dæmonis Christo inuisi, erit Deo ingrata. Secundò, Christus Dominus, qui hic sibi duplex sumet officiū, iudicis & testis: Ego, *Hier. 29.* inquit, sum Iudex, & testis, & reuelabo pudēda tua, in facie tua, id est, cùm auertere voles cogitationes tuas à peccatis tuis, ego illa tibi ob oculos ponā, & quicquid egeris, clarè obiiciam. Quis hic quantus q. metus tenebit miserū peccatorē, quando atrocē Iudicis sui vultum, pœnas ac supplicia spirantē, intueri cogetur? quando eundem audiet exprobrantem beneficia collata? quando exhibentem videbit vulnera suscepta? quando audiet commemorantē iniurias acceptas, & summā peccatoris ingratitudinē? Ego, inquiet, pro te factus homo, pro te laboraui, pro te sanguinē fudi, grauissimas pœnas sustinui, animam posui, hæc vulnera accepi, te multis beneficiis priuatim cumu-

cumulaui, cogitationes bonas ſuggeſſi, occaſiones rectè viuendi non rarò obtuli, denique quid debui facere, & nõ feci? tu verò cõtrà nihil malorum prætermiſiſti, quibus mihi iniuriam irrogares, & ad indignationẽ cõmoueres. Igitur ſi populus Iſraëliticus totus cõtremuit, ad præſentiã Dei, in monte Sinai, cùm legẽ daret, & tanquã pædagogus lectionẽ præſcriberet: quo, Deus bone, animo erit homo peccator, quando iã eandẽ lectionẽ exacturus redibit, nihilq. præter flagitia inueniet, & neglectum legis tã ſeriò cõmendatæ? B. Ioãnes, & Daniel ad aſpectum Angeli, quaſi mortui in terram corruerunt: Iratum Aſſueri vultum, Aman ferre non potuit: Sacerdotes ſeueritate vultus Chriſti adhuc morituri, electi è templo, metu perculſi, & obſtupefacti, non audebant hiſcere: quo modo igitur miſer homũcio peccatis onuſtus, minitãtẽ & furentẽ Deũ ſuſtinebit? Dicturi ſunt peccatores mõtibus, cadite ſup nos; & collib⁹, operite nos ab ira Agni.

Exod. 18. Deut. 4.

Apoc. 1. Dan. 10. Heſt. 7.

Matt. 21 Mar. 11.

Luc. 23.

Tertiò, Sãcti Dei, quibus comitatus ad iudicandum Dominus venturus eſt, iuxta prophetiã Enoch, Ecce venit Dominus in Sãctis millibus ſuis, facere iudicium. Coram his ſiſtetur anima peccatoris, fœda multis ſceleribus peccata geſtans, & Sanctis cæleſtibus ea, tanquã inſtrumẽta exhibens, quibus Deus offenſus, & contumelia affectus, grauiterq. læſus fuit. Sicut igitur, non ſine graui pudore nobilis fœmina, in cõſpectum prodiret principum virorum, conſpurcata facie, veſtibusq.

Enoch. Epiſt. Iudæ.

multa

multa fœdaque sorde maculatis: ita ignominiosum erit animæ peccatrici, se adeò vultu, habituque deformem, in tam præstanti nobilissimorum sanctorum corona, conspiciendam collocare; qui omnes ad eam fœditatem & deformitatem ridebunt, miserumque peccatorem abominabuntur; atque, vt est apud prophetam, cum irrisione dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum. *Psal. 51.* Similitudine rem declarabo: Si vilis quispiam homuncio, qui nobilium aliquot filiorum nobilissimum ac amantissimum parentem ense peremisset, in filiorum conspectum solus prodeat, cum stricto illo ense paterno adhuc sanguine madente; quibus oculis aspicietur à filiis? quo animo feretur? vix profectò manus illi continere poterunt, quin sceleratum homicidam discerpant: Pari modo Sancti, quando peccata illa in peccatore conspicient, quibus offensus est Deus, & quasi pedibus proculcatus, summa indignitate peccatorem detestabuntur, eiusq. æternas pœnas desiderabunt. Neque hîc quispiam sibi blandiatur de nobilitate, dignitate, diuitiis, aliisque rebus, quibus hæc vita illustratur: Sicut enim non est personarum acceptio apud Deum, qui *Act. 10. Rom. 2.* nec diuitis rationem habebit, nec pauperis: ita neque Sancti splendore cuiusquam externo, sed sola interna pietate ornatúq. animi, mouentur. Habet enim ferè se res perinde in hoc theatro vitæ humanæ, atque in actione scenica, in qua diuersæ personæ Regum, nobilium,

lium, pauperum, mediocriũ, atq. omne genus hominũ, à diuersis repræsentantur: Et is quidem frequenter Regis personam sustinet, qui conditione est pauper & fortè mendicus: quẽadmodum subinde is qui mendicũ agit, filius est viri lauti & copiosi: Regi ab iis tantũ defertur honor, qui ad scenam pertinent, nõ autem à ludimagistro, vel spectatoribus, qui in vniuscuiusq. actionem oculos habent defixos, & eos cõmendatione dignos indicant, qui suã personã qualis illa cunq. fuerit, seu nobilis, seu rustici, seu pauperis, quàm dexterrimè, & decentissimè repræsentarũt. Similis scena est in theatro mundi istius, in quo Deus istius ludi moderator singulis hominibus personã suam agendam distribuit: ipse est spectator actionis cum sanctis omnibus, & vniuersis illis, qui ad hoc theatrum vitæ humanæ non pertinent, vt sunt Angeli, dæmones, & quotquot tam boni quàm mali, ex hac vita migrauerunt. Homines igitur viuentes, hominibus honorẽ habẽt, quamdiu agunt in scena; peracta verò comœdia, etiam ipsi ad numerũ spectatorum transeunt, à quibus spectatoribus, adeoq. à Deo ipso sola ratio habetur actionis, nõ personarum: nõ rarò enim Regis partes agit vir improbus & flagitiosus, nullius apud Deũ existimationis: sicut è diuerso mendici personã gerit persæpè vir sanctus, apud Deum summæ nobilitatis & pretij maximi: quemadmodum cùm mercator quispiam, varia moneta vice calculorum vtitur, aurea, argentea, ænea, non rarò fit,

fit, vt in subducendis rationibus æneus nummus, mille aureos significet; contrà verò aureus nummus vel argenteus obulum: qui tamen nummi, confecta ratione, suo loco reponuntur, & aurei pluris quàm cæteri æstimantur. Ex sanctis autem, Angelus tutelaris, beneficiorum à se datorum memoriam repetet, vt sæpè saniſſima consilia suggesserit, à peccatis deterruerit, dæmonum conatus retardauerit, Deũ orauerit; quæreturq. se nõn auditum, sed repudiatum. Quid hic erit spei, quid mentis misero peccatori, quãdo ab eo se videbit grauissima accusatione percuti, quẽ pænè vnicũ habuit antea propugnatorẽ ac patronum?

Quartò, dæmones humani generis hostes sempiterni, operã suam in hac actione nõ patientur desiderari, qui & bona opera extenuabunt, vti in accusatione Iob factum legimus: & peccata exaggerabunt, & quodãmodo in hanc sententiã, different: O iudex æquissime, multa tu præstitisti huic, pro eo excepisti acerbissima supplicia, & mortẽ deniq. durissimã: paucula quædã rationi consentanea & factu lenia, vt suum in te amorẽ, & obseruãtiam vicissim declararet, seriò præcepisti; quæ vt præstaret alacrius, internum tuæ gratiæ auxilium, multaq. externa subsidia, subministrasti; & summũ illud, quod dignitatẽ omnium creaturarum excedit, præmium certissimò addixisti: Ego in eius gratiã & cõmodum nihil præstiti vnquam, quin potius nocendi omnes occasiones quæsiui; nihil ei præcepi, sed suasi; *Iob 1.*

N &

& nõ leue aliquid, sed durum, molestum, difficile; nullo post hanc vitã præmio, imò pœna potiꝰ ignis æterni proposita. Ipse aũt te spreto & abiecto, se mihi adiunxit & consecrauit, conuulsa similitudine & imagine tua, sordidam mẽtã effigiẽ, in anima sua constituit, cõtempta maiestate & imperio tuo: quæcunque ego vel obscurè insinuaui, alacriter præstitit, & plus quàm suggerere ausus fuerim, fecit. Suasi vt esset parcus & tenax, pauperibusq. eleëmosynas negaret; ipse etiã aliena per vim rapuit, & fœnerando multa, per summã iniuriã corrasit. Hortatus sum vt ira animo concepta, cõtumelias, & maledicta effunderet, ipse etiã verbera & plagas innocenti imposuit: Insurraui vt sacris diebus, neglecto tui cultu, vacaret ocio; ipse non solùm hoc fecit, verùm etiam pro tuis diebus festis, festos imò funestos corporis sui dies egit & celebrauit, comessatus est, luxuriatus est multò vehementius quàm aliis diebꝰ, ita vt totius septimanæ peccata in sacros dies reseruasse videatur. Monui vt ad lautiorẽ cõmodioremq. vitã degendam pecunia emeret Sacerdotium; ipse eadem arte plura beneficia inuasit, preces horarias rarò persoluit, impurum scortũ ad multorũ scandalum domi sacrilegus aluit. Quid superest igitur, quàm vt à te quẽ viuens inter mortales reiecit, spreuit, cõtumeliis affecit, vicissim rejectus, mihi adiudicetur, quẽ audiuit, quẽ coluit, quem imitari studuit? Ad quas angustias redigetur tunc miserus homuncio, quãdo ex con-

conſcientia iudicabit veriſſimas eſſe accuſationes? quò ſe conuertet, cùm Iudicem videbit iratum, Sanctos indignabundos, dæmonem, vt abreptum in gehēnam præcipitet, accurrentem, conſcientiam ſibi malè conſciam obiecta crimina confitentem?

CAPVT X.

DE EXAMINE IVDICII.

CONSIDERA deinde examē ipſum quod inſtituetur, factorum, dictorum, cogitatorum, in quo examine tria ſunt præcipua, quæ metū poſſunt adferre. Primum eſt, multitudo earū rerum de quibus erit reddenda ratio: nā cui plus datum eſt, plus requiretur ab eo. Scriptura nos vocat œconomos, & diſpenſatores bonorum Domini noſtri: bona item iſta terrarū dicuntur nō noſtra, ſed aliena: Si in alieno (inquit) fideles nō fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Non minus ſeuerè repetet à nobis Deus rationē omniū bonorum concreditorum, atque nos à famulis & œconomis noſtris. Eſto igitur diues quiſpiam mercator, qui miſſo ad nundinas famulo, iubeat optimas merces emi, easq. diuerſarū regionum, Italicam byſſum, Hiſpanica aromata, Germanica vina, Belgicos pannos, & quicquid Gallia, Anglia, Norvvegia, præclarū habet: tradat verò illi ad hæc cōparanda, monetam omnis generis, quæ in prædictis regionibus grata ſit: addat deinde munera amicis fautoribusq. offerēda; & deniq. filios illi ſuos

Luc. 12.

Luc. 16.

tres adoleſcentes adiungat, quorum curam ei ſingulari ſtudio & affectu cõmendet. Peractis nundinis, vbi domum reuerterit famulus, exigetur ratio de mercibus, de muneribus, de filiis. Et quidem de mercibus: Primò, an ſicut iuſſus fuerat, vniuerſam pecuniam in merces expenderit: Secundò, quas nã emerit: Tertiò, an bonas, an viles, laceras; ſingulæ namq. inſpicientur: Quartò, an æquabili precio, nec carius, nec vilius. Non vocabit culpa apud dominũ famulus, ſi cùm merces in mercatu non deeſſent, vniuerſam pecuniã ex ipſius mandato, pro iis cõparandis, non expoſuerit, multaſque vtiles neglexerit. Secundò, multo minus, ſi cùm ad emendũ magna pecunia data miſſus fuerit, nihil tamen emerit. Tertiò, neque erit immunis à reprehenſione, ſi nõ bonas, ſed laceras, veteresq. res domum tulerit, cùm eodẽ precio offerrentur res præſtantes. Quartò, ſi ſpõte ſua carius emerit, cũ potuiſſet vilius. Quintò, grauiſſimã incurret dñi offenſam, ſi aliis, præſertim hoſtibus furatis domini, emerit, non domino ſuo. Sextò, ſi furatus pecuniã in ſuum aut aliorum vſum conuerterit. Quod ad munera attinet, in magna ei culpa ponetur, ſi ea dare neglexerit, quibus iuſſus fuerat, ſed vel perire ſua incuria permiſerit, vel aliis obtulerit, vel ſibi ſeruauerit. Deniq. de filiorũ cõmiſſorum cura inquiretur, quos ſi vel fugere, vel inſoleẽter ſe gerere, vel inopiam incommodaq. pati, cùm potuiſſet cauere, vel miſerè interire permiſerit, ſuiq. ipſius potius, quàm illo-

illorum rationē habuerit, meritò graui pœna corripiendus veniet. Hæc ad te referas, quem Deus bonorum suorū constituit œconomum, atq. ad nundinas rerū cęlestium, in hunc mūdum ablegauit, pecunias varias, nēpe diuersa beneficiorum genera cōmisit. Primò, vitam ipsam. Secundò, animā cum facultatibus suis, atq. potentiis, docile ingenium, tenacem memoriā, eruditionē, prudentiā, & quicquid ad animum pertinet. Tertiò, corpus sanū, vires, formam honestā, nobilitatē, vsum loquendi, dicendiq́ue facultatē. Quartò, Externa bona, diuitias, honores, dignitatem, authoritatē, cibum, potumq́ue, locū, & tēpus ipsum, in quo viuimus. Munera sunt cùm cæteræ diuitiæ, tū maximè Ecclesiastica bona. quæ ad inopū necessitates, cultumq́. Ecclesiarū fuerunt à maioribus relicta & donata: filij sunt quoscunque nostræ curæ Deus commisit, liberi nostri, famuli, mercenarij, & nobis quacunque ratione subiecti.

Examen igitur à Deo sic instituetur, vt inquirat, an his beneficiis omnibus bonisq́. acceptis, ad ipsius gloriā vsi fuerimus. Indignabitur enim Deus, Primò, si aliquod talentum neglexerimus expendere, tametsi reliqua in bonum vsum conuerterimus: nēpe si scientia quidē, eloquentia, authoritateq́ue rectè fuerimus vsi, pecunias verò nō vtiliter elargiti, tēpus sine fructu triuerimus, verbaq́. temerè effuderimus. vult enim Deus, nihil quod nobis ad lucrū cōmisit, suo lucro vacare. Quamob-

rem, Secundò, graui peccato se illi obstrictos intelligent, qui talenta omnia inutiliter expẽdunt, neq. lucri aliquid ad animæ suæ salutẽ reportant. Tertiò, etiam illi, qui in rebus non omninò quidẽ malis, aut noxiis, sed non perinde integris, atq. vtilibus, toti occupantur, vt qui ad altiora nati, ingenia sua in rebus minutioribus, vt musicis, poëticis, tẽporalibus, externisq. occupationibus, & curis defigunt; qui bona opera, vel praua intentione corrumpũt, vt qui ad laudẽ & inanẽ gloriã eleëmosynam tribuunt, qui in confessione peccatũ aliquod, de industria, silentio prætereunt, qui Christi corpus in peccato suscipiunt, vel negligentia obscurant, & quasi puluere aspergũt, vt qui in oratione mentẽ habent lõgè lateq. dispersam, & vagantẽ: qui vanis sermonibus dissoluũtur, quando in pauperẽ conferũt eleëmosynã, &c.

Psal. 74. Ait enim Dominus: Ego iustitias iudicabo: bona inquã opera, quã rectè sint facta, examinabo. Quartò, qui carius emerint, hoc est, pro ratione pecuniæ expositæ, parũ retulerint domũ; vt sunt qui cũ præstantia à Deo acceperint talenta, magnas vires, & opes, plurimum tẽporis, &c. exiguum tamẽ lucri fecerint. Vires corporis ferebant quidẽ maiores labores, diuitiæ maiorẽ eleëmosynã; ætas tot annorum auctiores virtutes: at ipsi minoribus contenti

Eccles. 9. fuerunt. Monuititaq. rectè sapientia: Quodcunque potest manus tua, instanter operare. Quintò, qui contra Dñm talentis vsi fuerint; doctrina ad hæreses; pecuniis ad fastũ, luxũ, libi-

libidinẽ; verbis ad blasphemias, cõuitia, periuria, impuritatẽ, detractionẽ; potestate ad peccata sua alios q́ue, &c. Sextò, qui talenta Domino furto abstulerint, atque ad sua ipsorum cõmoda retulerint, vt qui in diuitiis atq. honoribus oblectantur, & in bonis Domini sui, non aliter atq. si à Deo accepta nõ essent, gaudent, deliciantur, gloriantur q́. Iã verò de muneribus, hoc est, de eleëmosynis in pauperes erogatis, cum omnibus quidẽ, potissimum tamen cũ iis, qui Ecclesiasticis Sacerdotiis sunt ornati, districta accurataq́ue instituetur quæstio. Siquidẽ res pauperum, nõ pauperibus dare, par crimen sacrilegij est: & (quod olim Canonico cuidã scripsit B. Bernardus) quicquid tibi seruas præter victũ & simplicẽ amictum, tuum non est, rapina est, sacrilegiũ est. Et sicut grauius in sacerdotũ, quàm in sæculariũ vitia animaduertetur (quia apud sæculares nugæ, sunt nugæ: sed in ore sacerdotis nugæ sunt blaphemiæ) ita seuerius in Ecclesiastica bona inquiretur, nẽpe de beneficiorum numero, de prouentuum magnitudine, de sumptibus factis, in quos vsus, de possessione eorum legitima, an per simoniam parta, aliaq́ue id genus innumera.

Deniq. de subditorũ peccatis negligẽti cura, ignorantia, exiguo profectu, reddenda erit superioribus ratio; nõ modò an doctrina, verbo, aut exẽplo præbuerint ad malũ occasionẽ; sed an omissione, negligentia, & negociis, aut occupationibus aliis minus necessariis de-

tenti eorum salutem aut progressum minus promouerint.

Secundũ, quod in hoc diuino examine metum conciliabit, est Iudicis exactissima & diligentissima de singulis inquisitio, accurata inspectio, & seuera punitio. Quis paterfamilias in magnis rationibus obulũ vnum, qui fortè periisset, à famulo exigit? at Christus non solũ nouissimum quadrantem reddi iubebit, sed de omni verbo otioso rationẽ exiget; quanto magis de his, quæ otioso verbo grauiora erunt? Quis item antiquas offensas minutioresque, quæ memoria exciderant, in mediũ adducit? at Deus occultissima quæq. inuestigabit, scrutabiturq. Heruſalẽ in lucernis, & sordes omnes minimosq. pulueres in angulis abstrusos proferet in lucẽ. Quis deniq. cogitationes indagat, quando res ipsa quæ præstatur, est vtilis & cõmoda? De⁹ autẽ penetrabilior omni gladio ancipiti penetrabit vsq. ad diuisionẽ animæ & spiritus, distinguens inter animæ, hoc est, naturę cogitationes, & diuini spiritus motiones, discernẽs intẽtiones intimas cordis, ipsasq. medullas, & animæ cõpages, ne quid vel intus lateat impuritatis, vel foris adhæreat. *Soph. 1.*

Tertiũ est, grauissima & acerrima Christi Iudicis de rebus existimatio. Nõ enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dñs: quia sicut exaltatur cęlũ à terra, ita cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Qui bonos habet oculos, & acutè videt, minimas notat & obseruat macu- *Esaiæ 55.*

las:

las: qui valde studiosus est mundiciei, non potest ferre vel exiguas in pretiosa veste sordes: in facie speciosa & pictura excellenti, paruus næuus ab artifice peritissimo notatur facillimè: Christus amātissimus puritatis, atq. adeò ipsa puritas, aspectu suo omnia peruadens, & penetrans in anima nobilissimo pulcherrimoque Dei opere, minimos næuos & videt clarissimè, & fert iniquissimè. Nos velati corpore, oculis mentis capti, sordibusq. vitiorū immersi, vix quod rectum est, aliquo modo perspicimus. Itaque nos quædā arbitramur exigua peccata, in quę Deus grauissimè animaduertit. Quis nostrum non existimaret exiguum peccatū Adami, primi parentis, qui vt *Gen. 3.* vxoris desiderio satisfaceret, pomum vnicum gustauit: & quis magni faceret colligere ligna *Num. 15.* paucula, die Sabbati, ad culinæ necessitatem? Quis Moysi peccatum, quo iusta indignatione cōmotus hoc solū dixit: Audite rebelles, & *Num. 20.* increduli, num de petra hac, poterimus vobis aquā educere? Quis factum Achan, qui ex hostium ciuitate nonnulla clam seruauit de bonis gentiliū contra ducis sui Iosue mādatum? *Iosue 7.* & Ananię Saphiręq. mendaciū, qui metu egestatis non integrū pretium venditi agri B. Petro obtulerunt? & hi tamen omnes grauissimè *Act. 5.* puniti, euidenter docuerūt, quanti apud Deū hæc peccata fuerint. Adami peccatum etiamnum luimus: collector lignorum, & Achan lapidibus obruti fuerunt: Moyses mortaliū omniū māsuetissimus, Deoq. charissimus, ad ter-

ram promissionis non aspirauit: Ananias & Saphira, morte mulctati. & quis rerum gehennæ putaret illũ, qui dicit fratri suo fatue, nisi Iudex ipse affirmaret? Rursus nonnulla nos in peccatis non numeramus, quæ peccata sunt in iudicio Dei. Ionathas ignorans patris sui indiscretum mandatũ, nonnihil mellis gustauit, quod Deus, quàm sibi ingratum fuerit, nego to oraculo, patefecit, eratque iam capite plectendus Ionathas, nisi populi auctoritate fuisset liberatus. Dauid quòd vana quadam leuitate impulsus numerãdum populum curauisset, punitus est triduo, interitu 70. millium hominum. vnde magno affectu clamare cœpit: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis mũda me Domine. Sunt rursus quæ nos in bonis operibus ponimus, corã Deo peccata grauiter punienda: Bethsamitæ, visa arca, obtulerũt sacrificium, ex eisq. occisi 70. nobiles viri, & 10. millia è plebe. Saul parcẽs Amalech, & melioribus ouium gregibus, ad sacrificium, traditus est diabolo, priuatusq. regno, mortem deniq. sibi ipse conscisciuit. Oza leuita, tenens arcã Domini ne caderet, subitò periit. Prophetæ ab altero diuinũ præceptum mentiente, ad cibum sumendũ inductus, à Leone occisus est. B. Petrus, obseruans Dei sui maiestatem, cum recusaret humiliter pedes sibi à Christo lauari, audiuit: Nisi lauero te, non habebis partem mecum. In hoc ergo Christi æquissimo iudicio multa adferentur in lucẽ examinanda occulta, & quæ non arbitramur considerãda, ne-

Matth. 5.

1. *Reg.* 14

2. *Reg.* 24

Psal. 18. *v.* 13.

1. *Reg* 6.

1. *Reg.* 15

2. *Reg.* 6.

3. *Reg.* 13.

Ioan. 13.

dum

dum punienda. Plerique, se multis meritis, bonisq. operibus existimant placere Deo, qui tunc se prorsus vacuos omni merito inueniēt: vel quia mercedē in hac vita mortali per fœlicitatē temporalē receperunt: quemadmodū purpurato illi Epuloni dictum fuit: Fili recordare quia recepisti bona tua in vita tua: vel quia bona illa opera per inanē gloriam, aliáve peccata, vitiū contraxerunt, vel euanuerunt. Quemadmodum de ieiuniis, eleëmosynis & orationibus Pharisæorum testatur Dominus: Receperunt, inquit, mercedē suam: & de aliis; Multi dicent mihi in illa die, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecim⁹, & in nomine tuo virtutes multas fecimus; & in plateis nostris docuisti: concionati sumus, conciones continenter audiuimus, ad fidei confirmationē miracula edidimus? Quibus respōsurus est Dominus: Amen dico vobis, nunquam noui vos, ne tum quidē, cū miracula ederetis, tamq. præstantia opera perficeretis: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Non deerunt qui se frequenter confessos affirmabūt, & à peccatis liberos existimabunt; qui iisdē adhuc peccatis maculati condemnabuntur: vel quia sine peccatorum vero dolore cōfessi; vel quia sine proposito mutandæ vitæ. Quis igitur non metuat iudicia Dei? quis glorietur se castum habere cor? quis nō videat quā sit necessariū, vt semper sit pauidus, omniaque suspecta habeat, nec securè viuat, suisque vitiis laxet habenas? Si enim

Luc. 16.

Matth. 6.

Matth. 7.

Ibidem.

enim iustus vix saluabitur; si B. Paulus, hoc Dei iudicium tã anxiè metuit; si sancti omnes reformidarunt Christi aduentum ad iudicium; impius, & peccator vbi apparebunt?

CAPVT XI.

DE SENTENTIA IVDICIS.

DISCVSSIS cognitisq. causis, procedetur ad sententiæ pronunciationem. Gerit se Christus ritu præceptoris, qui iniuncta discipulis lectione, vidēs eos studiorum tempore nugari, garrire, ridere, ludere, & aliis rebus illicitis operã dare, silet vsq. in tempus recitandarũ lectionum, quando ignoratæ lectionis, ab omnibus meritas pœnas repetet. Ita Christus de cælis prospectat quid agamus, patiturq. nos pro arbitratu nostro viue-
Luca 12. re, & quidlibet agere: Hęc est, inquit, hora vestra, & potestas tenebrarũ. hora est breue tempus. At vbi venerit nõ hora, sed dies Domini, acerrimũ aget non iam monitorem, sed iudicem, sententiaq. sua terrebit impios. Quę sententia multis nominibus erit formidabilis, summeq. metuenda. Primò à constãtia & integritate iudicis, qui nullis precibus, nullis lachrymis, nullis promissis, nullo proposito emendationis, & pœnitentiæ, nulla intercessione sanctorũ flectetur, nullius terrebitur nobilitate, nullius eruditione, nullius authoritate, potentia, diuitiis: Nullas admittet excusationes, sed pro iustitia iudicabit impios. Apud mortales videntur locũ aliquẽ habere excusa-

tiones

tiones nonnullæ. Primò, si ab aliquo de officio moniti, dicamus nos esse homines sæculares, externis negotijs occupari, occasiones peccãdi, iurandi, plus æquo bibendi, nugas tractandi, &c. vitare non posse, &c. esse cũ sæcularibus in huiusmodi quotidianis rebus conniuendũ. Secũdò: magnã esse eorũ multitudinẽ, qui ita faciant, & hanc viuendi rationem constãti, ac penè generali omnium hominũ consuetudine iam diu corroboratam: Ita, aiũt, iã fieri consueuit, vt hospites ad æqualia pocula cogãtur; vt sermoni, quasi ornatus gratia, misceatur iuramentum; vt lepidæ narrationi addatur mẽdaciũ. Tertiò, multo grauiora in aliis esse peccata: Iuro quidem, inquis, sed alter peierauit: Nónne melius est, sacerdotẽ, vna muliere cõtentum viuere, quàm incertis vagisq. libidinibus alienos thoros violare? Quid magnũ feci ebrietate? nemini nocui, neminẽ læsi, nullius facultates abstuli. Hæc speciosè apud homines: at non habebunt locũ apud Deum, qui & multitudinis inueteratã peccandi consuetudinẽ euersis Sodomis, totaq. pentapoli, hoc est, quinq. regnis, grauissimè castigauit; & nõ solùm in grauiora flagitia sæuiet, sed leuiora quoq. delicta vindicabit: quia non solùm cultores vituli in deserto prostrauit, sed paperculũ colligentẽ sabbatho ligna, lapidibus obruiiussit: & non tantùm decẽ millium talentorũ debitum exiget, sed nouissimũ etiã minimumq. quadrantẽ solui volet; & non modò ligna, sed fœnũ quoq. & stipulã, res minutissimas,

Gene. 19.
Exod. 32.
Num. 15
Matt. 18.
Matth. 5.
1. Cor. 3.

simas, ignis vastabit & absumet. Secundò, à magnitudine rerū quæ misero adiudicabūtur: non hic agetur de limitibus, de stillicidiis, de restitutione debitæ pecuniæ; quæ tamē res nō parū anxias reddunt partes, quando ad sententiā lis est perducta. Sed de summis malis, aut summis bonis, talibusque vt nullius hominis mens & cogitatio, vel horū bonorum præstantiam & multitudinē, vel illorum malorū vehementiā & atrocitatē, animo cōprehendere possit; tamq. diuturnis vt non vno aut pluribus annis finiantur, sed in perpetua sæcula & in omnē æternitatem durent; & nunquā intermoriantur, aut terminentur, quamdiu Deus ipse futurus est Deus.

Tertiò, ab immutabili sententia, quæ nullo iudicio retractabitur, nullaq. de causa relaxabitur. In hac vita, permittuntur ad superiores Iudices appellationes, vel causarū reuisiones; quia fortassis Iudex, vel ignorantia laborauit, vel affectu: Deus creaturarū omniū Dominus & cōditor supremus iudex est, ad quē ab omnibus prouocari potest, à quo ad aliū nullum est appellatio: cumq. omnia clarè peruideat, non potest ignorantia falli, & cùm personam nullius accipiat, sed omnes homines ardētissimè diligat, non agitur affectibus.

Igitur quando discussis omnibus, erit æterna illa & irreuocabilis à Christo pronuncianda sententia, quantus metus miserā animam inuadet, ne fortè sors aliter, atq. optandum illi esset, cadat? quæ trepidatio, quādo eleuata manu,

nu, conuersisque in te oculis, labia mouere, os aperire, verba edere, ad sempiternū illud, immutabile, summiq. momenti decretum, iudex incipiet? Hac similitudine poterit res ista nō nihil videri: Sit apud potentissimū regem vir quispiā nobilis, multorū flagitiorū accusatus, suis tamen dilectus; pro quo liberando ciues sui supplicēt, hostes verò eū ad horrendū ignis suppliciū postulent & vrgeant: Rex sorti committat sententiā, vt prout sors exierit, vel adoptetur in filiū Regis, successurus in regnō, vel igni exstructo quàm primùm exuratur: Adsit præsens huic sortitioni miser ille captiuus; videat duas illas scedulas in vrnā mitti, vrnam nōnihil agitari, tū adolescentē brachium manumq. mouere, camq. in vrnā mittere, scedulam alterā educere, explicare, explicatāq. Regi legēdam pronunciandamq. exhibere, tota hac actione, quomodo miselli hominis cor palpitabit! quas nō preces ad Deū fundet? quæ non vota nuncupabit? quomodo non toto corpore contremiscet? totusque sudore madebit, in re tanti momenti? Et hæc tamen res quāti est ad sententiā Christi? mors temporalis, ad mortē sempiternā? ignis terrestris & caduc⁹, ad ignē inferni inextinguibilem? Nō agetur hic quidem sorte aut fortuitò, sed sapientissima iustitia Christi. Verū quàm diu tibi ignota erit dubiaq. sententia Iudicis, & inde quidē vrgebūt aduersarij Dęmones ad ignē, infernusque os suū ad te deuorandū aperiet; hinc verò mens sibi malè cōscia veritati nō repugnabit,

nónne

nónne in magnis anguſtiis eris? profectò ſi ſpes aliqua euadendi appareret, nihil non offerres Deo, vota nũcupares, ſanctiſſimeq. non modò vitæ mutationẽ, ſed maſſam quoque pœnitentiã, corporisq. afflictiones per omnẽ vitã ingares, atq. pollicereris. Poſteaquã verò fatale illud & totirerũ vniuerſitati horribile
Matt. 25. verbum iudex edixerit: Diſcede maledicta in ignẽ æternum: Deus bone, quę deſperatio? qui fletus? quæ lamenta? ſingula verba admirabili pondere concutient animum, ipſasque cordis medullas penetrabunt: Diſcede à me: Hactenus patronũ patremque tuũ egi, innumera beneficia largitus ſum, tui cùram habui, in poſterũ ab hoc momẽto nihil mihi tecũ negotij erit, te nunquam exaudiam, tui in grauiſſimis miſeriis & calamitatibus nunquam miſerebor, nulla vnquã tuorũ cruciatuum commiſeratione mouebor, diſcede ab omni bono, alienus à Deo, & bonorũ ſanctorũq. communione, Dei faciem nunquam viſurus, nihil boni aut commodi vnquam habiturus. Maledicte: Ecce tibi nouo iſto nomine, tot ſplẽdida prænomina honorumq. tituli commutãtur. Prius Reuerendus, Doctiſſimus, Nobilis, Generoſus, Illuſtris, Reuerendiſſimus, Illuſtriſſimus, Doctor, Comes, Dux, Princeps, Rex, Prælatus, Pontifex, &c. Nunc ęterna obliuione omnibus iſtis ſepultis, ſolũ eris re ipſa & nomine maledictus: Ita miſeriis, calamitatibus, cruciatibus, tormentis, pœnisq. omne genus oppreſſus, & circumuallatus; vt nulla pars nullaque

que facultas, suis tormentis sit vacua. Ita prorsus maledictus, vt non solùm ipse maledictionē apud te sentias, sed eandē tuam miseriam, cum maxima tua confusione, omnes videant, teq. plenum esse maledictionibus, luce palam cognoscāt. Maledicet enim tibi Deus ipse, cuius maledicere, est mala inferre: maledicēt ac detestabuntur te cælites: maledicēt terrestres: maledicent Dæmones, & dānati maledictionis sociis: maledicent deniq. creaturæ omnes, malaque imprecabuntur; vt sis per omnia, in omnibus, & ab omnibus in æterna sęcula maledictus. In ignē; cruciatum & tormentū quo maius cogitari ab homine non possit; ignē ita vehementē, vt non modò corpora, sed spiritus ipsos adurat. Aeternum; cuius finis tunc erit, cùm Deus, cuius regni finis non erit, Deus nō erit. Qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Cælū tibi creatū comparatumq. fuerat, non gehenna, ad gloriā excitatus eras, non ad pœnam destinatus: non vt in Dæmonis potestatē venires generatus, sed vt immortalē cælestis gloriæ hæreditatē adires pretioso Dei sanguine redēptus & regeneratus. At quia dæmonis consilia moresq. secutus, indignū te reddidisti domo cælesti, nullus alius tibi supereſt locus, quā qui dæmonibus est constitutus, vbi Lucifer imperiū tenet, hostis tuus immanissimus, qui cū Angelis suis, hoc est dæmonibus, nihil aliud per omnē æternitatē facturus est, quàm vt ad tormentum ignis, alios tibi cruciatus innumeros adiiciat. Heu quæ verba, quæ modò

quidem parũ à te ponderantur; at verò tunc, cum seriò causam tuam agi perspicies, intima cordis tui viscera penetrabunt.

Cæterùm si cõposito ad serenitatem vultu, oculisq; ad te suauiter cõuersis, dulcissimis illis optatissimisq. verbis, te cõpellare incipiat: Veni benedicte patris mei: discussa omni tristitia, pulsoq. metu, succedet admirabile gaudiũ, cordisque suauitas, animusq. in amorem Dei liquefactus, singula verba dulcissimo gustu percipiet, summaq. voluptate expendet. Veni, versatus hactenus in mundi afflictionibus, dæmonumq. molestiis & tentationibus, variisq. miseriis; in posterũ omnibus malis liber, extra pericula occasionesq. malorum, ne minimum quidẽ malũ, in æternum passurus: Veni ad me, summum bonũ, vt semper mihi adhæreas, neq. de latere meo vnquam recedas. Benedicte patris mei. nouum nomẽ, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Repleberis benedictionibus & bonis intus forisque; sic gloriosus, vt cõspicuus sis vniuerso orbi futurus: Benedictus à Deo, qui te infinitis bonis cumulabit: Benedictus à sanctis Angelis, & vniuerso Beatorum cœtu, qui tibi cõgratulabũtur: Benedictus ab inferis, & damnatis, quorum inuidentia & maledictiones gloriá tuã augebũt mirabiliter. Posside. hactenus spe vixisti, & labore cælum emisti, nunc ingredere nunquam egressurus, posside nunquam amissurus. Regnum, vt simul cum Christo regnes, in eodẽ throno resideas, summaque gloria, liber-

bertate, potentia, diuitiisq. in æternum abundes. Paratum tibi à constitutione mundi. Iam finem adipiscēris tuæ creationis; cælū tibi factum est, & tu cælo; non excidisti à termino; gaude igitur quod in te diuina voluntas sit omnino perfecta. His vocibus ad Christum euocatus, innixus super dilectum tuū, ad cælum proficiscēris, cum lætitia inenarrabili.

CAPVT XII.

DE PVRGATORIO.

TRIA sunt hominum genera, in quos à Christo iudice, statim à morte sententia profertur. Primò quidam enim ex hac vita discedūt, obstricti peccato mortali, vt Gētiles, Iudæi, omnesq. Hæretici, præterea Catholici illi, qui peccata sua pœnitentia nō deleuerunt. Hi omnes omninò, durissima Christi sententia, sempiternis flāmis adiudicātur: quorū numerus, cùm sit longè maximus, magnoperè vereri quilibet debet, ne illo etiā ipse cōprehēdatur. Secundò, sunt qui plenè, atque perfectè peccatis purgati, multisque operibus bonis meritisq. redundantes vita decedūt, qui statim à corpore ad vitam æternam transmittuntur: Pauciſſimi, rariſſimiq. illi sanè, quòd ingens sit splendor gloriæ cælestis, ad quē difficillimū est attingere laboribus nostris. Sunt igitur tertiò, inter hos medij Catholici, amici Dei, diuinaq. gratia ornati, qui ob internum spiritus sancti donum, amicitiamq. Dei, secuti sunt & tuti à gehenna, neq. tamē ob sordes quasdam, reliquiasq. peccatorum, ita mūdi, vt

digni habeantur consortio Sanctorum; suntq; hi primò, qui post mortalia peccata, dolorem quidem sincerum & sufficientē cōcipiunt sed morte præuenti, nondū baptismo (aut si quidem Christiani sint) pœnitentiæ Sacramento sunt expiati: Et hi admodum pauci, quòd rara sit vera contritio extra sacramentū. Secūdò, qui à peccatis mortalibus pœnitentiæ Sacramento purgati fuerunt, sed dignos pœnitentiæ fructus nō egerunt: Horum in purgatoriis ignibus est ingēs numerus, quòd fere in hac vita homines de satisfactione nihil vel parum cogitent, sed omnem satisfactionem in futurum sæculū reseruent. Tertiò, Qui mortalibus quidem peccatis liberi decedunt, sed quotidianis, & venialibus turpati: Et horū aliqui grauioribus, quæ proximè ad mortalia accedunt; qualia sunt iurare, in re non magna fraudem facere, mentiri, in templis irreuerenter inambulare. Alij minus grauia quidē habent, sed quæ nō difficulter vitare queas; vt tēporis aliquid ocio & fabulis terere, ad laudem suam leuiter loqui, in cogitatione illicita nō nihil hærere; paulò amplius quàm sibi aduertat necessariū, vel ad sanitatē vtile, potus aut cibi sumere: Alij deniq. minima, sine quibus propter naturæ nostræ imbecillitatē, hæc vita nō ducitur; cuiusmodi sunt ociosum verbum, inanis risus, distractio mentis in orationibus, leuis oblectatio in laude, & motus illi quos Theologi secundo primos appellāt, hoc est, affectiones malarum cogitationū, quibus prius-

quam

quam plenè aduertat, voluntas tangitur, & leuiter oblectatur: Hæc omnia debent perpurgari, quia nihil inquinatum aut minima labe aſperſum, intrabit in gloriã Beatorum. Apoſtoli omnes Chriſti teſtimonio mundi erant; dictum eſt tamen B. Petro: Niſi lauero te: hoc eſt, niſi abſterſero puluerem pedum tuorũ, leuiáq. peccata deleuero; non habebis partẽ mecum; quia etiã qui lotus eſt, mundusq. totus, opus habet, vt pedes lauentur, & non tantùm ligna, ſed fœnum quoq. & ſtipula, adeoq. feſtuca, igne abſumuntur. Ex ſimilitudine, qua Beatus Paulus cuiuſq. animę poſt mortẽ, particulare iudicium declarauit, intelligimus, neminem prorſus hominum euaſurum ignem, hoc eſt, diuini iudicij rigorem & ſeueritatẽ; ad quã ſeueritatẽ id omne pertinet, quidquid inter mortem & æternã beatitudinẽ, vel damnationem intercedit. Sicut enim ad moleſtias examinis, quo ad altiores gradus ſtudioſi parantur, refertur quicquid ante gradũ, aut aſcẽſum difficultatis, ex malis reſponſis oritur; qualia ſunt confuſio, obiurgatio præceptoris, terrores & verbera: ita ad Chriſti iudicium & examẽ pertinet timor, pudor, purgatorĩ ignis, & maiores minoréſve cruciatus, & tormenta, pro meritis & conditione vniuſcuiuſque. Qui igitur in hac vita, vel martyrio, vel lõga infirmitate, variiſq. malis, à Deo immiſſis, vel ſpõtaneis pœnitentiis, corporiſq. moleſtiis, omnino purgatus, nihil prẽter aurum, argentum, lapidesq. pretioſos ſecum defert, facilè ſuſti-

Ioan. 13.

1. Cor. 3.

nebit iudicium, & examẽ illud rigidiſſimum: ſicut diſcipulus diligenti, diuturnoque ſtudio paratus, non fert moleſtè examen præceptoris. Qui verò attulerit maculas, & ſi hoc examine nõ per omnia, vt par eſt, Chriſto iudici reſpondeſit, admittetur ille quidẽ ad gradũ, honoremq. vitæ, & gloriæ ſempiternæ, ſed non ſine reprehenſione, ſenſuq. doloris: qui dolor peccatorum magnitudini multitudinique reſpondebit. Ligna, id eſt, maiora abſumentur tardius; fœnũ, id eſt, minora citius; ſtipula atque feſtuca, id eſt, minima, ſolo motu tranſituq. per ignẽ auferentur. Vt aut diſcas purgatorij pœnas non parui facere, aut in eo fœlicitatem ponere, ſi liber à gehenna, purgatoriis ignibus poſt hanc vitam munderis; memento eas eſſe pœnas grauiſſimas, & acerbiſſimas, quantas ſecundũ ſententiam Beati Auguſtini, nulli paſſi ſunt martyres, pro iuſtitia; vel impij, pro flagitiis. Cogita lentum ignem craticulæ Beati Laurentij; cogita confractiones oſſium, membra contuſa, cutem ẽtractã, bouẽ Phalaridis, & quicquid tormentorũ cuiquam illatum eſt: grauior eſt pœna, quæ te expectat. Chriſti quidem Domini paſſio ſuperauit cæterorum omnium viuẽtium dolores: ſed grauiores ſunt illa, purgatorij cruciatus, ad quos adeò ſerena fronte & erecto animo tu feſtinas. B. Apoſtolus vocat eũ nomine ignis, quo nihil in hac vita vehementius torquet & affligit. Malachias Propheta Chriſtum purgatorio igne animas mundantem, facit ſimilem homini,

Malach. 3

mini, qui in ardentissima fornace conflat aurum atq. argentum, cõflatumq. colat, ne quid sordiũ vlla in parte restet. Si cogites hominẽ nimio ardore liquefactũ per minutissima coli foramina transmitti, intelliges grauissimos cruciatus à propheta significari. Possumus ex iis quæ in hac vita contingunt, aliquo modo seueritatem Christi, in animas quæ purgatoriis ignibus expiantur, coniicere. Tribus potissimum modis luunt in hac vita pœnas homines pro peccatis. Primò, quas homines ipsi assumunt. Secũdò, quas Deus infligit morbis, bellis, fame, persecutionibus, aliisque modis. Tertiò, quas Ecclesia, per ministros suos Sacerdotes, imponit. Et quidem si eas pœnitentias cõsideremus, quibus se cõplures, sua spõte, pro peccatis mulctarunt, inueniemus grauissimos labores, & corporis cruciatus longè acerrimos. Simeon Stilites multis annis, sub dio, in columna stetit; alij continuis ieiuniis, ciliciis, frigore, verberibus, carnem afflictarũt, neq. vllam corpori quietem reliquam fecerũt: Deus autem grauissimè peccata castigat. Vt enim Adamum, Dauidem & Moysem prętermittamus, aliaq. veteris nouiq. testamẽti exempla, B. Hilarion (vt author est B. Hieronymus in vita ipsius) semel nonnihil in oratione, pro fragilitate humana distractus, sensit sibi insidentem Diabolum, calcibus pungentem, cædentẽ, grauiterq. affligentem. At verò Ecclesia Dei, magnas olim pœnitẽtias in peccatores constituit, ieiunia, publicam confusio-

nem, vigilias, multaq. id genus; & quidē hæc pro grauitate peccatorū magis vel minus diuturna; quosdā totā quadrageſimā voluit pœnas dare; alios per annos ſeptē, nonnullos per omnem vitā. Si igitur homo ipſe veſtitus carne, tam grauibus pœnitentiis iudicat peccata ſua expianda: quid Deū facturum cenſes, qui nec minimū verbū otioſum impunitū patietur abire? Et ſi Deus in hac vita, tam graues pœnas à peccatoribus exigit, in tēpore miſericordiæ, & vbi nō ſolùm ſatisfaciūt opera pœnæq. hominum, ſed etiā apud Deum merentur; quàm graues erunt illæ, quæ in futuro ſæculo dependentur? in ſæculo nō miſericordiæ, ſed iuſtitiæ, vbi non merito locus erit, non ſatisfactioni, ſed ſatispaſſioni? Denique ſi mater Eccleſia, in ſinu ſuo ita grauiter filios ſuos caſtigat: quàm grauiter animaduertet Deus pater in filium, à matre iſta viſibili Eccleſia aliò abreptum? grauiora ſunt nempe verbera patrum, quàm matrum. Efficient porro tormentorum iſtorum magnitudinem: Primò, locus ſubterraneus, horridus, tenebricoſus. Secundò, dæmones qui & præſentia ſua, funeſtoque aſpectu terrebunt, & adminiſtri erunt iuſtitiæ Dei. Tertiò, ignis ipſe, aut frigus, quo admirabili modo animæ, licet à corporibus diſtractæ, diuina potentia torquebuntur. Quartò, dilatio viſionis Dei, quæ animam à corpore laxatā, nihilq. præter Deum ſuū deſiderantē, ſupra id quod explicari poteſt, affliget. Sicut enim diuturna fa-

mes

mes & sitis ita vehementer cruciat hominem, vt quiduis tentare & aggredi audeat, ad famẽ sitimq́. sedandam, malitq́. quouis alio quàm isto mortis genere interire: ita anima corpore soluta, non amplius voluptatibus huius mundi præpedita, intelligens quã suauis sit Deus, qui solus desideriũ explet rationalis creaturæ, mirabili cupiditate auet videre Deum, eiusq́. præsentia satiari; tantoq́. famis cruciatu, vt plerisque dicatur hæc sola pœna in purgatorio infligi. Quintò, Temporis vel æui illius longitudo: non enim horam vnã atq. alterã durat hæc pœna, aut paucos dies, interposita noctis quiete, sicut in hac vita; sed dies subinde multos & annos. Iosephus septuaginta septẽ die- *Gen. 50.*
bus defleuit parẽtis delicta, non dubitãs quin tot diebus potuissent puniri. Vetustissimus est in Ecclesia vsus anniuersariorũ sacrificiorum, pro animabus fidelium: quia creditum semper fuit à Christianis nonnunquã annos aliquot in his pœnis consumi. Et sanè si vnum morale peccatum septẽ annorum satisfactione, iuxta veteres Canones pœnitentiales, expiabatur; qui multis grauibusq́. criminibus vitam suã commaculauit, an non plurimorũ annorum purgatione indigebit, nisi Ecclesiæ viuentiumque suffragiis adiuuetur?

Qui ista, qua par est attentione expendet, non reponet in magna fœlicitate, in flammis purgatoriis versari. Si enim hominẽ, extrema inopia laborantẽ, fameq́. morientẽ nemo fœlicẽ dicet; si miserum putamus latronẽ illum,

qui in rotam actus, fractis cruribus, aliisq. ossibus & membris, toto triduo sub dio, media hyeme, cum suis tormentis & doloribus luctatur: quomodo nō est censenda miserabilis anima, quæ pluribus annis continēter, nulla data quiete cum tātis doloribus conflictatur, quātos nemo vnquā mortalium in hac vita sustinuit? Imò verò quomodo non est dicēdus homo infœlix, qui dum hæc non ignorat, assiduis, & quotidianis peccatis supplicia futura auget, omnēq. pœnitentiā & afflictionē, qua breui tempore in hac vita posset peccata expiare, in futurum sæculum reiicit; vbi & tardius purgātur, & grauissimis suppliciis purgātur? Esto in hac re magna animarū illarū fœlicitas, quòd certæ de æterna salute, inferni pœnas non pertimescant: maior tamē erit nostra, si per bona opera certā nostram vocationem faciamus, pœnasq. purgatorij tam atroces, & diuturnas, pœnitentiis & corporis molestiis, sponte in hac vita susceptis, deuitemus.

CAPVT XIII.

REMEDIA PRO SECVRITATE *in Iudicio.*

SI SECVRO, & erecto animo esse cupis, in tremenda illa iudicij hora, quando discussa causa tua, fatalis illa, & æterna in te sententia pronunciabitur, quinq. ista documenta in animo tuo inscribito. Primò, metuas iudicium illud, sententiamq. eius dū manes in hac vita, secutus exemplum Apostoli Pauli,

Pauli, arq. aliorum sanctissimorũ, lectissimorumq. virorum: nũc enim salutaris est metus, vtilisq. ad vitandam sententiã damnationis; tunc autem quantuscunq. tandẽ sit ille, nullo prorsus emolumento tibi erit. Habemus sanè non minorem modò metuẽdi causam, quàm tunc habituri sumus, quòd & nesciamus qualis sit in nos sententia proferenda, & fortasse non longè absimus ab illo momento, cùm iudicio sistemur. Quis enim est cui sit exploratum, se vsq. ad vesperum esse victurum? Nã, Primò, si conscientiam nostrã perlustremus, plura illic fortassis inueniemus digna damnatione quàm salute; plura, inquã, peccata quàm bona opera; quippe qui quotidie peccata peccatis addimus; de virtutibus colligendis nihil cogitamus; minora peccata, siue venialia, pro nihilo ducimus. Secundò, si tibi sis aliquorum bonorum operũ conscius, fortassis quia Deus illa mercede & præmio temporali in hac vita cõpensauit, tibi postea dicetur: recepisti bona in vita tua, recepisti mercedem tuam. Tertiò, Te securam in peccatis vitam agente, nihilq. minus quàm de futura sententia cogitãte, fortasse Deus in secreto suo consilio, de te in flãmas tartareas ante vesperã demergendo, cum suis cõmunicat, sententiamq. format. Nihil minus quàm de interitu cogitabant Sodomitæ, quando de illo Deus cum Abrahamo colloquebatur. Chore, Dathan & Abiron, animo & cogitatione in peccato suo erãt defixi, quãdo Moysi Deus, de inusitata eorum morte & puni-

Gen. 14.

Num. 16.

punitione consilium suum aperiebat. Metuas igitur ne de te quoq. simile aliquid agatur. Vides multos subita morte de medio tolli: idem tibi euenire posse persuadeas nec enim vires, nec modi deficiunt omnipotentē Deum, quibus te nec opinantē, altissimo peccatorū somno consopitum, possit extinguere. Absolon ramis arboris cursim implicitus fatalē lanceam hausit, cùm ad optimum sanctissimumq. parentem regno vitaque expellendum, furore & crudelitate raperetur. Onam filius Iudæ patriarchæ, quòd illicito contactu se polluisset, & Oza Leuita, quòd minus reuerēter sacram fœderis arcā cōtrectasset, occulta Dei virtute statim extincti in terram corruerunt: Sicut & primogeniti in Aegypto, & centū octoginta quinq. millia hominū in Regis Sennacherib exercitu. Holofernes nimia ebrietate sopitus, capite à muliere diminutus est; Aman è cōuiuio in malā crucem sublatus. Caue igitur ne similiter præter opinionē, ad iudicem subitò euocatus, æterna dānationis sententia eximprouiso feriaris, quam in viuentē & nolentem resipiscere, fortassis nunc concipit & dictat.

2. *Reg.* 18

2. *Reg.* 6.

Exod. 11.
2. *Para.* 32
4. *Reg.* 19
Isa. 37.
Iudith 13
Esther 7.

Secundò, non est in solo metu, cōsiderationeq. iudicij hærendum, sed per eum vlterius progrediendū, vt metu futuræ rationis debita contracta dissoluas. Christiani qui olim a Christo nomen discipulorum acceperūt, non dissimiles sunt discipulis, qui litteris dant operā. Sicut enim illi præceptori suo duo quidem debent, nempe progressum in litteris, vt præcepto-

ceptis laborem suo profectu cõpensent: & pœnam si fortè deliquissent: Ita nos, sub præceptore Christo in schola Ecclesiæ virtutibus Christianis, & moribus fide Catholica dignis, studere iubemur. Itaque præceptori nostro Christo, profectum in virtutibus debemus, vt ei occurramus viri perfecti, vitiis omnibus prauisq. affectionibus vacui, virtutibusq. ornati, ne frustra tot in nobis instituendis labores insumpsisse videatur: & si pro fragilitate nostra, aliquid admisimus, tenemur præceptori Christo pœnas dare. Hoc duplex debitum vnusquisq. ante rationis diem maturè soluat, & quidē pœnæ peccatis debitæ, Sacramento pœnitentiæ crebrò expientur, voluntariisque pœnis, & carnis afflictionibus deleantur, & si quæ ex thesauro Ecclesiæ indulgentiæ cõcessę fuerint, magno studio & demissione in peccatorum condonationē suscipiantur. Progressus verò in virtutibus, & cõpressio passionum ita curari poterit, vt peracta confessione cum animo tuo seriò consideres, quibus vitiis magis abundes, tum vnū aut alterum quod plus exhibet molestiæ, ad expugnādum & penitus tollendum tibi proponas. quod propositum vt manè quotidie implorata ope diuina est concipiendum, ita semel iterumq. de die, potissimū vesperi, de eius obseruatione, esset ab animo tuo exigēda ratio, vt quoties eo die lapsus fueris, quantum promoueris, clarè & perspicuè intelligas. Superato vno vitio, ad alia simili modo deuincēda, si progrediaris, nõ difficile

ficile erit post paucos annos, depositis prauis consuetudinibus, pulcherrimis virtutum ornamentis mentem illustrare, & cum voluptate Christiani hominis officiũ peragere, Deoq. in futuro examine insignis progressus specimen præbere.

Tertiò, Iuuerit multis operibus bonis vitá locupletari, vt illorũ multitudine peccata cooperta, & obscurata non conspiciãtur, iuxta illud, Beati quorum tecta sunt peccata. Itaque nullus dies vacuis operibus bonis prætereat, & in vespertina oratione, priusquam cubitũ cõcedas, actiones omnes diei percurras, & opera bona cum peccatis conferas, vt quo loco & statu sint res tuæ cognoscas, more illorũ qui frequenter rationes acceptorum expensorumque subducunt, ne facultates decrescãt, sed augeãtur. Si enim multis operibus bonis auctꝰ Christo Iudici sistaris, præsertim commiseratione proximorum, facilius ignoscentur leuiora delicta: Quia iudicium cũ misericordia illi qui fecerit misericordiam, & superexaltat misericordia iudicium; hoc est, misericordia quodãmodo insultat iustitiæ, eiusq. seueritatẽ cõprimit: quia charitas operit multitudinẽ peccatorũ. In his pietatis charitatisq. & aliarum virtutum officiis, qui se quotidie exercet, post annos aliquot ampliſſimum thesaurum inueniet meritorum, nõ aliter quàm qui in cistam quotidie nũmos aliquot nunc aureos nunc argenteos iniicit, post annos 20. aut 30 ingentẽ cumulum diuitiarum videt. Deus in cælo cu-

Psal. 31.

Iacob. 2.

1. Pet. 4.

stos

stos est meritorum tuorum: tu multa ede quotidie, nec diem vllũ sine opere meritorio præterlabi patiaris, vt thesaurum quẽ tibi thesaurizaueris, cum immortali animę voluptate, in cælo reperias. Peccata hominum, pœnitentia tolluntur, bona verò opera nunquã in homine iusto extinguũtur. Sed hic animaduertendũ, ex quibus bonis operibus cælestis ille thesaurus constituatur: non enim omnia quæ nos arbitramur iusta, ad illam rẽ sunt idonea: Igitur omissa peccatorum mentione, quæ sunt mortifera, Deóq. inuisa: duo sunt bonorum operum genera: Quædam viua, quæ à viro probo & Dei amico, edũtur; alia mortua, quæ à peccatore: hæc nihil ad illum thesaurum, ne post conuersionem quidem peccatoris, tametsi nobilissima esse videantur: quia quicquid agit peccator, extra gratiam & charitatem constitutus, nihil valet ad salutẽ cõparandã, & quod sine vita gratiæ est editum, nunquam vitã assumit. Disponitur quidẽ homo peccator, orationibus, ieiuniis, eleëmosynis, aptiórq. redditur ad gratiã & virtutes à Deo accipiendas, sicut de Cornelio centurione in actis Apostolicis legimus; sed nihil ponit in cęlo, quod post hanc vitam inueniat. Priora illa, sola ad hunc thesaurũ pertinent, quamdiu vita gratiæ manent informata. Cùm enim anima viri iusti mortiferum vulnus accipit, moriuntur opera illius bona, & quasi necantur, aut, sicut loquũtur Theologi, mortificãtur, & ex thesauro cælesti abiiciuntur. Quòd si enim vsq. ad extremam Act. 10.

mam ætatem iustitiæ operam dares, tunc autem vel vno lethali peccato Deum offenderes, nihil tibi totius anteactæ ętatis probitas apud Deum prodesset, sed potius obesset, quòd tũc suaue Christi iugum abiiceres, quãdo ad metam peruenisses: quemadmodum ille qui ex Germania Romam, precioſam ſibi commiſſam ſarcinam, toto itinere, magno animo patienterq. ferens, ante portas Romanas, tædio affectus in proſſuẽtem abiicit, grauius delinquere videtur, quàm qui ſub initiũ viæ à moleſtia ſuperatus, illã deponit. Si tamen ad mẽtem redeat peccator iſte, reuiuiſcunt omnia eius opera bona, ante peccatum edita, atq. in theſaurum cæleſtem, vnde eiecta fuerant, reuertuntur. Qua ex re intelligere potes, quanto ſtudio vitandum ſit mortale peccatum. Siquidem opera bona, ab homine peccatore facta, neq. viuunt neq. vnquã victura ſunt, hoc eſt, nihil valent ad vitam æternã promerendam, neq. vnquam quicquã valebunt, etiãſi in gratiam cum Deo redeat peccator, quia vitã nũquã habuerũt: & opera bona meritáque ante peccatũ collecta, per peccatum ad nihilum recidunt, vt quamdiu peccatum in homine perſeuerat, nullam vim habeant ad gratiam & ſalutem homini conciliãdam. Quocirca ſi quid humanitus tibi accidit, ne cũcteris illud emẽdare: noli immorari, multò minus immori peccato; ne quicquid piè & laudabiliter geſſiſti, pereat; & quicquid agis, vel in poſterum actur[a]es, fruſtra & ſine merito agas. Quartò, neque

neque verò solùm multis, sed etiã magnis & præstantibus actionibus, deditum esse par est. Sunt namq. tria bonorũ operum genera, quæ apud Deum æstimantur digna mercede cælesti; quædã minora, quale est, in nomine Christi præbere egentibus calicem aquæ frigidæ, paruam aliquam dare eleëmosynã, adire subinde Ecclesias, reiq. diuinę adesse, ante & post cibum precari Deum, gratiasq. agere, aliaque id genus leuiora, quæ passim à Christianis præstantur. Alia sunt maiora, quæ plus molestiæ habent, & charitatis, vt liberali eleëmosyna indigentium necessitates subleuare; visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum; octauo die, peracta confessione, Christi corpus accipere; pueros & homines Christianæ doctrinæ rudes instituere, &c. Sunt alia denique maxima, quæ sicut plurimum habent difficultatis, ita non nisi ab ardentissima charitate proficiscuntur; quæ dici possunt heroica opera, magnitudine sua Heroib⁹ digna: Eiusmodi sunt, pro fide & religione Christi, caput in discrimine vitę obiicere, mortémq. oppetere. Eadem charitate mundo cunctísque fortunis, corporisque cõmoditatibus relictis, nudum Christum, in paupertate sequi; voluntatem, iudiciúmq. suum, alterius hominis arbitrio subiicere; iis omnibus quæ mundus cõsectatur, contraria velle, & concupiscere; se totum, suáq. omnia, in animarum lucrum expendere, nihílque mercedis in hac vita præter Deum ipsum exposcere. Itaq. quo præstantio-

ribus officiis, seu mercibus nobilioribus, ad Christum Dominum onustus redibis, acceptior eris, minusq. trepidabis in illa die.

Sint porro opera illa plena paráque, nullis sordibus aspersa. Si enim inter agendum admisceas venialia leuiáq. peccata, vt inter orándum distractiones animi; dans eleëmosynas, leuẽ aliquã inanẽ gloriã: purgãda erunt opera, sordésq. eiusmodi lachrymis, pœnitentia, confessionéq. abluendæ. Si rursus pura quidẽ illa feceris, omniq. sorde vacua, de illis tamen postea liberiùs loquẽs vel cogitans superbiam admiseris, plenitudinẽ suam, & decorẽ amittent, nõ aliter quàm phiala subtili distillatóq. liquore repleta, si aperto ore solis calori exponatur, paulatim destituetur liquore; & pãnus alioquin nitidissimus, crebra manuum contrectatione, obscuratur, & commaculatur.

Quintò, si res sit integra, non parum faciet ad metũ illum iudicij pellendũ, minuẽdúmve, vitæ genus capessere, quo tutius securiúsq. opera tua deferantur in cœlum. Ita enim videmus mercatores, non parum, qua ratione inter suũ instituant, mercésq. coëmptas, in patriam deuehant, esse sollicitos; si flumen vastissimũ, cursu præceps, vndisq. æstuosum, & plenum periculis sit transmittendum, magnũ ille subit periculum, qui mercibus in humeros sublatis, natandi arte confisus, aquis se, suáq. committit. In minore, non tamen extra omne periculum erit, qui in lintrem vel scapham se résque suas imponet: at qui oneraria naue vtetur, fœlicius

licius aget: sed quia hic quoq. ventorum vi, in scopulos fortè impelli potest, tutissimus ibit is, qui ponte conscenso vehiculo, merces transportabit. Non est dissimilis mundus eiusmodi æstuoso flumini, cuius negotiis, procellis & periculis se committunt, qui totos se in molestias & curas sæculares immergunt. Qui verò vtūtur mundo, non penitus in eum effusi; sed ei tamen ob initum matrimonium, & rei familiaris curā addicti, securiùs nauigant. Sacerdotes & Ecclesiastici sæculares, quibus est maior Deo seruiendi occasio, in naui sunt tutiori, ob exempla tamen & occasiones malorum, non prorsus extra periculum. At verò qui relicto sæculo, ad religionis pontem ascendunt, nihilq. sibi cum mundo, quo superiores sunt, commune esse volunt, illi adeò non timēt pericula mundi, vt ne conspiciant illa quidem, quippe quibus muri, quibus pons est septus, aspectum fluminis intercludunt. Metiatur quisque vires suas, & qua videbitur ratione, transmittat.

CAPVT XIIII.
DE INFERNO.

INTER omnia, quæ mundus habet admiranda & obstupescenda, hoc vnū maximè omnium admiratione & stupore dignum mihi videri solet; quòd homo Christianus, vera fide & religione imbutus, cùm firmissimè credat acerbissimos cruciatus apud inferos sceleratis propositos: illos tamen non solùm non

pertimeſcat, non expendat, non cogitet, nõ pili faciat, verumetiã ac ſi infernus nullus eſſet, innumeris flagitiis Dei maieſtatẽ lædat, ſibiq; iram, ac vindictam theſaurizare non vereatur. Si magiſtratus capite ſanxiſſet, ne quis ciuitatis portas egrederetur, & ad portas certos homines conſtituiſſet, qui & egredientiũ nomina in tabulas referrent, & ſingulis ſimulatque egreſſi eſſent, laqueum, ex quo paulò pòſt ſuſpenderentur ſeponerent, is qui lege ſpreta exiiſſet, nónne reuerſus in ciuitatẽ vehementer metuere haberet, ne quàm primùm ad ſupplicium abriperetur? nónne ipſas portas horreret, omniáq. ſuſpecta haberet, quæ à quocũque gererentur? & tu miſer, & inſipiens, non metuis, ne te æterna gehennæ flamma abſorbeat? An fortè immunẽ te putas, quia differtur ſupplicium? ſimulatq. tu peccatum mortale vel vnicũ admiſiſti, expungitur de libro vitę nomẽ tuum, refertúrq. in albo damnatorum; tibi verò pro magnitudine numeróq. peccatorum collocatur ſedes in inferno; tantummodo expectatur in horas mandatum diuinũ, vt illuc deferaris, quod mandatũ frequẽter ſubitò & à Deo datur, & à dæmonibus perficitur. Sæpè multi vel in ſuis libidinibus deliciantur, vel in conuiuiis ſplẽdidè epulantur, vel in aliis lædendis & trucidandis occupantur, vel in rationibus putandis, & re familiari conſtituenda, & amplificãda diſtinentur, cùm ecce ſubita morte oppreſſi, prius ſe in inferno poſitos vident, quàm ſentiant ſe ea deſeruiſſe, quæ tan-

ta

ta contẽtione tractabãt. Exẽpla non desunt in veteri & nouo testamẽto: Ducũt (inquit Propheta) in bonis dies suos, & in pũcto ad infer- *Iob 21.*
na descẽdunt. In pũcto ait, hoc est, dũ putãt sẽ in deliciis adhuc agere, ecce apud inferos agũt. Si centũ hominib⁹, qui pontẽ transituri essent, quidã certò prædiceret, fore, vt illorum vn⁹ de põte in flumẽ delapsus mergeretur, nõne quisq. diligẽtissimè circũspiceret, & caueret ne vel ad marginẽ propius accederet; vel ibi pedẽ poneret, vbi min⁹ firm⁹ põs esse videretur? Quid si verò imperator vi occupata ciuitate, per præconem ediceret, de numero ciuiũ trecentos esse graui supplicio afficiendos, nónne sibi metueret, quẽ alicuius in principem delicti conscientia vrgeret? Atqui scriptura sacra, quoties de inferni pœnis meminit, non vni, non trecentis minatur, sed certissimè clarissiméq. enunciat maximam hominum partem ad inferos descensuram. Intrate (ait Dominus ipse) per angustã portã, quia lata porta, & spacioſa via est quæ ducit ad perditionẽ, & multi sunt qui intrant per eam: & quasi admirãs eorum, qui salui futuri sunt, paucitatem; Quam angusta, inquit, porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. & alibi, Multi sunt vocati, pauci verò electi. Item, Quis putas est fidelis seruus, & prudẽs: quasi dicat, est ne quispiam fidelis & prudens? Tanta quippe est raritas eorum, vt cum impiorum multitudine collati, vix numerũ constituant: & quidem tantæ sunt pœnæ inferorum,

Matth. 7
Ibidem.
Matt. 20
Matt. 24

rum, vt si vnicus ex tota hominum vniuersitate eas subiturus esset, meritò vnusquisq. nostrum, ne ipse forsitan vnus ille esset, metuere deberet. Nunc autem cùm ex diuinis litteris planissimè constet, innumerabilē fore damnatorum multitudinē, cur non metuimus? Cùm Dathan & Abiron, diuina iustitia ita exigente, viuos terra dehisceret, populus timore perculsus, idem sibi euenturum metuebat. Gallinæ, & alia eiusmodi animalia cùm vident ex suo grege quippiā apprehensum occidi, in fugam se coniiciunt: At multi Christianorum tametsi non ignorent, quàm plurimos æternis suppliciis mactari, qui minoribus pauciorib́usve quàm ipsi, peccatis, diuinam legē violauerunt, non verentur tamen peccata peccatis cumulare, nullo metu, nulla reuerentia, nullo pudore. Diues ille, de quo in Euangelio, alienа non rapuit, suis fuit vsus: & quos in extremo iudicio Christus sempiternis flammis addicet, non alterius accusabuntur, quàm quòd sua cū pauperibus cōmunia non fecerint: Tu verò qui nullum peccati genus prætermittis, quo animo esse deberes? Vnicū peccatū mortale meretur gehennam: & tu, qui nouis quotidie criminibus diuinum numen irritas atq. lacessis, non metuis? Non metuis, inquam, tu, qui velis (vt aiunt) equisq. ad inferos properare videris, & nihil aliud agere, nihil moliri, nihil cogitare, quàm vt ignem inuenias quàm maximum & acerbissimū? Maiores enim passim labores, atq. molestiæ pro suppliciis æter-

Luc. 16.

Matt. 25

nis,

nis, ab impiis, quàm pro gloria sempiterna à piis susc̃ipiuntur. Igitur qui tanta contentione ad infernum curris, hic subsiste, obsecro, paulisper, & quæ sedes inferorum sit, qui ciues, quæ leges, qui mores, ex sacris litteris accipe: quibus lectis, attentéq. cõsideratis, si placebit conditio, progredere vt cœpisti: si verò displicebit, aliam tibi viuendi rationem susc̃ipiendam esse persuade.

CAPVT XV.

DE LOCO INFERNI.

AGE igitur, qui tibi amplissima ædificas in hoc mundo palatia, laxas habitationes, loca aprica, hortos camposq; amœnos, vbi degas, spatieris, venationem exerceas, corpúsque & animum recrees; qui domum coniungis domui, & agrum agro copulas, qui pro limitibus, & possessionibus pacem violas, charitatem lædis, & pugnas belláq. susc̃itas: attende quid de inferorum sedibus scriptura loquatur: Antequã vadam (inquit Iob) & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternꝰ horror inhabitat. Isaias verò; Præparata est, inquit, ab heri Tophet (id est gehenna) à Rege præparata: profunda & dilatata: nutrimenta eius ignis, & ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendẽs eam. Si, quod est verissimum, tu verũ esse credis, nec iota vnum, nec apicẽ in scripturis suo

Iob 10.

Isaiæ 30.

momento carere, admirabiles poteris hic, horribilésq. inferni proprietates mente contueri. Imaginare primò, puteum in maximam altitudinẽ depressum, atq. adeò ad ipsas inferorũ sedes penetrantẽ, qualis in Apoc. Diuo Ioanni Apostolo visus fuit; in eum te cogita ma-
Apoc. 18. gno impetu præcipitem dari. Hoc enim peccatoribus omnibus euenturum prædixit idem Apostolus, quando vidit lapidẽ grandem molarem, ab Angelo forti mitti in mare, & audiuit: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna (hoc est, cœtus omnium iniquorũ) & vltra iam non inuenietur. non enim carpento impositus, suauiter eò veheris, sed quemadmodum Dathan & Abyron, horribiliter raptaberis, iactaberis, præcipitaberis.

Secundò, post tam horrendũ descensum, & iactationẽ, cogita Regionem vastam, latam, spatiosam, quæ omnibus illis cõtinendis sufficiat, quotquot in omni memoria fuerunt, sunt, & erunt flagitiosi, & gehenna digni homines. Est porrò regio: illa tenebris & arra caligine horrida, neq. lunæ, neq. solis luce illustrata; nam peccatorẽ ad inferos deportatum, scribit Propheta, non visurum lumen in æternum, à quibus tenebris infernus nomẽ inue-
Matt. 22 nit tenebrarũ exteriorũ: Mittite (ait scriptura) eum in tenebras exteriores: vt qui hactenus mentẽ habuit internis tenebris obscuratã, iam etiam externis tenebris inuoluatur. Tertiò, habent verò tenebræ istæ admixtam caliginem mortis, hoc est, fumum quendam pestilen-

stilentissimum, ita obscurũ, vt in Apocalypsi visus sit ipsi soli, quasi noctẽ quandam offundere, & ita noxium, vt vmbra mortis, & caligo mortis, id est, mortifera à Prophetis appelletur? Quartò, exhalat præterea odorẽ lõgè grauissimũ, sulphuris, inquã, excrementorum, & omnis generis sordiũ. Pluet enim super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorũ; &, computrescent iumenta in stercore suo: nam gloria peccatoris stercus, & vermis, &, de stercore boum lapidabitur piger. Quintò, tota regio ardet igne ad instar fornacis, sed igne tenebricoso, qui tantum luminis obscuri præbet, quantum ad tormenta videnda, sociosque damnationis agnoscendos, sufficiat; igne acerrimo, qui solo contactu, montes licet ferreos, puncto temporis liquefaciat. Docuit hoc ignis ille Sulphureus, qui pentapolim totã, hoc est, quinque regna, breuissimo tẽpore absorbuit: & ille item ignis, qui iussu Heliæ prophetæ duos quinquagenarios, cum quinquaginta suis militibus, dicto citius interfecit. Sextò, horribilis est, & continua tẽpestas: spiritus, inquit, procellarũ: horrenda tonitrua à dæmonibus excitata: venti vehementes, atq. sulphurei, qui calorem succendant: pluuiæ grandinũ instar talenti, quibus miseri huius ciuitatis incolæ verberentur. Septimò, cernes in illis locis diuersa distinctaq. contubernia, in quibus eorundem scelerum participes & affines vna inclusi, in perpetuum tenebuntur. Non enim ibi cuique

Psal. 10. *Ioel. 1.* *1. Mac. 2* *Eccl. 22.* *Gen. 19.* *4. Reg. 1.* *Apocal.*

pro arbitratu vltrò citroq. vagari licebit: sed quoniam in hac terra plus satis ad animorum suorum voluptates explendas sunt grassati, ibi
Mat. 13. (vt Christus loquitur) in fasciculos colligati, eodē loco simul pœnas luēt. Hic superbi omnes, illic auari, alibi ebriosi, & ventris mancipia; alio item in loco libidinosi, alibi alij, suis quiq. locis, quæ præter cōmunia totius inferni mala, peculiares habent, pro conditione delictorū, afflictiones & pœnas: vt sicut scriptura dicit iuxta mensurā peccatorū, sit & plagarū modus. Apud superbos cernetur admirabilis cōfusio, & deiectio; apud auaros inopia; apud gulosos intolerabilis sitis, & fames; in ditione pigrorum, labor sine vlla requie: atque ita de cæteris. Hæc est regionis inferorum geographica descriptio, ex litteris sacris deducta, quam, si placet, vno delicto
Esaiæ 33. mortifero potes promereri. Sed heu, quis poterit habitare cum igne deuorante, aut cum ardoribꝰ sempiternis? Si carceris ciuilis squalorem ferre nequis: si vix horam vnam potes vno loco consistere: si animi & recreationis causa, delectat patria exire, exterasque regiones visere, nec in domum tuam te includi pateris: quo animo feres tenebras, squalorem, sordes, fœtorem, calorem, cruciatum inferni sempiternum?

CAPVT

CAPVT XVI.

DE PERSONIS INFERNI.

DELECTARI soles multitudine ministrorũ, suauitate sociorũ, forma puellarũ, amicorum numero, parasitorum turba. Iam hic apud inferos perpẽde, obsecro, quos sis reperturus contubernales, quos amatores, quos fautores, quos assentatores, quos laudatores. Nullus erit ibi famulus tibi, aut seruus: dominiũ enim, quod in mundo habes, ad alium statim transibit. Tu potius mancipium eris diaboli miserrimum, cuius nutu sicut in voluptatibus perfruendis, ita in cruciatibus perferendis te gubernare in omnẽ æternitatẽ debebis. Nullus ibi pius aut bonus, nullus fœlix, nullus tui amans, nulla pulchritudo in quoquã: nihil iucundũ: omnes scelesti, omnes infœlices, miseri, afflicti, omnes maledicti, calamitatũ & miseriarũ pleni, omnes deniq. capitali odio à te dissidentes. Ecce cum his sociis æuum tibi sempiternum traducendum erit; his dominis semper obtemperandũ; ab his nunquã vel latum vnguẽ discedẽdum. Vt autem clariùs perspicias conditiones formasq. istorum: vbi ad infernum descenderis, tria se offerent personarũ genera. Primò, Lucifer dæmonum princeps, & rex super omnes filios superbiæ, cuius deformitas, immanitas, atq. malitia tanta est, vt eius præsentiam ferè non minus horreant dæmones, animęq. damnatæ, quàm Dei suauissimum vultum intueri desiderent. In scripturis variis nominibus appella-

Apoc 12. pellatur: à fœditate & truculentia draco; à no-
1. Pet. 5. cendi desiderio leo rugiens, à magnitudine ac potentia, Behemoth & Leuiathã, hoc est, balena. Tu igitur in mediis illis ſuperni incendiis, cogita inſtar montis altiſſimi monſtrum (minus enim cogitare nõ debes, ſi, vt Dominus Prophetæ Iobo indicauit, abſorbeat fluuium, & non miretur) ſpecie & figura draconis, ſquamis candentibus horribile, ex cuius oculis flamma, ex naribus fumus, quaſi ex feruente olla, & ex ore ignis horrificus longè lateq. ſpargatur; cuius vires tantæ ſint, vt neminẽ metuat, tãta malitia, vt nemini parcat; tantum nocendi omnibus deſideriũ, vt nihil præter cruciatus, pœnas, & tormenta cogitet. Huius præclaræ beſtiæ dominatus tibi ferendus eſt in inferno, ſi eius, in hoc ſæculo, legibus & conſiliis te iuuat obſecũdare. Sunt deinde dæmones reliqui, minori quidẽ deformitate & malitia, ſed eruſmodi tamen, vt aſpectus eorũ ſupra omnẽ modum terreat atq. affligat, vnde & variis ſimilitudinibus in ſacris litteris deſcribuntur: Serpentis, locuſtarum, dentiũ leoninorũ, caudarũ ſcorpionum, equorum ferocium, qui habeant leonum capita, ignemque, fumum, & ſulphur euomãt. Affirmant B. Bernardus & Caſſian⁹, monachos quoſdã ad aſpectum dæmonis ita territos, corruiſſe, vt multo tẽpore ſenſibus deſtituti iacuerint, & præ metu ferè mortui fuerint. Si tam terribiles apparent in terra non ſua, ſed noſtra: quales, quæſo, ſe exhibebũt in terra ſua? Horum munus eſt,

Iob 40.

Deſcriptio Luciferi ex Iob cap. 41.

Apoc. 9.

tor-

torquere damnatos, quod ex naturæ ingenijq. subtilitate, longaq. exercitatione accuratè nouerunt, & pernalitiam, odiumq. hominum, diligentissimè præstant: non enim foris tantū, vt carnifices nostri, tormenta adhibēt, sed pro sua subtilitate, intima corporis viscera, membraq. omnia penetrant, & excarnificant, sicut in hominibus obsessis non obscurè videmus: neq. in corpus solùm sæuiunt, sed animā ipsam penitus peruadunt, & diriſſimis cruciatibus implacabiliter afficiunt. Ecce hi domini tui, quibus sicut in amplectendis voluptatibus voluisti auscultare, ita in suscipiendis tormētis cogēris obtēperare. Tertiò, sunt dānati homines à dæmonibus, si animas spectes, non multum differentes, quorū vultus (vt ait Propheta) redigēturin ollam, pleni odio, malitia, blasphemiis: si verò corpora intuearis, nihil est fœdius, horribilius, detestabilius. Prophetæ eos stercoribus cōparant, ob incredibilem fœtorē, & contemptum: Facti sunt vt stercus terræ: Et corpora eorum sicut stercora: Et facta sunt morticina eorū, quasi stercus in medio platearum. Esaias his verbis damnatorū corpora describit: Et egredientur (Sancti) & videbunt cadauera virorū, qui præuaricati sunt in me: vermis eorū non morietur, & ignis eorū non extinguetur, & erunt vsq. ad satietatē visionis omni carni. Hoc est, Sancti, ad suam maiorem gloriam & consolationē, intuebuntur de cælis miseros illos, qui in inferno cruciantur; eorumq. corpora videbunt continēter

Ioel. 2.

Psal. 82.

Soph. 1.

Isaiæ 5.

Isaiæ 66.

à ver-

à vermibus corrodi, & perpetuis ignibus cremari; tantaq. fœditate, & abominatione, vt nauseã & horrorẽ incutere, & mouere possint spectantibus. Proinde quemadmodũ in lauto conuiuio nausea est, & horror de stercoribus, hulceribꝰ, semieso & putrefacto hominis fœtente cadauere, non dico verbis mentionẽ facere, sed vel mente sola cogitare: Ita dedignabuntur Beati damnatorũ meminisse. Horum miserorum, fœtidorũ, calamitosorũ consuetudine frueris in perpetuũ. Si igitur pauperum, mendicorũ, & pediculosorum hominum consortium refugis; si infirmos, miseros, & afflictos horres visere: si chirurgi sectiones, carnificum torturas, miserorum vlcera & vulnera, non sine animi dolore & horrore vides: quo animo eris apud hos miseros, quorum dolores, cruciatus, miseriæ, & calamitates omnem cogitationem superant?

CAPVT XVII.

DE POENIS CORPORVM.

ACCEDE propius, & intuere, internoq. sensu percipe, quas miseri sustineant pœnas, atq. intellige hanc damnatorum conditionẽ & vitam esse statũ malorum omnium aggregatione perfectum: ibi nihil esse boni, nihil deesse mali; nihil esse eorum, quæ velles; nihil deesse eorũ quæ nolles; nullum membrum, nullam facultatẽ, nullam potentiam dolore & cruciatu vacuã esse. Desideras, Primò, cibum potumque, & vitæ sus-

sten-

stentationem; hic fames est continua, & ardē-
tissima sitis, neq. mica panis, neq guttula aquę
tota æternitate præbetur, & si fortè cibus aut
potus aliquis porrigitur; ignis & sulphur (ait
Propheta) pars calicis eorum. Secundò, vestes *Psal. 10.*
quæris & ornatum corporis. Hic flamma in-
dueris cum diuite Euangelico, vermibusq. & *Lucæ 16.*
putredine operieris, iuxta illud; Putredo & *Eccli. 19.*
vermes hæreditabunt impium. Tertiò, quæris
amœnam & laxā habitationē. At sentina om-
nium sordiū hîc est, colluuiesq. omniū spur-
citiarū, angusta singulorum loca, quippe quī
manibus pedibusque, instar fasciculorum col-
ligati, sese mutuo cōprimant. Quartò, ambis
honores, sed hic summa confusio, tum ex nu-
ditate, fœditate, iustisque pœnis, quas magna
ignominia sustinebis; tum ex memoria pec-
catorum tuorum, quæ tibi perpetuò ob oculos
versabūtur, & cæteris luce clariora erunt; tum
ex præsenti cōditione tua, quòd qui filius eras
Dei, factus sis abiectissimi dæmonis manci-
pium. Quintò, gaudes bonis sociis, ciuibus,
parentibus, filiis, &c. Hîc dæmones cæterique
miseri erunt tibi carnificina: Dæmones qui-
dem, quòd tibi, cùm viueres, ad peccandum
fuerint auctores, & nūc sint immanissimi tui,
ac crudelissimi tortores: Cæteri verò damna-
ti, quòd sine vlla cōmiseratione te detestētur,
te odio prosequantur, tibi pessimè velint. Qui
verò tibi peccatorum causam attulerunt, vel
quos ipse tu ad peccata induxisti, maiori in te
exardescent odio, conuitiisque, & maledictis
inse-

insectabuntur: Pater filium execrabitur, quòd eius locupletandi gratia, bona multa iniustè collegerit, quòd inani offensionis metu peccantem non correxerit, quòd malo exemplo ad peccandum præiuerit: filius contrà cũ parente expostulabit, summa animi indignatione, de nimia indulgentia, de scandalis, de mala institutione, &c. cuiusmodi colloquiis, odio, maledicentia, furoreq. plenis, infernus tota æternitate personabit. Ista, quæso, perpende, dum vtiliter licet, quando alicui quacunq. ratione ad peccandum offers occasionẽ. Pro-

Naum 1. pheta Naum de talibus sic habet. Sicut spinæ se inuicẽ complectuntur: sic conuiuiũ eorum pariter potantium. Hoc est, qui iucundi fuerunt in poculis & cõuiuiis socij, qui ad æquales haustus, vel coëgerunt, vel inuitarunt, qui mutuas aures obscœnis leporibus, & detractionibus oblectauerunt, nunc simul colligati ad instar spinarum, se mutuo pungent, carnesque mutuas vorabunt, & dilacerabunt. Sextò, delectaris honesta, facilique & grata occupatione: sed, heu, quæ occupationes apud inferos, nihil agere posse, sed in omnibus viribus, atq. membris pati debere, & talia pati, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt: & ita pati, vt singuli dolores acutè percipiãtur, & minorũ sensus (quod apud nos fieri solet) à maioribus non impediantur. Sunt quidẽ inferorum pœnæ singulæ, supra quàm dici aut cogitari potest, acerbæ, sed grauiorũ peccatorum pœnæ sunt gra-

uiores,

uiores, leuiorum leuiores. Nam si leues trãsgressiones & venialia peccata hominũ piorũ purgatoriis ignibus expiantur; dubiũ non est, quin eorundẽ ratio sit habenda in hominibus, æternis pœnis apud inferos adiudicandis: non enim est iustitiæ consentaneũ, vt propter verbum ociosum, risum inanẽ, distractionẽ voluntariã in oratione admissam, aliaq. id genus leuiora, repetãtur pœnæ ab hominibus iustis, & eadẽ impunita relinquantur in peccatoribus. Igitur, væ illis, qui non modò innumera venialia nullo discrimine continenter admittunt, sed multis etiã mortalibus peccatis quotidie vitã suã contaminant. Quo pacto ferẽt, quæso, dolores illos & cruciatus acerbissimos, quibus singula peccata mactabuntur? Quò se in tanta tormentorum varietate, & atrocitate vertent? Quomodo viuent in pœnis magnitudine grauissimis, numero infinitis, duratione æternis? Cùm quis vno membro in hac vita laborat, chiragra in manibus, podagra in pedibus, cholica in ventre, dolore dentiũ, calculo, quæ singula acutissimis doloribus hominẽ afficiunt: vix ferre potest acerbitatẽ: Si idẽ omnibus his morbis simul grauissimè conflictetur, res erit penè intolerabilis; tametsi non desint colloquia amicorũ, commoditas lecti, aliaq. vitę solatia. In inferno autem, vbi nulla pars vel membrũ, à tortore vacabit; vbi nulla vnquã cõsolatio; vbi pro lecto stratum cãdẽs, pro aëre refrigerante, ignis & fœtor suffocãs; pro amicorum solatio, irrisiones, contumelię,

maledicta. Quid facies miser? Oculi isti tui, qui modo curiosè huc illuc vagantur, formis mulierū fœdè delectantur, nutu alios ad peccatum illiciunt, nunquā, vel dolore peccatorū, vel recordatione passionis Dominicæ lachrymas emittunt: hi tunc præter horridas ignitásq. tenebras, præter dæmonū terribiles formas, præter miserias, & calamitates extremas, nihil aspicient, in æternū, frustra & inaniter collachrymantes. Aures istæ quæ nunc lasciuis cantilenis, obscœnis colloquiis, inanibus sermonibus, nugis, detractionibus patēt: tunc nullā in æternum mulcā, nihil quod delectet, audient, sed horribilibus dæmonum, totque millium damnatorum clamoribus, eiulationibus, blasphemiis, maledictis, verberibus, tormentis complebuntur. Nihil, præter miserum væ, væ, illic resonabit. Cogita decē hominum millia vno loco contineri, omnes ad cælos vocē tollere, miserabiliterq. eiulare: Quis ferat hunc eiulatum? Hic erit cantus matutinus, & vespertinus, nocturnusque & diurnus, quo nunquā, nunquā vacuæ erunt aures tuæ. Nares tuæ suauitatibus odorum nunc assuetæ, fœtores haurient sulphuris, & sordium totius mundi simul collectarū. Cogita te viuum aperto ore, naribusq. admotis alligatū humano cadaueri putido, grauemq. odorem illum percipere debere, vel in cloaca, recentibus humanis excrementis plena, ad medium vsque ventrem constitutum (quod sanctos Aphricanos Martyres passos fuisse scribit Victor) emer-

emergere non posse. Grauiores sunt fœtores inferni, & grauior odor damnatorum corporum, quibus tu coniunctus in omnem æternitatem adhærebis. Os verò, quod & sermone, & crapula, ebrietateque peccauit: pro dulcibus escis, fame torquebitur, aut absinthio cibabitur atq. potabitur: pro garrulitate, iuramentis, conuitiis, adulationibus, cæterisq. sermonis peccatis, edet clamores continuos, miseriasq. suas ingenti rugitu deplorabit. Tactus deniq. qui varias habuit in vita voluptates, nihilque duri aut molesti pro Christi nomine suisq. peccatis sufferre voluit, grauius etiam præ cæteris sensibus (vt qui per singula corporis membra diffusus est) variisque modis excruciabitur, igne intolerabili foris & intus ardente (Pones eos, ait Propheta, vt clibanum ignis in tempore vultus tui) frigore vehemẽtissimo, verberibus, ossium membrorumq. cõfractione: nam malleos percutientes paratos esse corporibus peccatorum, testatur scriptura. Dæmones ipsi corpora penetrantes, grauiter affligent. Si enim pulex vnus in auribus molestus est, si guttula liquoris catarrhosi intolerabilem gignit in dente dolorẽ, & aliquid purulentæ calcis chiragram; modicum etiã venti in intestinis inclusi cholicam; & deniq. exiguus lapillus cruciatus calculi: quem non adferent dolorem dæmones igniti, per singula membra discurrentes, & intus forisq. debachantes? Hæ igitur futuræ sunt corporis occupationes continuæ, clamor, fletus, & stridor

Psal. 20.

Prou. 19.

dentium. Hæ sensuum oblectationes perpetuæ, quibus sensibus carere satius foret, quàm frui. Corpus his doloribus fractum & contritum, præ infirmitate vix membra mouebit, & quod viuentibus in difficili morbo vsu venit, planè iacebit atque languebit.

CAPVT XVIII.

DE POENIS ANIMAE.

ANIMA siue à corpore separata, siue post resurrectionem corpori coniũcta, præter vehementissimos ignis cruciatus, singulares quosdã ac proprios dolores habebit, quibus grauissimè afficietur: Animę inprimis propriũ est scire; & omnis homo cùm natura sua scire desideret, valde rerum variarum cognitione delectatur. Apud inferos autem (inquit Sapiens) nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt. Itaq. phantasia, animæ sensus interior, cuius munus est cogitare, nihil iucundum, aut lætum tractabit, cogitationes omnes in tormentorum immanitate, quæ iam inferuntur, & futurorum expectatione versabuntur, ex qua re intolerabilis dolor nascetur & metus. Memoria repetet anteactam vitam, honores, delicias, fœlicitatẽ; quibus omnibus in posterum carendum erit. Heu, inquiet, quanta fœlicitas in quantã versa est miseriam: abundabã opibus, honoribus, fauore; nũc inops, contẽptus, afflictus: Trãsierunt bona omnia nunquam reditura. obuersabuntur etiam ob oculos peccata, sed longè alia ima-

Eccl. 9.

imagine quàm dū delectabant: fœtor eorum, & quicquid pudendum habuerunt, cum horrore, pudore & cogitabitur. Intellectus vt sublimior animi potētia, grauissimè torquebitur. Considerabit enim primò, quæ, quamq. bona amiserit; gloriam beatorum, regnum cælorum, conspectum iucundissimum, & possessionem fœlicissimam Dei: videbit eò iā peruenisse socios suos multos in scholis condiscipulos, aut contubernales; se verò in perpetuū iis omnibus priuari. Secundò, quæ mala nunc habeat, quas pœnas, quos cruciatus. Tertiò, quibus operibus sit beatitudine excluſus, & æternis incendiis adiudicatus, nēpe peccatis, quæ & naturæ aduersantur, & plus molestiæ habent, quàm voluptatis, & tantæ sunt fœditatis, vt is etiā, qui peccatis abundat, peccatorum suorum nomine vocari nolit: nemo superbus, nemo auarus, nemo adulter vult appellari. Quartò, quāta facilitate hæc mala euadere licuisset, & bona adipisci. Quintò, iā seram esse pœnitentiam; ianuam cæli clausam, nunquā sibi aperiendam, merita Christi nunquam cōmunicanda, inferni claustra nūquam reseranda. Hic erit vermis conscientiæ perpetuò rodens, & sine vtilitate prēterita obiiciēs, quē toties monentē audire noluisti, & ne stimulos eius persentisceres, continuis peccatis oppressisti; qui tecum quodammodo in hanc sententiam aget. Nónne hæc tibi futura prædixi, dum viueres, & vitia deponere & expiare liberum erat? priuatus es æterna beatitudine,

priuatus es meritis & sanguine Christi, frustra tibi Christus mortuus est, frustra tibi sanguinem suū fudit, frustra tot labores doloresq. tui causa susceptit. eras filius Dei, regeneratus in Baptismo, debebatur tibi æterna hæreditas, inexplicabilis illa gloria, adeoq. sedes ipsa & thronus Christi. Viden' socios hos & illos iam glorioſos? hi paris tecū aliquando erant conditionis, nūc in gloriam admissi, tu excluſus, & instar canis eiectus, atq. ad has intolerabiles æternásq. pœnas detrusus, vbi, quocunque oculorum aciē conuertis, nihil præter dolores & cruciatus vides. Si cælum intueris, auertit à te indignabundus vultū suū Christus, irridēt Sancti, & socij olim tui abominātur. Si ad læuam, si ad dextram te conuertas, nihil præter tormenta, & horrificas dæmonum formas occurrit. Nullus tui miseretur, nemo præbet auxilium, nullus solatur, quia iustè pateris, & iniuriam tibi nullā fieri tu ipse tibi conscius es. Et quibus, quæso, modis has tātas pœnas mercatus es, tantorumq. bonorum iacturam fecisti? libidinibus, auaritia, ebrietate, aliisque id genus flagitiis. & qualia erant illa? multū laboris insumebas, parum reportabas voluptatis, torquebat conscientia, maiores indignabātur, vicini sociiq. detestabantur, contemptui eras aliis. Verè ambulasti vias difficiles, & viā Domini ignorasti. Contrà verò socij isti tui, qui nunc cōputantur inter filios Dei, & inter sanctos sors illorū est, qui tibi videbantur insani, stulti, & miseri, pacata lætaq. cōscientia, exi-

Sap. 5.

guo

guo labore, hanc immortalē sibi gloriam pepererunt, dilecti sociis, chari parentibus, & superioribus, venerationi & ornamēto ciuibus, vitam duxerunt honestā, tranquillā, & nō iucundā. Væ tibi misero, & terq. quaterq. miserrimo, non tamen miserabili: cur non eandem cū illis viā es ingressus? an quod illi potuerunt, tu non potuisses? non tibi similiter præstò gratia Dei fuit? Quid magnū à te expostulabatur ad salutē? confitenda erant, & deflenda, deserendaq. peccata. Quid magnum? Aderat sacerdos vice Christi peccatorum condonationē offerens, hortabatur concionator, superiores sociiq. monebant, conscientia stimulabat; & quid magnum erat confiteri? hoc est, vni soliq. homini, & quidē peccatori, qui misereri iussus erat, peccata tua aperire, quæ iam toti inferno sunt manifesta? pudebat tunc coram vno: at quis pudor nunc corā tot millibus? metuebas iniustæ acquisitæ pecunię restitutionem, ne inopia premereris: nūc autem quæ sunt diuitiæ? vermes, ignis, tormenta: terrenas illas opes alij possident. Pigebat tūc voluptates deserere: sed nunc te ipsæ deserunt, horrent infernum deliciæ, hic, præter tormenta, torturas, & miserias, nihil. Tu voluptates deserere noluisti: sed ecce, voluptates te ad gehennā proficiscentē deseruerunt. Quid enim nunc prosunt honores, quid opes, quid delicię? quid cōmodi nunc habes ex omnibus, quæ tāto studio parasti, quorū gratia Deū neglexisti, & miseræ animæ tuæ salutē proiecisti? volu-

ptas periit, pœna manet. O miserum te, qui, cùm posses, ista non præcogitasti; qui pias admonitiones maiorũ spreuisti, internasq. Spiritus sancti suggestiones oppressisti; væ tibi, & væ æternũ. His ratiocinationibus intellectis, voluntas in rabiẽ & furorem versa, maledicet
Iob 3. diei, in quo natus est homo, & nocti, in qua conceptus est in vtero matris. Cumq. æternas, ineuitabilesque pœnas considerabit, quas ipse sibi solus creauit; in se ipse fremet, frendetq. miser homo, & in Deũ auctorẽ, qui se finxit,
Psal. 111. blasphemias euomet. Videbit enim peccator, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet. O miserũ me, inquiet. ideóne natus sum? quãtò satius fuisset nunquam vidisse hanc lucem? Vtinam vel modò mihi detur in nihilum redigi; quantò feliciores me sunt iumẽta & bestiæ, quorum anima vna cum corpore extinguitur: iam enim perire cupio, & non conceditur: mors à me fugit, & tamen sine morte, mortem morior sempiternam.

CAPVT XIX.

DE AETERNITATE.

IN hac mortali vita, quicquid diuturnum est, molestum est, & graue. Etsi grata est quies, tamẽ si sano duos annos in molli lecto continenter cubandũ esset, non ferres tam diuturnæ quietis laborem. Quid si verò subeundæ essent vnius anni graues & continuæ pœnæ calculi, confractionis ossium, aut adustionis, nónne quiduis pro dolorum illorũ de-

pulsio-

pulsione offerres? At nũc considera gehennæ pœnas grauissimas, cum quibus comparatum nihil graue est aut durum, quicquid hic mundus in durissimis ponit: ignis, membrorum contusio, feruens oleum, cruces, scorpiones, equulei, & quicquid acerbissimum dici cogitariq. potest, etiamsi centum annis omnia simul toleranda forent, vnius diei gehennã non adæquarent. Proinde sicut prudenter is sibi consulit, qui istius mundi pœnitentia, inferni pœnas redimit: ita imprudentissimus videtur, qui impura leuiq. voluptate captus, his cruciatibus se, tametsi breues futuri essent, addicit. Quis enim adeò demens est, vt trium dierum equuleum, vnius horæ libidine emat? Cruciatus inferni nõ tẽpore, sed æternitate, non anno, sed æuo mẽsurantur. Heu æternitas, æternitas, quàm diuturna es, quàm grauis, quàm vicina; quàm parum tamen à plæriq. curaris? omne momentum in pœnis est annus: quid erit æternitas in tormentis inferni? Heu quãta Dei iustitia, quanta in peccatores seueritas? Quis vnquam vel grauissimum flagitiũ biennij supplicio puniuit? Plurimum triduò aut quatriduò pœnæ huius vitæ terminantur: sed Deus qui solus magnitudinem peccati suo momento æstimat & ponderat, tota æternitate pœnas exigit à peccatoribus. Heu miser, quomodo in hac calamitosa ęternitate perdurabis? si tot anni in cruciatibus ponerentur, quot peccata admisisti, aut si hoc parum quot saltem horis aut quadrãtibus vixisti; vel si nec

hoc satis est, quot sunt stellæ cęli, & maris arenę, tolerabile videretur iudicium: At verò hoc numero annorū nō contēta iustitia Dei, æternitatem pœnarum exigit, quæ æternitas quātumcunque temporis demas, nihil minuitur. Si auferas tot millia annorū, quot sunt in vniuersa terra minutissimæ arenæ; si tot myriades annorū, quot guttæ numerātur in Oceano, quot folia arborum omnium atque herbarum, quot gramina camporum, adhuc sibi constabit æternitas; adhuc nihil de duratione suppliciorum detractum erit: peccatum mortale inferni ignibus ardet quidem semper, sed nunquam excoquitur; punitur, sed non expiatur: Deus ipse quamdiu Deus erit, peccatorē torquebit, neque prius liberabitur peccator a pœnis, quàm Deus omnipotens & sempiternus desinat esse Deus. Neque putes diuturnitate sensum doloris minui: corpus peccatoris damnati non indurescit, neque callo obducitur, proinde neque pœnæ ipsæ mollescunt, sed quàm graues tibi, ipso in gehennam ingressu, fuerint visæ, tales tibi per omnem æternitatem videbuntur; æquè molestæ & intolerabiles, nisi fortè culpa tua augeantur.

Hanc durissimā æternitatem cur non expēdis? eiusq; metu vitam tuam melius instituis? An fortè quia solum præsens tempus ęstimas, futura tanquam absentia, & longè posita nūquam aduentura putas? futura certè aliquando præsentia sunt, & nisi quandoq. adessent, futura non dicerētur. Qui ante annos centū tua

ætate

ætate & conditione vixerunt, illis non aliter æternitas fututa fuit, atq. tibi futura prædicitur: præterierunt illi, migrarunt ex hoc sęculo, & nunc præsentem habent æternitatẽ, quam expectabant. Sicut igitur hodiernus dies superiori anno futurus erat, & nunc non futurus est, sed præsens: ita æternitas illa gehennę quã procul abesse existimas, aliquando te assequetur, præsensq. aderit, & non sicut tempus omne quantumuis longissimum, aliquando præteribit, sed semel præsens factum, in æternum præsens manebit. Hæc, tu charissime, obsecro etiam atq. etiam cum animo tuo considera, & illam longè terribilissimam suppliciorũ ęternitatem, quam nulla oratio satis potest enarrare, exiguo labore & pœnitentia deuita.

CAPVT XX.

DE REGNO CAELORVM.

OPTIMVS ille sapientissimusq. mũdi opifex, & ædificator Deus, cùm res omnes è nihilo creauit, in finem eas aliquem retulit, non secus atque figulus quispiam, qui ad diuersos vitæ humanæ vsus, diuersa è luto fingit & accommodat vasa. Et cæteras quidem creaturas corporeas hominis vsui & vtilitati consecrauit. Hominem verò ipsum in hunc finẽ produxit, vt post hoc exiguum breueque vitæ curriculum rectè & honestè confectum, in domũ illam æternam migraret, vbi diuino conspectu fruens, vitam longè iucundissimam beatissimamque in

omnem

omnem æternitatẽ viuerit. Vnde primò manifestum euadit, vitam quam hic ducimus, nihil esse aliud quàm viam quandam & medium ad illam beatam & immortalem, reſque alias omnes ob eam potiſſimũ cauſam factas & impartitas nobis, vt iis in hoc itinere ad cælum cõmodius faciliusq. conficiẽdo vtamur. Liquet ſecũdò Chriſtianum hominem, qui hanc veritatem fide edoctus eſt, omnes ſuos conatus huc conferre debere, vt à beata illa vita ne excidat, ne fruſtra in hoc mundo conſtitutus, nec ſuæ procreationis finẽ aſſecutus videatur. Tertiò, hinc efficitur, Chriſtiani hominis mentem cogitationesque non alibi, quã in cælo defixas eſſe debere, iuxta B. Pauli admonitionẽ dicentis: Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt ad dextrã Dei ſedẽs; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram: noſtra enim conuerſatio in cælis eſt, qui ſumus conciues ſanctorum & domeſtici Dei.

Coloſſ. 3.

Epheſ. 2.

Tria porrò hominum genera ſunt, qui de æterna vita aut loquuntur aut cogitant. Primi ſunt, qui cæleſtia illa bona tanquam aliena, & ad ſe non pertinentia contẽplantur, more illorum hominum, qui in itinere inſigne aliquod palatium contuentes, pulchritudinẽ & ſplendorem eius admirantur, multaq. inter ſe de illo conferunt, ſed prætereuntes ad abiectã aliquam caſam ruſticanam diuertunt. Secundi ſunt, qui de cæleſtibus quidem bonis, tãquam ſibi comparatis & propoſitis multa copioſè & ſplendidè differunt, ſed difficultate itineris mul-

multitudineq. aduersariorum deterriti, neque ipsi eò contendunt, neq. alios eò contendere sinunt. Quemadmodū olim in deserto decem illi exploratores fecerunt, qui cū Iosue & Caleph in Palæsthinā promissionis terrā à Mose ablegati fuerunt. Tertij porrò de cælo agūt tanquam de patria ad quam iter habent, eiusque cogitatione ac crebra commemoratione omnes miseræ huius vitæ molestias & difficultates exsorbent, non aliter quàm nobilis, qui ex longa difficiliq. peregrinatione pedes domum reuertens, eminus arcem suā in monte conspicatur. Hic enim cogitans paulò pòst occursurā cū liberis & familia vxorē, in amplexus ruituram, sedem, mensam, epulas, cæteraq. omnia corporis animiq. oblectamenta proposituram, nihilq. defuturū cōmoditatis, opum, honorum, &c. in itinere fortiter & animosè decurrendo alacriter progreditur, vim sibi facit, atq. adeò etiā comites certa futurorum bonorum ostentatione animat atque impelit: si quæ in itinere occurrunt, cæcis quasi oculis transit, & futurarū commoditatū consolatione facilè contemnit. Ita affectos esse illos conuenit, qui beati esse volunt, vt magno & inuicto animi robore superatis omnibus impedimentis & difficultatibus, ad illam gloriam contendant, propter quam in lucem editi, & per Christum à morte sempiterna vindicati fuerunt. *Num. 25*

CAPVT

CAAVT XXI.

DE MAGNITVDINE *gloriæ cælestis.*

MVLTA sunt quidē, ex quibus quanta sit gloria cælestis patriæ, aliqua coniectura assequi liceat: Quinq. tamen potissimum capita ad hāc rem facere videntur, quæ diligenter ponderata magnā vim habent ad desiderium in nobis excitandum illius inenarrabilis beatitudinis & fœlicitatis. Primùm, si consideremus quæ quantaq. bona in hac vita Deus dilargitus sit, non modò infidelibus, & idolorum cultoribus, hominibusq. ventri suo abdominiq́ue deditis, sed hostibus quoq. suis, & Christiani nominis acerrimis oppugnatoribus. Nero præter nefarium parricidium & alia innumera flagitia cōmissa, primus Imperatorum Christianos vehementissimè est persecutus, vsq. ad internecionem glorioſissimorum Apostolorum Petri & Pauli. Decius, Diocletianus, Maximianus, Maxentius, cæteriq́ue veræ religionis hostes quid non in Deum Deiq́ue cultores Christianos machinati fuerunt? Iulianus Apostata ex tonsurato clerico religionis Christianę desertor, magicisq. artibus deditus; Valens hæreticus, &c. hi, inquam, omnes cum tot scelеribus inquinati, ex professo Deū ipsum, Deiq́ue legem impugnarent, à Deo tamen donati sunt immēsis opibus, honore, gloria, splendore, deliciis, vt nihil deesset quo minus vitam agerēt suauitatis, dignitatis, voluptatis plenissimam:

simam: Imperauerunt orbi, subiectos sibi habuerunt populos ac reges, ad eorum nutum omnia gerebantur: Et quid optare posses in hac vita, quod illis non fuerit concessum? Sed hinc attolle mentem ad alia. Si enim tãta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis, sceleratis hominibus, atque tyrannis: quid præparauit, non dico seruis, nõ amicis, non charis, sed filiis dilectissimis, regni sui hæredibus? Si optabilis est Imperatorum Regumq. terrenorũ conditio, quantò magis optandum, celeste regnũ, cui præficiẽtur filij accepturi hæreditatẽ? Secundum est ex diligenti consideratione verborum Isaiæ, & B. Pauli Apostoli: Oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Magnam gloriam, magnas opes, magnos honores, oculi nostri viderunt, Principum Christianorũ: Multò plura audiuimus aut legimus ipsi, quanta fuerit gloria Imperatorũ; quæ victoria ac potentia Alexandri Macedonis; quæ Nabuchodonosoris regna; qui triumphi ducum Romanorum; quàm admirabilis sapientia Salomonis: Longè deniq. magnificentiora & splẽdidiora, mente & cogitatione complecti possumus. Sed quantamcunq. videris in orbe gloriam & fœlicitatem, quantamcunque audieris, quantamcunque mente cõplexus fueris, nihil ad gloriam, beatitudinemq. illam quam dabit, & reuelabit in cælo Deus diligentibus se. Tertium ex eiusdem Apostoli verbis

Isaiæ 64.
1. Cor. 2.

colli-

Rom. 8. colligi potest: Non sunt cõdignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: hoc est, nihil tãgraue cuiquam in hac vita inferri potest, aut à quoquam sustineri, quod dignum sit æterna gloria. Quò maioris momenti & precij est res, eò maiore labore molestiisque digna censetur. Sunt qui ferrum patiantur & ignes, vt vel præmia consequantur, vel cõmodis & emolumentis quibusdam fruantur. De bonis igitur vitę æternę affirmat scriptura, quòd tanta sint, vt nullus fuerit vnquam in hac vita labor, nulla molestia, nulla afflictio, nulla pœna quam non cumulatissimè cõpensent ac remunerẽtur. Multa passi sunt martyres, multa item facinorosi multi pro criminibus suis: At nihil dignũ tanto præmio. Tu labores tuos ad res istius vitæ confers: Mercator se periculis maris exponit, vt quæstũ mercibus faciat: Ecclesiasticus trãsmittit Alpes vt sacerdotiũ aliquod opimum impetret: Alij studia litterarum nocturnosque labores ad honores, principũ fauorẽ, & quietã vitam dirigunt. Et hæc diuina bona, quæ precium omne superãt, pro quibus tametsi vitam sanguinemque profundas, nihil dignum præstabis, nullos tibi labores mereri videntur? Certè B. Paulus quantos labores & molestias perpessus fuerit, quamque parui eas præ bonis illis immortalibus ęstimauerit, in epistolis suis satis declarat.

Quartum est ex precio vitæ æternę: merces enim quò pluris veneunt, eò digniores hãbẽtur,

tur. Obseratum erat quondam cælum peccato primi parentis, nulli patebat ingressus, quæsitus est in cælo, in terra & subtus terram, qui precio persoluto portam cæli reseraret, nemo potuit reperiri, nec precium ab vlla vel mortali vel immortali creatura persolui; Deus ipse infinitæ maiestatis & dignitatis in precium se offerre debuit. Haberi poterant opes huius terræ, sol, luna, sydera, ipsiq. cælestes orbes, quæ omnia cùm in hūc finem à Deo producta essent, vt homini ad æternam salutē consequendam adiumento essent, meritò debuissent in hoc negotio consumi. Sed dignum & æquale non erat precium, opus fuit re infinita, doloribus, sanguine, passione, morte Dei infiniti. Quocirca, si gloria cæli non nisi infinito merito cōparari potuit, hoc est, non nisi morte filij Dei; & si tanti Deus ipse illam æstimauit, vt seipsum pro ea tibi comparanda obtulerit ac donarit; nónne magnum quiddam, & eximium vitam æternā esse existimare debemus? Ego (inquit filius Dei) veni vt vitam habeāt, ideò factus homo, ideò passus, ideò mortuus, vt vitam ab ipsis amissam meo sanguine recuperem. *Apoc. 5.* *Ioan. 10.*

Quintum argumentū ducitur ab illis, qui hoc cælesti gaudio beati sunt & felices. Maiores nobilioresque maioribus rebus gaudent & delectātur, pueri nucibus, viri magnates, principes & reges grauioribus, vt certaminib⁹, circis, venationibus. Qui porrò res istas terrenas mente calcarunt, adeò nō afficiūtur illis,

vt omnia ista humana & inferiora pro nihilo ducant, reputent vt sordes & stercora. Tales erant Apostoli, cæteriq. viri sancti & Deo pleni. At verò sancti Angeli, quibus nihil commercij est cum his nugis nostris, dedignantur illas aspicere in quibus homines præcipuã fœlicitatẽ constituunt: eorũ quippe fœlicitas & beatitudo posita est in rebus longè nobilioribus. Deus autem infinitæ naturæ & dignitatis, non nisi infinita pulchritudine capitur. Considera igitur quanta sit futura res illa quæ te in æternum beabit, eadem nimirũ quæ sanctos Apostolos, quæ beatos Angelos, quæ Deũ ipsum. Qua enim re sancti Dei, atq. adeò Deus ipse oblectatur & beatus est, nisi Deo, & contemplatione possessioneq. diuinitatis? Hac eadem tu frueris, & in æternũ frueris. O te beatum ergo si gloriã istam intelligas, beatiorem si desideres, beatissimum si consequaris.

CAPVT XXII.

DE INGRESSV IN CAELVM.

ANIMA sancta quæ digna hoc cælesti regno iudicatur, quo putas triũpho in possessionem tantæ gloriæ ingredietur? Reges inaugurandi cũ magna pompa & sollemnitate inducuntur, & Romani duces olim confectis fœliciter bellis domum reuertentes cum incredibili splendore & apparatu in capitolium inuehebantur. sed nihil ad hanc
Luc. 16. inaugurationem atq. triumphũ. Lazari mendici anima ante reseratas cæli portas ab ipsis Ange-

Angelis est in sinũ Abrahæ deportata. Itaque: Primò, Angeli ipsi sunt vice currus triũphalis, ipsi vehunt animam in cælum, ipsi magno numero comitantur. O quàm suaue vehiculum, quàm certi itineris duces, quàm nobiles & iucundi comites, quàm honorabiles ductores. In ipso verò progressu cum laudibus Dei non tacebuntur laudes triumphantis animæ. Hæc est virgo sapiens, quã Dominus vigilantẽ inuenit. Hæc est quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructũ in respectione animarum sanctarũ. Iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsq. ad mortẽ, & à verbis impiorum non timuit. Hic vir despiciens mundũ & terrena, triumphans, diuitias cælo condidit ore, manu. Tũ eius generosa facta dulcissimo carmine ab Angelis celebrabuntur, taliq. cælesti melodia peruenietur in cælum, sicut de seruulo paralytico narrat D. Gregorius.

Secundò, Ad cælum vbi vẽtum fuerit, mirabitur anima insolitam regionẽ, noua erunt omnia; occurrent sancti congratulabũdi & in casta oscula ruentes. Si enim Angeli in cælis gaudent super vno peccatore pœnitentiã agẽte, sed in magno adhuc discrimine degente, quantũ erit gaudij super eodem iã de hostibus omnibus victoriã & triumphum reportante? Et si gaudent Angeli, quanto magis homines, eiusdẽ nobiscum naturæ, cõditionis & patrię? Et si ex longa peregrinatione redeunti filio occurrunt mater & domestici in hac vita, omniq. obsequij & officij genere gratificantur: *Luc. 15.*

quàm vehementer lætabuntur & gratulabuntur nobis beati illi ſpiritus, qui longè maiore charitate nos cõplectuntur quàm vllus mortalium? præſertim cùm ex multò longiore, periculoſiq. req. peregrinatione atq. nauigatione in ſecuriſſimum ſalutis portum inuehimur? Inter hos autẽ ſanctos, illi præcipuè gaudio & exultatione triumphabunt, quibus nos aliqua neceſſitudine coniuncti fuimus, vel cauſam alicuius boni aut ſalutis attulimus, vel quos ſingulari deuotione coluimus. Itaq. parentes Deo laudem dicent pro tali filio; fratres, amici, & cognati pro tali conſanguineo: ibiq. amor omnis naturalis qui erga parentes habebatur, in ſanctum & diuinum cõmutabitur. Iã illi quos ad meliorẽ vitam adduxeris, ad Deũ conuerſi, tibi ſuam ſalutẽ cum ingenti tua gloria acceptam referent. Et ſicut (teſte D. Gregorio) Achaia Andreã prædicabit; India Thomã; Aethiopia Bartholomeum; orbis Chriſtianus Petrũ & Paulũ, his ſimilibusq. vocibus: Hi ſunt, Domine, qui nos veritatem docuerunt, qui nos ſuis verbis & exẽplis è dæmonum faucibus eripuerunt, qui ſalutis iſtius noſtræ authores fuerunt: Petrus Apoſtolus, & Paulus doctor gentiũ, ipſi nos docuerunt legẽ tuam Domine: His igitur redde coronam iuſtitiæ, quã promiſiſti diligentibus te: Ita tibi bona omnia precabuntur, & laudes tuas immortaliter celebrabunt illi, quos tu ad pietatẽ colendã iuueris; filij, diſcipuli, ſubditi, auditores, & quibuſcunq. operã tuã impenderis. Sãcti

cti verò quos patronos habueras, nominatim Angelus tutelaris, peculiarē illū cultū & honorē, quo ipsos viuens affeciſti, palam cōmemorabunt, ſingula quoq. recenſebunt, quæ in tui gratiā viciſſim à Chriſto petierunt & impetrarunt, quos tu agnoſcēs, maiori etiam quàm hactenus vnquam veneratione & affectu complectêre.

Tertiò, Hoc iucundiſſimo ac ornatiſſimo ſanctorū comitatu, in intima cælorū penetralia introductus, admiraberis regionis amœnitatē, campos non terrenos, ſed cæleſtes, palatia non lapidibus, lateribus aut gēmis, ſed ſublimiori materia diuinis manibus artificioq. cōſtructa: ſolis lux, vtpote obſcurior, illic non lucebit: nam claritas Dei illuminat illā domū, & lucerna eius eſt agnus. Hinc inde circumſpectans, varios Sanctorū choros videbis, Virginum, Viduarū, Anachoretarū, Cōfeſſorū, Eccleſiæ Doctorū, Martyrum, Apoſtolorū, Prophetarum, Patriarcharū, qui vt in hoc mundo diuerſis viuendi inſtitutis Deū coluerūt, peccataq. ſua, & vnigeniti filij Dei mortē, ſeorſim (vt ait Propheta Zacharias) diſtinctis familiis planxerunt; ita in cæleſti patria, diuerſis honoribus afficientur, & habitationibus diſtinguentur: Siquidē in domo patris cæleſtis manſiones multę ſunt. Quibus ſalutatis, & ab iiſdē officioſè reſalutatus, aſcendes ad nouem choros Angelorū, quos tribus Hierarchiis diſpertitos, & in ſuo quemq. munere & officio (ſunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus)

Apoc. 21.

Zach. 12.

Ioan. 4.

constitutũ videbis, ex qua re dictu incredibile est, quantã sis voluptatẽ percepturus. Nam illi qui sunt ex ordinibus inferioribus, vltrò citroq. sursum deorsum cursitant, munera diuina è cælo in terrã, & preces mortalium hinc in cælũ deportantes: Medij ex Dei voluntate & præscripto de rebus iuferioribus constituũt & ordinant: Supremi vtpote Deo viciniores, perpetuò diuinæ suæ maiestati assistũt & ministrant, toti in eius amorẽ & admirationẽ absorpti: Et Angelorũ quidẽ omniũ tãta est multitudo, vt sicut cęlũ magnitudine hanc terram infinitis partibus vincit (quippe quæ iuxta Mathematicorũ demonstrationes ad vniuersi cæli complexũ quasi puncti instar obtinet) ita eorum numerus res has terrestres omnes multitudine longè superet. Ordo talis est, vt & nemo otietur, & nemo alterũ impediat, & quò quisq. superior est, eò quoq. inferiore, insigni aliqua proprietate nobilior est & præstantior. Regina Saba admirabatur in aula Salomonis ministrorũ ornatũ & ordinẽ; nec habebat amplius spiritum, vt inquit scriptura. Sed quid hominũ terrenis vestibus indutorũ nitor, ad hunc immortalẽ Angelorũ splendorẽ & ornatũ, qui gloria cælesti & pulchritudine naturæ suæ, omnibus rebus à Deo creatis antecellunt? quid ille ordo ad hunc ordinẽ? quid illa multitudo ad hanc infinitatem? In hac glorioſa profectione, quos audies concentus Angelorũ, atq. beatorũ hominum? quã melodiã? quas Dei laudes? canticũ nouũ, perpetuũ Alle-

Gen. 28.

Apoc. 8.

2. Par. 9.

Alleluia. Quando vident pij homines in templis Catholicorũ sacrũ Missæ officiũ cũ apparatu, & pia quadã cærimonia celebrari, & Ecclesiasticos Hymnos deuotè ordinateq. decãtari audiunt, animis in cælo defixi, & mirabili dulcedine ac suauitate deliniti, lachrymas vix tenent. Hic ergo in cælesti tẽplo, in tanto numero canentium, tanta singulorum attentione, tanto ordine, tanta harmonia, tãta maiestate, quid cogitabis? vbi eris? quo gaudio afficieris? qua dulcedine perfunderis? qua deuotione cumulaberis? præteruectus Angelorũ ordinẽ ad cælorũ Reginã Dei ipsius Matrem adduceris, quæ sola gloria ac maiestate sua decimum chorũ constituit & adornat: tot enim tantisq. donis & ornamentis est exculta, vt quicquid sapientiæ, pietatis, charitatis, pulchritudinis, honoris, glorię Sanctis omnibus à Deo collatũ fuit, id omne in ipsa tanquam in nobilissimarũ rerũ thesauro collectum videas. Hanc aspicies amictã sole, & luna quasi scabello insistentem, Illustri corona, duodecim stellis tanquã gemmis quibusdã distincta, capite redimitã: quæ sereniſſimo vultu ad te cõuersa: Veni (inquiet) spõsa Christi, accipe coronam quã tibi Dominus præparauit in æternũ. Inuocasti me & quotidianis precibus postulasti, vt Iesum benedictũ fructũ vẽtris mei, post exilium tuũ tibi exhiberem: iã te ad eum deducã, teq. coronandã, dignoq. præmio afficiendã ei sistam, & cõmemoratis orationibus, quas pro te ad filiũ suũ fundere solita fuit, sin- Apoc. 12

guliſque beneficiis per eius preces tibi à Deo collatis, in maiorem te ſui amorem & venerationem excitabit.

Quartò, Vlteri⁹ duce matre Deipara throno Chriſti appropinquans admiraberis gloriâ vnigenĩ filij Dei, ſedentis ad dextrã virtutis & maieſtatis Dei, qui tibi obuiam factus, id quod in ſupremo iudicij die futurũ promiſit, etiã hoc tempore aliquo modo præſtabit: Iterum veniã & aſſumam vos ad meipſum. Nam
Luc. 15. ſi filiũ prodigum, qui totũ patrimoniũ ſuum decoxerat, accurrẽs amplexus eſt & exoſculatus: quid filio probo è pugna redeunte facturũ putas? Primò ſanè, more matris quę infantis lachrymantis faciẽ ſudario tergit, abſterget omnẽ lachrymam ab oculis tuis, & eiuſmodi proculdubio verbis cõſolabitur: Benedicte tu fili mi, & frater dilectiſſime, gaude & exulta: iam enim non erit tibi amplius neque luctus,
Apoc. 21. neq. clamor, neq. vllus dolor: iã hyems & difficultas omnis tranſiit & receſſit. Deinde, quod tanto tempore concupiuit anima tua, vt oſcularetur te oſculo oris ſui; ſuauiſſimo caſtiſſimoq. amplexu & oſculo, te ſibi in ſpõſam deſponſabit. Tũ exhibitis manuum, lateris, pedumq. vulneribus, quicquid pro te annis triginta tribus geſſerit, paſſusq. ſit, in memoriam reuocabit. Tu verò, venerabundus ſacra illa vulnerum loca deoſculaberis, tantiq. Domini in te bonitatem & miſericordiam admirans, in eius amorem incredibiliter exardeſces.

Quintò, Manu præhenſam te ſponſam ſui addu-

adducet Christus ad thronũ Patris æterni, vt ipsam videas & possideas diuinitatẽ. Vbi sicut Moyses in monte Sinai in nubẽ ingressus caligine tectus fuit; ita tu ingressus in gaudium Domini tui, totus à Deo absorptus, homo planè diuinus euades. Hic tunc Deus Pater, sempiternæ gloriæ coronam tibi imponens: Euge (inquiet) serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã, intra in gaudiũ Domini tui; intra (inquã) in gaudium Domini tui: tantũ quippe est gaudiũ, vt totum capere nequeas. sed sicut spõgia in aquã missa oppletur quidẽ aqua, sed vniuersam aquã non capit: ita tu gaudio quidem & Deo replebere, sed tamen totã istius gaudij amplitudinẽ mẽtis tuæ angustię non poterunt continere. Verè verè beata tunc erit anima tua, videnscq. exultabis lætitia inenarrabili & glorificata. Deus porrò locũ tibi designabit in numero Sanctorũ labore & virtute tua dignũ, iuxta illud sapientis: Omnis misericordia faciet locũ vnicuiq. secundũ meritum operũ suorum, & secundũ intellectum peregrinationis ipsius. Ad quẽ locum vbi perductus fueris, miraberis tibi asseruata & quasi in thesaurum collecta, quæcunq. per omnẽ vitam egisti, nihil eorũ prætermissum, nec haustũ quidem aquæ frigidæ egentibus datum; & miraberis res exiguas & minimas tanta mercede compensari.

Exod. 24.

1. Pet. 1.

Eccl. 16.

Hæc quæ iam dicta sunt, fient illa quidem, sed nõ eo modo quo dicta sunt fient, sed quomodo ab hominibus explicari non possunt

fient: puncto tēporis, ſummo ſplendore, inexplicabili lætitia, modo ſupernaturali, quemq. illi ſoli intelligent, quibus dabitur experiri.

CAPVT XXIIII.

DE PRAEMIO ACCIDENTALI.

DVPLEX gaudiū habetur in vita ęterna: Vnum eſſentiale dicitur, quod in Dei ipſius clara viſione poſſeſſioneque conſiſtit: Alterum accidentale, quod in cęteris animæ corporisq. bonis cernitur. Vtriq. conuenire poteſt Boëtij definitio, vt ſit ſtatus bonorum omniū aggregatione perfectus. Atque vt ab accidentali præmio tāquam minori auſpiceris, omnibus ibi bonis circūfluēs & abūdabis, nihil quod deſiderare poſſis aberit, omnia quæ voles copioſè accipies. Cumq. tanta ſit illic fœlicitas, rectè tamen dixit D. Auguſtinus, facilius exponi poſſe quid nō ſit, quàm quid ſit in cælo: nulla paupertas, nulla inſcitia, nulla ægritudo, nullæ prorſus miſeriæ, nulla pœnitus mala, imò verō nec hæc noſtratia bona, non diuitiæ noſtræ, non honores noſtri, non ſcientiæ noſtræ, non eloquentia noſtra, non denique quicquid in bonis & eximiis hic mundus admiratur. Aderunt tamē bona omnia, ſed præſtantiora & altiora. Quę res hac ſimilitudine poſſit explicari. Agricola quiſpiā ruſticana ſua caſa & ſupellectili contentus viuit, mēſa, cubili, lecto, veſtitu, &c. At filius Regis aſſuetus palatio ſupellectiliq. regia, caſam hanc fortè ingreſſus, nihil inueniet quod aula

parem-

parentis dignum putet. Hic enim videt parietes luteos; tectū ſtramineū; tapetes aranearum telas; lectū ſacsum ſtramineum; lecticam humū; menſam rudem tabulā; ſedem, truncū arboris; veſtem pannoſam; calceos clauiculatos; orbes & cochlearia lignea; lances teſtaceas; denique rudia ruſticanaque omnia, quibus licet fruatur & delectetur agricola, non capitur tamen Regis filius, cuius palatiū eſt nobili lapide ſtructum, plumbeis laminis tectū, pulcherrimè laqueatum, & ſupellectili aurea atque argētea inſtructū. Simili modo res ſe habet in aula cæleſti, vbi diuitiæ huius mundi, quę auro, argento, lapidibusq. precioſis, & gēmis conſtant; hoc eſt, terra rubra, alba, aut aliis coloribus pro qualitate gēmarū tincta; nullo precio habentur. Noſtræ opes pungunt ſollicitudine curaq. habendi & retinendi: Illic opes cæleſtes ſine cura, & illæ quidem ampliſſimæ. Super omnia enim bona ſua conſtituet te Deus. Quicquid habet Deus, id tuum erit. Et quemadmodum olim Ioſephus par erat Pharaoni, vno ſolio regni ſceptroq. excepto: ita tibi ſua omnia donabit, cōmittetq. Deus, hoc vno dempto quod cōmunicari nequit; vt ipſe ſolus maneat Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula. Honores iſtius vitæ quid præter externā reuerentiā adferunt, & illam ſæpè ſimulatam, ſæpè extortā, ſæpè coactā, & inuidia maledictionibusq. plenā? In cælo porrò quantus honor? Qui vicerit (inquit Chriſtus) dabo ei ſedere mecū in throno meo. Magnus honor, in

Mat. 24.

Gen. 41.

Apoc. 3.

Esther 6. in eodem throno cum Rege considere. Aman acerrimus honoris existimator, summam dignitatem iudicabat equo Regis vehi. Quantus igitur erit honor, in eodem throno sedere cum Christo Deo, & Regum omniũ Domino? Elegãter dixit B. Apostolus Paulus: Quod 2. Cor. 4. in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Tanta est illius honoris & gloriæ magnitudo, vt omne id, quod in hac vita pati contingit, sit pro re leui ac momentanea habendũ. Sũma in hoc mundo potestas, est summa imbecillitas. Reges & principes qui præter cæteros potestate præditi esse videntur, sine ministrorum turba, à quibus pendet tota illorum potestas, vix audẽt domo efferre pedẽ, quod intrepidi faciunt mendici. Beati verò in cælo, sine ministrorum aut militũ ope soli per se acies integras delere & per- Isa. 37. dere possũt: sicut vna nocte in exercitu Senacherib, Angelus vnus 185. hominũ milia prostrauit. Quia gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendã vindictã in nationibus, increpationes in populis: quod illis in Apocalypsi promisit Christus his verbis: Qui vicerit Apoc. 2. & custodierit vsq. in finẽ opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquã vas figuli confringẽtur, sicut & ego accepi à patre meo. Hoc est, potestate, qua me pater cælestis ornauit, cũ sanctis meis communicabo.

Cibus noster in hac vita ex animaliũ carnibus,

nibus, aut terræ frugibus atq. herbis, potus ex aqua aut succo vuarũ, conficitur; & sumptus quandoq. lædẽ corpus, sæpe mentẽ ad terrena deprimit, labore parandus est, & quotidie repetendus. Quantò præstantius est alimẽtum cęlitũ. Ego (dicebat Raphaël) cibo inuisibili & potu qui ab hominibus videri nõ potest, vtor: replet omne desiderium satiatque. Inebriabimur enim ab vbertate domus Domini; & satiabimur, cùm apparuerit gloria eius: sine molestia paratur, quia filius Dei iubebit nos accumbere, & transiens ministrabit nobis. *Tob. 12.* *Psal. 35.* *Psal. 16.* *Luc. 8.*

Voluptas huius vitæ suas habet amaritudines, vt non immeritò à Saluatore Christo spinis pungentibus cõparetur: nõ rarò est fœda, plerunq. imperfecta, nam qui tactu delectatur, dolet alio sensu, audiens vel aspiciẽs quod molestiam parit. In cælis corpus ipsum cum omnibus suis partibus & membris admirabiles capiet voluptates, sed castas, sed sanctas, sed diuinas: primò quidem quatuor illis diuinis dotibus afficietur, quibus erit Primò impatibile, sanum, vt nulla læsione, nullo æstu, nullo frigore, nulloque malo affligi possit. Secundò, instar solis clarũ, splendor enim ipsi loco vestimenti erit. Tertiò, agile ad omnem animę nutum, velociter, sine molestia atq. defatigatione vbiq. præsens. Quartò, spirituali rationi per omnia obtemperãs. Deinde verò sensus habebũt incredibilia oblectamẽta. Oculi qui multa hic acerba viderunt, & pauperum necessitates benignè inspexerunt, gaudebunt illic

lic præsentia Christi, sacratissimę Matris, omniumq. Sanctorũ, quorũ corpora omnẽ pulchritudinem vincent: delectabuntur quoque amœnitate loci, quæ tãta sit in ipso cęlesti palatio, ex infima eius vilissimaq. parte, quę nos respicit, coniectare possumus. Hæc enim pulchritudine stellarũ & syderum ornata, luminęq. solis & lunæ illustrata, non solùm orbem hunc inferiorẽ illuminat, sed rebus omnibus vitã & esse confert atq. conseruat. Quid igitur in penetralibus ipsis erit pulchritudinis, si tantum splendoris habet hæc pars, quæ nõ solùm ab hominibus, sed etiã à bestiis conspicitur? Aures quoq. quæ pauperũ vocibus & clamoribus patuerunt, diuinasq. laudes & sacras conciones admonitionesq. cum fructu audiuerunt, multaq. conuitia hauserũt, ibi suauissimo Christi colloquio perfruentur; Sacratissimæ Dei Genitricis cæterorumq. Sanctorum verbis & sermonibus concentuq. Angelorum, & laudibus Dei sine fine decantãdis, delectabũtur. Singulis præterea sensibus reliquis suæ voluptates non deerunt, & plus delectationis illi percipient, qui plus molestiæ tulerunt. Cicatrices vulnerum pro Christo acceptorũ admirabilem splendorẽ reddent. Caro macie, ieiuniis, ciliciis, aliisq. pœnitentiis confecta, instar solis fulgebit, deniq. labores omnes, & incõmoda pro iustitia, & remissione peccatorũ susceptа & tolerata, summa quiete & iucunditate permutabuntur. Scientia istius mundi, tametsi magno labore parta, est tamen potius igno-

ignorantia dicenda, quàm scientia, vt verè dixerit sui temporis doctissimus Socrates, se hoc vnum scire, quod nihil sciret: cumq. tam exigua sit, & ferè nulla; inflare tamẽ solet, & miros homini spiritus afferre. Quid quęso nouimus de natura cursuq. astrorũ? quid de fluxu refluxuq. & salsedine maris? Quid de corpore humano? Medicina plena est ambiguitatib⁹. Iurisperiti tot scriptis voluminibus, in rebus grauissimis sæpe dissentiunt. Extra ea quæ fide credimus, Theologia multis obscuritatib⁹ est inuoluta. Et hodie in omni ferè scientia, quæ multo tempore magno consensu tradita fuerunt, à plerisq. nouis difficultatibus suscitatis in dubium vocantur. Sancti in cælis quid poterunt ignorare? videbunt oculis cursus orbesq. cælorum, non magis ipsos latebunt herbarum, animaliũ, cæterorumq. corporum naturæ & proprietates, quàm Dæmones qui ingenij pernicitate omnia penetrãt. Et quid nõ scient qui scientem, omniaque in se continentem scient?

Suauitas quæ ex amicorũ sociorumq. consuetudine in hoc mundo capitur, frequenter aliqua amaritudine miscetur, vel ex moribus minus aptis, vel ex verbo leuius inconsideratiusq. prolato, vel ex æmulatione si fortè alij nobis anteponantur. In cælo verò vnum ex præcipuis gaudiis erit, sanctorũ cõsuetudo atque præsentia, quorũ gloria nõ aliter atque si nostra esset, lætabimur, quemadmodũ singula corporis membra ornatu mutuo gaudent: ma-

manus enim ex capitis ornatu redditur ornatior, atq. ita de cæteris membris: & sicut mater gaudet, cùm filio ad honores magnos euehitur, quòd talis honor in matrem quoq. talis filij redundet. Quamobrem nulla est illic inuidia, nulla ambitio, nulla ob aliorum maiorem gloriã æmulatio. Singuli enim quantam optare & capere possunt gloriam, habebunt. Sicut igitur frater statura breuior accepta à parente veste aurea quæ suo corpori cõuenit, non inuidet fratri proceriori vestem similem, sed pro statura longiorẽ maiorisq. precij: neque istam sibi cuperet oblatam, tanquam minus conuenientem: Et sicut manus ornata annulis gemmisque, non apperit ornatum capitis licet sumptuosiorem: Et quemadmodum mater non inuidet filio diuitẽ Episcopatum, aut sacerdotium, cuius ipsa non est capax: Ita Sancti suo singuli statu contenti erunt; nec vnus alterius honore, aut gloria dolebit, sed potius vehemẽtissimè gaudebit. Neq. solũ admixta sunt malis multis, bona istius vitæ, sed breuia quoq. sunt & incerta, aliquando fortunæ ludibrio exposita, semper autẽ morte deferenda. At verò cælestium bonorum nullus erit terminus: Semper enim cũ Domino erimus, inquit Apostolus. Cùm namq. in omni occupatione læta, tempus breue appareat, & citiùs atq. vellemus effluxisse videatur, in illa summa fœlicitate omne tempus esset breuissimũ. Quia (vt ait Propheta Dauid) mille anni ante oculos Domini, tanquam dies hesterna

Psal. 89.

na quæ præteriit. Igitur in illa ſancta æternitate nulla eſt viciſſitudo, nulla ſucceſſio, nulla permutatio, ſed conſtans & firma & plena & abſoluta per omnem æternitatē lætitia, nullo tædio diuturnitatis permixta. Sicut enim Deꝰ aliàs omnipotentiā, ſapientiam, bonitatē, iuſtitiamq. ſuā hominibus declarauit: ita in beatitudine cæleſti quibus bonis ornare, & quanta fœlicitate ſuos dilectos afficere poſſit, apertis theſauris gloriæ ſuæ palam faciet. nihil hic erit mali, nihil deerit boni. Cogita diligenter apud animum tuū quid appetas, aut quid deſiderare poſſis; id omne habebis illic, & pleniꝰ perfectiusque, quàm conceperas habebis.

CAPVT XXIIII.

DE PRAEMIO ESSENTIALI.

PRAETER hæc tanta tamq. admirabilia bona, vult Deus ſe ipſum nobis in cælis dare, diuinamq. naturā admirabiliter nobis coniungere, vt à nobis videatur, & habeatur, & videndo poſſideatur. Res iſta cùm tā ſublimis ſit, vt neq. verbis exprimi, neq. mente concipi valeat, pro ingenij noſtri tarditate hoc rudi modo cōſideretur. Deus natura ſimpliciſſimus, perfectione infinitus, nec humano nec Angelico intellectu attingitur aut videtur; quod mens creata ad tam perfectā & abſolutam ſimplicitatē non poſſit aſpirare; neq. ſit aut eſſe poſſit ſimilitudo aliqua, quæ Dei naturam intellectui repræſentet, cùm omnis ſimilitudo finitā habeat perfectionem, Deus

autem sit infinitus. Deus itaque pro bonitate sua hominibus sanctis se manifestare volens, mentis humanæ oculos infirmos atq. angustos primò quidē firmiores reddit, lumineq. diuino illustrat, vt supra naturæ vires, capaces efficiantur cōtemplationis Dei. Tum verò Deus ipse nō per speciem (vt fit in cognitione aliarum rerum, quarū similitudines non res ipsæ sunt in sensibus & intellectu) sed per se ipsum in intellectū ingreditur, cōiunctioneque hac supernaturali & admirabili videtur per se atque in se diuina natura, neque videtur modò, sed per intellectum ingressus in animā, eam, potentiasq. eius adeoq. corpus ipsum hominis beati diuinitate replet. Qua ex re efficitur Primò, vt anima beata Deo plena, tametsi naturam suā non amittat, diuinæ tamen naturæ consors dicatur, atque in ea magis Deus quàm propria natura cernatur, quod similitudine candentis carbonis, & ardentis fumi in flamma explicari solet. Secundò, vt gloria hæc animæ in corpus redundet, corpusque ipsum afficiat: vnde sicut per animam suā accipit humanum corpus pulchritudinem; ita non mirum si præsentia hac diuitatis corpora sanctorum fulgebunt sicut sol in regno patris eorū, quemadmodum Christū Dominum in transfiguratione resplenduisse nouimus: & sicut ex pulchritudine ista motuq. videtur corpus viuere, vitaq. ipsis quodammodo oculis externis cernitur: ita rectè dicit B. Augustin⁹, propter insignem sanctorum gloriam, Deum ipsum

Mat. 17.

sum humanis oculis quodammodò conspici, nempe sicut videtur vita vel anima viuentis. Tertiò fit, vt hac coniunctione Sancti admirabili delectatione, voluptateque afficiantur: siquidem voluptas tribus rebus excitatur: Re delectabili, re delectationis capace, & vtriusque coniunctione; eritque delectatio eò vehementior, quo hæc tria in suo genere magis superant: quo namque cibus est suauior, gustatus etiam melius constitutus, illique cibus coniunctior, eo gratior est sapor. Atqui Deus in quo continetur omne prorsus bonum, omnis dulcedo, omnis suauitas, est summè delectabilis. Anima quoque humana, natura alioquin sua ad percipiendam delectationem aptissima, vtpote natura spiritualis & subtilis, cuius virtute, & præsentia corpus ipsum affectionibus quibusdam solet commoueri: Lumine verò hoc diuino illustrata, multò est etiam aptior: & quòd summo Dei sui desiderio teneatur, non aliter idonea est ad Deum capiendum, quàm ille, qui ardentissimè sitit, est idoneus ad bibendum. Iam verò cõiunctio Dei, & animæ, non est externa per immissas species & similitudines, qualis est ferè in sensibus animalis, & in intellectu hominis, qui aliquid intelligendo concipit; neq. est per solum contactum, sicut cùm gustamus quippiam aut tangimus, sed est prorsus intima, dum Deus natura diuinitateq. sua in animam illabitur, totamque penetrat, sicut spongiam penetrat

aqua,& fumum ignis. Vnde neceſſarium eſt, hanc ſuauitatē atq. dulcedinem, quæ ex coniunctione Dei accipitur, eſſe maximā. Quartò fit, vt Sancti magna ſapientiā prēditi ſint, & multarum rerum ſcientia abundent. Quid enim nō videt, qui in ſe habentē omnia videt? Itaq. Sancti quibus datū fuerit diuinam eſſentiam perſpicuè intueri, videbūt Dei infinitam naturā, maieſtatem, pulchritudinem, bonitatē, potentiam, cæteraq. attributa, quæ omnia cùm ſint perfectiſſima, non ſunt in Deo res multa, ſed vnica ſimpliciſſima natura, eſtque Dei ſapientia eius potentia, & hæc eius iuſtitia, & iſta ipſius miſericordia, &c. Videbunt in hac ſimplici eſſentia tres perſonas re ipſa diſtinctas, & vnicam tamen numero naturam. Videbunt quomodo Filius ab æterno generetur, & ſemper ſit genitus, ſemperq. naſcatur, & ſemper ſit perfectus. quomodo Spiritus ſanctus à Patre & Filio non naſcatur quidē, ſed procedat per modū amoris, non à duobus, ſed ab vno principio. Videbunt rurſus quid tota æternitate Deus egerit, qua potentia, & modo de nihilo mundū creauerit: resq. omnes creatas, viſibiles, & inuiſibiles, in Deo exiſtentes conſpicient, ſed longè nobiliores atq. præſtantiores quàm ſint in ſe ipſis, nempe idæas rerū & ſimilitudines, per quas producta eſt vniuerſitas rerū, quæ res in Deo erant antequam ex nihilo formarentur, & quidem nō materiatæ, ſed materiæ expertes; neq. mortuæ, ſed viuæ: quia quod factū eſt in

Ioan. 1.

in ipso vita erat. Videbunt præterea operantẽ Deum & non moueri, omnia quæ fiunt faciẽtem & non mutari, omnia conseruantem nec fatigari. Videbunt inter cætera, admirabile opus incarnationis filij Dei, quo secunda in Trinitate persona in eandem personam, assumpsit humanam naturam, ita vt ea persona quæ prius erat perfectissimus Deus, facta sit sine vlla sui mutatione perfectissimus homo. Hæc omnia videbunt in Deo clarè perspicueque, sed non comprehendent ob rerũ magnitudinem, seu potius ob rei vnius infinitatẽ; gaudebuntq. se comprehendere non posse; & ad tantæ maiestatis aspectum esse admissos, quæ nullius creaturæ mente capi possit. Videbunt deniq. in Deo res omnes ab orbe condito gestas, non vt absentes, sed quasi præsentes, mirabunturq. Dei sapientiam, & prouidentissimam charitatẽ; cognoscent quoq. quanta beneuolentia eos in hoc mundo Deus tractauerit, per varios casus duxerit, & ab æterno prædestinatos sapienter amanterq. ad salutis portũ perduxerit, omniaq. bona & mala quæ in hac vita experti fuerunt, in ipsorum commodum conuerterit. Hinc quintò excitabitur in hominis voluntate ardẽtissimus amor Dei, tũ ex pulchritudine bonitateq. immensa, tum ex charitate beneficiisq. in nos, totumq. humanum genus collatis: Hæc enim duo conciliant amorem, bonitas & beneficium. Et quia iuxta scripturam Deus diligẽtes se diligit, seu potius quia se faciet ab homine perfecta cha- *Prou. 8.*

ritate diligi, ipse vicissim in nos suauissima abundātissimaq. charitate effundetur, vt non modò cognoscamus & affirmemus nos diligi (quod in hac vita quoq. fateri cogimur) neq. solùm experiamur, sed verè sentiamus, atque gustemus immēsam Dei in nos dilectionem. Sextò, Fit quoq. hac admirabili coniunctione, vt Beatis Deus suas proprietates impertiatur: Potentiam, amorē hominū, patientiā, cōpassionem, misericordiā, &c. vt sint ferè sicut Dij, non quidē scientes bonum & malum, sed scientes omne bonū, omni virtute, bonitate, & gloria perfecti, & carentes omni malo, aut potius sicut Deus, qui per hāc suam cū omnibus Sanctis coniunctionem erit omnia in omnibus, vt Deus in singulis videatur, & singuli in Deo, sicut ignis est in carbonibus accensis, & carbones in igne ardente. Vnde etiam hoc discimus, quātoperè sint Sancti à viuētibus colendi, propter Deum quo pleni sunt, quanta sit eorum dignitas, quanta maiestas, quanta potestas, vt Dij vel Deus potius videantur quam homines. Non itaq. mortui, non cæci, nō surdi, non muti, non infirmi, sed viui, vidētes in Deo necessitates nostras, audientes preces nostras, orantes pro nobis; & pro gloria & potestate sibi à Deo concessa, mortalibus opē ferentes, adeò vt Dęmonibus, damnatisq. summo sint terrori, qui hanc diuinam in Sanctis maiestatem, claritatem, atque potentiam ferre non possunt.

CAPVT XXV.

DE MODO COGNOSCENDI, *an simus in via ad cælum.*

FRVSTRA de tanta cælorũ gloria meditamur, multaque cognoscimus, si aliis cognoscamus, non nobis: hoc est, si non teneamus viam quæ ducit ad illam gloriam. & quidem nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: quia tamen monet Apostolus Petrus, vt certam nostram vocationem electionemq. faciamus: & B. Paulus affirmat, Spiritum sanctum reddere testimoniũ spiritui nostro, quod simus filij Dei, indicia quædã habere possumus, quibus inducamur vt sperem⁹ confidamusque, nos esse in via recta ad vitam æternam. quorum primum est serenitas conscientiæ, & quies interna, iuxta illud B. Ioannis: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum. Cæterùm quia de se B. Paulus loquitur, Nihil mihi cõscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: non in omni nec in sola illa interna pace & tranquillitate est acquiescendum: quandoquidem Dauid in grauissimis peccatis, adulterio & homicidio, totis nouem mensibus; & in peccato superbiæ numerari populi totis sex mẽsibus sine vllis conscientiæ stimulis videtur hæsisse. Sed hæc quies mentis, de qua loquimur, ex eo proficisci debet, quòd quis post diligentem, & quotidianam actionum suarum considerationem, nihil in se inueniat quod diuinæ legi repugnet, firmumque propositum

Eccles. 9. *2. Pet. 1.* *Rom. 8.* *1. Ioan. 3* *1. Cor. 4.*

concipiat, nihil quod Deo ingratum sit, admittendi, & nihilominus frequenti confessione, leuiora peccata deleat, seseque crebra sanctissimæ Eucharistiæ perceptione aduersus peccata communiat. Quisquis tunc serenitatem animi sentit, firmiter speret sibi iam locum esse in cælis constitutum.

Secundum est, in domādis passionibus animæ progressum feciſſe, atq. dum præsentem diem cum præcedentibus confers, in te mutationem experiri, vt tametsi non omnino extincti sint motus perturbationum; sint tamen ita repressi, vt non te iam regant & ferant, sed à te regantur, & comprimātur: ad exemplum
Matt. 9. paralytici illius, quē Christus curauit: is namque à lecto infirmus portabatur, sanus autem lectum suum ipse portauit. Danda igitur tibi esset opera, vt vitiis prauisq. inclinationibus animum tuum liberes (sunt enim sordes quibus purgādus est animus, si Christum in animo tuo præsentem habere desideras) earumq.
Galat. 5. loco virtutes compares, charitatem, benignitatem, patientiam, bonitatem: quæ cùm sint fructus diuini Spiritus, declarant sua præsentia Spiritū sanctum adesse, sicut ex fructibus arboris intelligitur arbor viuere.

Tertium est, si bona ista terrena contemnas & flocci pendas, diuitias, honores, vanitates, & quicquid mūdani homines magni ducunt, & contrà delecteris iis quę Christus Dominus amplexus est & commendauit, cōtemptum pro Dei amore, castitatem, vitæ asperitatem,

tatem, alterius voluntati & iudicio parere. Quemadmodum D. Paulus omnia arbitrabatur vt stercora, & in tribulationibus suis gaudebat ac gloriabatur: Mihi, inquit, mūdus crucifixus est. Hoc est, quemadmodum viatores carnificinam aliquam prætergredientes, à cadauere cruci affixo adhuc fætēte nares faciēq. auertunt, & ne fœtore lædantur festinanter transeunt: ita mihi abominationi est mūdus, à quo satius multò fuerit cogitationes animūque auertere, ne noceat, quàm eius voluptatibus recreari. *Philip. 3.* *Galat. 6.*

Quartum est, desideriū vitę cælestis, si cum B. Apostolo cupias dissolui & esse cū Christo, non more illorū qui pusillanimitate & impatientia molestias refugiunt, quas in mūdo pati coguntur, sed amore præsentiæ Christi. Ille igitur certa spe æternæ beatitudinis consequendæ teneatur, qui frequenter de futura vita cū voluptate & desiderio cogitat, ad illam anhelat, illuc bona sua præmittit, in illā omnem suam consolationem differt. Quemadmodū vinitores faciunt, qui immaturas vuas non carpunt, ne tempore vindemiæ nullas habeant maturas: sed patienter vsque ad autumnum exspectant, cùm quòd immaturæ dentibus stuporem inducant, tum quòd in vindemia dulce ex ipsis vinum exprimatur. Tu ergo, cuius animum subinde deliciarum cupiditas titillat, ne dubites, frueris deliciis vbi maturuerint: in hoc mundo nocent, parumper itaq. expecta, & in autumnum, hoc est in futuram *Philip. 1.*

turam vitam omnem cogitationem tuã conuerte; ibi nihil deerit honoris, pulchritudinis, suauitatis, diuitiarum, voluptatum.

Quintum est, tribulationes & molestias in hac vita pro iustitia sustinere, hoc est, crucem Christi ferre. Via quæ ad cælum ducit, cruce Christi ab aliis viis discernitur, in quibus non Christi, sed latronum, furum, aliorumque impiorum hominum sunt patibula. Si igitur rectè viuens, nihilq. præter Deum quærens affligaris, optimè sperandum tibi est de præmio æterno, & valde notanda sunt verba Raphaëlis Angeli, quibus in hunc modum Tobiam virum alioquin sanctissimum consolabatur:

Tob. 11. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Quasi dicat, qui diuitiis cõmoditatibusque carnis affluunt, & rebus secundis constanter vtuntur, nullisq. premuntur aduersitatibus, illis metuendum est, ne bona illorum opera hoc fœlici rerum omnium successu compensentur: sed qui malis vrgetur & vexatur in hoc mundo, is gaudeat, quia merces ipsi bonorum operum copiosa in cælis conseruatur.

CHRI-

CHRISTIANARVM INSTITVTIONVM LIBER IIII.

CAPVT I.

DE CERIMONIIS ECCLESIÆ *Catholicæ.*

ECCLESIA Christi non solùm voce vtitur ad Deum laudandum, sed etiam externis cerimoniis, quarũ multæ ab Apostolis acceptæ sunt, vt docet B. Basilius; aliquæ à posteris vtiliter adiectæ. Cùm enim cerimonia sit externa actio, effectum nullum externum producens; adhibetur tamen ad effectus spitituales, cosq. multiplices. Nam *primò* cerimoniis protestamur fidem nostram, vt fit, dum in supplicatione crucem, & Eucharistiæ Sacramentum tanquam Christiani sequimur: dum Sacramenta in Romana Ecclesia suscipimus: dũ Missæ sacrificium audimus: dum imagines Sanctorum honoramus, dum Rosarium gestamus, &c. His enim externis signis declaramus, nos Christianos, Catholicos, seruos Christi, cultores beatissimę Virginis, aliorumque Sanctorum, &c.

2. Cerimoniis docemur ea, quæ Spiritus sanctus in anima operatur. Cũ enim corpus abluitur

luitur aqua Baptismi, discimus animã ab omni sorde peccati purgari : quando corpus speciebus panis in Eucharistia reficitur, intelligimus etiam animam ipsam cælesti pane nutriri: quando frons ab Episcopo Chrismate sacro inungitur, declaratur nobis animam interius spirituali vnguento confirmari: atque ita de reliquis Sacramentis.

3. Admonemur eorum, quæ nos pro officij nostri ratione agere debemus. Veluti Sacerdos tonsurã gestans, monetur primò, animum ad superiora sic intentum habere, sicut vertex capitis nudatus est & rasus: secundò, superflua hæc terrena omnia contemnere, atq. ex animo abiicere, sicut capilli, (qui superfluitatem significant) resecti sunt & rasi: tertiò, dominari sibi, passionibusq. suis, adeoq. vniuerso mundo, cui tanquam Rex spiritualis præpositus est, accepto in capite diademate, vt loco Christi peccata dimittat vel retineat, populũ doceat & instruat: immo Reges ipsos & Principes officij sui moneat & reprehendat. Idem sacerdos foris vtens pulla veste, in templis autem candida, monetur foris cũ populis agens, ridere & rideri (vt ait D. Hieronymus) sæcularibus relinquere, sed aliorum peccata lugere: in templis autem non modo puritatẽ & candorem animi adferre, verum etiam gaudium atq. lętitiam spiritualem, internamq. Spiritus consolationem sacris rebus adhibere, atq. ex iis percipere. Præterea, is qui orat, dum pectus tundit, dum manus coniungit & eleuat, dum humi

Hier. 1.

Ad Demetriadẽ.

humi procumbit, monetur quo animo in oratione esse debeat, nempe cõtrito, collecto, elevato ad Deum, & humili atque demisso, &c.

4. Magnam habent mouendi vim cerimoniæ Ecclesiæ. Quis enim Christianus nõ excitetur ad deuotionem, quando festis solemnioribus audit sonorũ pulsum campanarum, cantumq. suauem Ecclesiæ, videt totum templum illustratũ luminibus, vestitum tapetibus, ornatum picturis, aliaq. preciosa supellectili? Aspicit deniq. cerimonias Missæ, deuotionem celebrantium, grauitatem & habitum ministrorum? Meritò existimare potest homo, eo tempore cælum aperiri (ait D. Chrysostomus) & se cum cælestibus conuersari. Sicut enim milites sonitu tubarum excitantur ad bellum: & sicut is, qui regẽ conspicit à nobilibus præstantibusq. viris regio more coli & honore affici, permouetur ad eiusdem admirationem & venerationem: Ita homo fidelis mirum in modum cõmouetur sacris cerimoniis, & accenditur amore cælestium rerum. *Hom. 61. ad pop. Ant.*

5. Cerimoniæ, quando debitè, atque vt par est, adhibentur, solent in animis efficere gratiam spiritualem, & auxilium cæleste, non tamen vno omnes modo. Primò enim quædam ex institutione Dei producunt gratiam, vt septem Ecclesiæ Sacramenta. Secũdò, quædam ob preces Ecclesiæ, quæ à Christo sponso semper exaudiũtur. Sic aquæ benedictæ aspersio, vim habet, vti postea dicemus; & cærimoniæ, quæ in Sacramentorum administratione adhiberi

hiberi solent, quas Theologi Sacramẽtales, aut Sacramentalia nominant. Tertiò, quædã ob deuotionem eorum, qui cerimoniis vtuntur prosunt, veluti, manus in cælum attollere, pectus cum dolore peccatorum tundere, tres cereos in honorem Sanctissimæ Trinitatis accendere, &c. Tales enim externæ actiones, quando ad Dei gloriam referuntur, non possunt ingratæ esse diuinis oculis, sed frequẽter efficiunt, vt homo voti sui compos reddatur. Quartò, quædam, authoritate Ecclesiæ à Deo concessa, spirituales quosdam effectus operantur: vt, exorcismi, & exsufflationes Catechumenorum, Energumenorum. In his enim Sacerdos, pro potestate sibi collata, aduersus Dæmones agit.

CAPVT II.

DE MODO FORMANDI *signum sanctæ crucis.*

FORMATIO sanctæ crucis, antiquissima est cerimonia, ab Apostolis tradita, & in veteri etiam testamento præsignificata & figurata, [a] eleuatione manuum Moysis contra Amalech, vt ait D. [b] Cyprianus: serpente [c] æneo, vt testis est ipsemet Christus: & signo Tau in frontibus dolentiũ atque gementium, sicut ante D. Hieronymum testantur [d] Cyprianus & [e] Origenes. Propterea à indigne plerique hodie rem tam antiquam, & ab vniuersa Ecclesia vsurpatam, tanquam [f] inimici Crucis Christi, reprehendunt & reiiciunt, aper-

a Exo. 17.
b Lib. de exhortat. marty. ca. 8. & li. 2. ad Quiri. ca. 21.
c Nu. 21. Ioan. 3. Ezech. 9.
d Lib. 2. ad Quiri. cap. 21.
e Hom. 8. in diuer.
f Phil. 3.

apertè se ministros declarantes eius, qui (vt ait beatus Ignatius) hoc semper per omnes hæreticos molitur, vt crucis Dominicæ memoria aboliatur. Rectius illi agunt, qui in alio nullo gloriari quærunt, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, cõantes comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum eius. Hanc enim Diui Pauli sententiam veteres plerique; vt [a]Cyprianus, [b]Gregorius Nissenus, & [c] Augustinus, de mysteriis sanctissimæ crucis intelligũt. Quia in hoc signo crucis, Beati Apostoli nobis breuiter comprehenderunt præcipua religionis nostrę capita, ad quę credenda, & apertè cognoscenda, Christiani omnes obligantur: vt sunt, sanctissima Trinitas, incarnatio, & passio Christi, remissio peccatorum, denique gloria cælestis. Quæ omnia tametsi disertè in Symbolo suo explicuissent, voluerunt tamen eadem sub compendio in hoc signo crucis comprehendi: partim propter rudiores, qui tardius memoriæ Symboli verba mandant: partim vt Christiani sæpius sibi eadem illa omnia ob oculos ponerent, & quasi continuò mente versarẽt: partim vt in actionibus omnibus suis, eorundem virtute se consolarentur, negocia aggrederẽtur, Dæmonem profligarent.

Epist. 6. ad Philippenses.

Galat. 6.

Ephes. 3.

[a] *Serm. de Passione Domini.*

[b] *Cateche. ca. 32.*

[c] *Epist. 112. c. 13. & Epist. 120. c. 16*

Nam quod ad sanctissimam Trinitatem attiner, verba ipsa nobis illam expressè declarant, dum dicimus: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In nomine, non in nomini-

Vide Innocentium 3.lib.2. de Altaris sacrificio.cap.44

minibus: quia vnum est trium Personarũ nomen, hoc est, virtus, honor, maiestas. Proprietates Personarũ in signo ipso indicantur, dum Pater in frõte tanquã Trinitatis principium collocatur, & qui in has terras à nemine vnquam sit missus: Filius in ventre, vt qui ex sinu Patris in ventrem virginis descenderit, adeoq. in ventre ipso terræ, corpore sepultus, anima apud inferos, patres liberaturus. Spiritus sanctus, tertia in diuinis persona, tertio loco nominatur, sed inter Patrem & Filium medius ponitur, tanquã vtriusq. amor & nexus.

Incarnationis mysterium in eo significatur, quòd Filius per mediũ Spiritus sancti locum ad ventrem collocatur, nempe qui ex cælis per Spiritum sanctum delapsus, hoc est, sola sua charitate, non nostris vllis meritis prouocatus, in vtero virginis Matris, ex purissimis eius sanguinibus corpus sibi aptauit.

Passio autem Dominica, cruce nõ obscurè intelligi potest: quæ crux vel tota manu, hoc est, quinq. digitis, ad quinque vulnera significanda, formari solet: vel tribus, hoc est, pollice, indice & medio. Quia in hac passione, Christi quidem humanitas sola sustinuit, sed

Rom.8. tota Trinitas operata est: Pater, qui Filio suo

Tit.2. non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Filius, qui dedit semetipsum pro nobis: vt nos redimeret ab omni iniquitate.

1.Ioan.4. Spiritus sanctus, *quia in hoc apparuit charitas Dei, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus.* Deniq. duobus digitis, indice & medio; ob duas natu-

naturas, diuinam & humanam in vnica Christi persona; quæ Christi persona sic dolores sustinuit & mortem, vt licet sola humana natura dolores perceperit, & mortem gustauerit, dicatur tamen etiam Deus passus & mortuus; propter mirã vtriusq. naturæ in eadem persona coniunctionem. Monophysitæ hæretici (vt refert Nicephorus) quòd crederent vnicam in Christo naturam, vno etiam digito docebant formandum crucis signum. *Lib. 8. ca. 53.*

Cæterùm Remissio peccatorum & gloria cælestis indicatur, quando non à dextero humero in sinistrũ; sed contrà à sinistro in dextrum manus transfertur. Qui enim eramus cum hædis ad latus sinistrum, peccatorũ sordibus fœtentes; Dominica cruce & passione trãspositi sumus ad dexterum latus cum ouibus, reconciliati æterno patri, accepta remissione peccatorum, & pignore seu arrha regni cælesti. *Matt. 25* *Ephes. 1.*

CAPVT III.

DE VTILITATE FORMATIONIS *Crucis.*

HOc signum Crucis, præter significationem iam dictam, & mysterium fidei, magnas præterea habet vtilitates. Est enim 1, Christianorum sancta oratio, qua Deum, sese signantes precantur, vt in actionibus omnibus auxiliũ eis suum præstare velit, non secus atque si dicerent: Domine, rogamus te, per maiestatem Sanctissimæ Trinita-

tis, per Christi incarnationem, passionem, & mortẽ, per omnia beneficia, quæ merito passionis Domini accepimus, vt in his, quæ aggressuri sumus, fauorẽ tuum nobis exhibeas. Quæ sane oratio tanto est efficacior, quanto maiora sunt illa, per quæ fit obsecratio.

2. Est oblatio, qua nos, nostraq. omnia, hoc signo crucis Deo offerimus, iuxta admonitionem B. Pauli: *Omne quodcunq. facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* & alibi: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriã Dei facite.* Itaq. formando signum crucis, dicere, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, idem valet, atque: Hæc omnia, quæ modò facturus sum, cedant ad gloriã Sanctissimæ Trinitatis, in gratiarũ actionẽ, pro Christi incarnatione, passione & morte, omnibusque beneficiis per eum collatis & conferendis. Hinc est, quòd Christiani ciuitates suas, publicas vias, & terminos, maximè verò domicilia, & loca Deo consecrata, hoc signo crucis munire consueuerint: ad declarandum & profitendum, in his locis quæcumque agantur, non nisi ad Dei Domini nostri honorẽ agi debere, vtpote cui⁹ cultui, obsequio, & nomini sunt deputata. Hoc olim prędixit Esaias: *In die illa erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminũ eius, & erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.* hoc est, Tẽporibus Messiæ, erigentur Altaria in Ecclesiis Aegyptiorum,

Coloss. 3.

1. Cor. 10.

Esa. 19. 12.

rum, aliorumque Gentilium, qui nunc more Aegyptiorum persequuntur populum Dei; & cruces constituentur in viis & finibus eorum, ad palam omnibus significandum, Deum verum & Christum eius, in locis illis coli.

3. Est coniuratio quædã Dæmonis, ad eum depellendũ, eiusq. vires frangendas: quasi dicatur: Per virtutem sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, passionis, mortis, omniumq. meritorum Christi, adiuro te Sathan, ne mihi in vllo noceas. Sic docet B. Chrysostomus: Signũ crucis imprimendum pectori, ad cohibendos prauos cordis & concupiscentiarũ motus. Ita veteres sancti, Antonius, Hilarion, Iosaphat, cæteriq. omnes, hoc signo crucis aduersus Dæmones vti solebant. quemadmodum in eorum historiis scriptum reliquerunt Athanasius, Hieronymus, Damascenus, Theodoretus, Gregorius Turonensis, & quotquot de vita Sanctorum aliquid ediderunt. D. Augustinus fatetur, hoc signo frequenter morbos curatos, Eusebius Cæsariensis author est, Constantinum hoc crucis signo, quod ei in aëre subinde cum hac inscriptione apparuit, IN HOC VINCES, hostes omnes profligasse. Atq. hæc res olim tam aperta per vniuersum orbem fuit, vt etiam ipsimet Ethnici, inimici crucis Christi, multum præsidij tum aduersus Dæmones, tum ad alias necessitates in signo crucis ponerent. Sicut de Apostata Iuliano Augusto refert D. Gregorius Nazianzenus, qui ab impiis idolorum sacerdotibus, ad Dæmones

Hom. 88. in Matt.

Lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 8.

Lib. 1. de vita Constantini, cap. 22.

Oratione in Iulianũ.

consulendos, in specum malignis spiritibus refertã adductus, horrore perculsus, pro Christiana consuetudine, quam in Ecclesia didicerat, signo crucis se muniens, dæmones omnes fugauit. Narrat Zonaras, circa annũ Domini 596. Turcas, dum graui fame premerẽtur, à quodam Christiano edoctos, signũ crucis sibi impressisse, eorumque neminem fame periisse.

Libro 3. Annaliũ, in Mauritio.

4. Hac crucis formatione excitatur spes nostra, & fiducia in Deum, de obtinenda remissione peccatorum, aliisq. bonis. Hinc est, quòd in templis & altaribus cruces erigãtur, vt sciamus per crucifixum omnia petenda & impetranda. Hinc etiam in Sacramentis omnibus cruces adhibentur, nec sine cruce (ait D. Augustinus) quicquam sanctificatur: vt intelligamus, omnia nobis per crucẽ donata & impetrata, quæcunq. à Deo donantur. Hinc rursus in turribus Ecclesiarum, crux gestans gallum gallinaceũ collocatur, vt peccatores, dum eminus crucem vident & gallũ, memores peccati & pœnitẽtię Petri, & venię per crucẽ obtentæ, excitentur ad similem pœnitentiam, & in spem erigantur impetrandæ gratiæ. Denique morituris exhibetur crux Domini, vt de suis meritis diffisi, eo potissimùm tempore, quo grauius à dæmone ad desperationem tẽtantur, spem omnẽ suam reponant in crucifixo, hoc sæpius repetẽtes: Christo cõfixus sum cruci, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: eiusque passione, sanguine & morte oran-

In Liturgia Chry. Ser 19. de sanctis.

Gal. 2.

orantes iuuari, & peccatorum omnium remissionem accipere.

5. Excitatur in nobis charitas, dum per hoc signum renouatur in animis nostris memoria passionis Christi; hoc est, tam eximium & immensum beneficiū, vt cōprehendi à creatura nulla possit. Ita B. Paulus totus in amorem crucifixi raptus, non existimabat se aliquid scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. *Mihi autem absit* (inquit) *gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: nempe, quia amoris crucifixi recordatione, vilescebat ei quicquid mundus amat & quærit. 1. *Cor.* 2. *Gal.* 6.

6. Excitamur ad imitationē crucifixi, iuxta Apostoli admonitionem, *Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, vt ne fatigemini animis vestris.* Proinde in Sacramento Baptismi frequēter signum crucis imprimitur, vt qui sunt Christi, carnem suam crucifigant cum vitiis, & concupiscentiis: & in Sacramento Ordinis (vt ait B. Dionysius Areopagita) Presbyteris & Diaconis formatur crucis signū, quo sciant se sacris ordinibus initiari, vt exemplo Domini sui, bona multa faciant, & mala multa patiantur. Denique eadem de causa in publicis supplicationibus (sicut superius dictum est) crux Christi præfertur, vt recordentur Christiani, se sub crucis vexillo, Imperatori crucifixo militare, vitáque & moribus debere hanc crucem profiteri & exprimere. Et sacerdotes *Heb.* 12. *Gal.* 5. *Cap.* 5. *Eccles. Hierar.*

ex officio prædicatores crucis, in pileo crucem gerunt, vt nulla re, nisi cruce tegantur & muniantur: His enim crux esse debet pro galea in certamine; pro vmbraculo in æstu tẽtationum; pro signo militari in hac militia vitę humanę; pro vexillo quod ipsi tanquam Duces præferant cæteris Christianis.

Cæterùm quã fuerit vsitata Veteribus formatio crucis, quantaq. deuotione Christiani etiamnum eam vsurpare deberent, docẽt omnium Veterum scripta, ex quibus pauca subiiciemus. Tertullianus lib. de corona militis: Ad omnem progressum atq. promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq. nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

Ephrem Edissenus lib. de pœnitẽtia cap. 3. Nos, fratres, postes nostros preciosa cruce & viuifica coronemus; dicentes cum Apostolo: Gal. 3. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Pingamus in ianuis atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atq. in mẽbris omnibus viuificum signũ: armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæreseon, Dæmonum expultrix, Monachorũ adminiculum, firmamentum fidei, magna salutarisq. custodia, & gloria perpetua Orthodoxorum in æternum. Hãc, ô Christiane, armaturam diebus singulis & noctibus, horis atq. mo-

momentis, in omni loco circumferre non desinas, nihilq. sine ipsa perficias; sed siue dormias, siue iter agas, siue euigiles, siue operi insistas, siue mãduces, siue bibas, siue maria naui ges, siue transmittas flumina, hac te iorica circumtege, membráq. tua omnia salutari signo exorna atq. circumcinge, ne qua excedãt ad te mala. Hoc enim signo conspecto, aduersariæ potestates conterritæ trementésq. recedunt. D. Hieronymus ad Eustochiũ: Ad omnem actum, ad omnẽ incessum, manus pingat crucem. D. Augustinus in Psalmum 73. Iã in frontibus Regum precio sius est signum crucis, quàm gemma diadematis. Idem in Psalmum 36. versu, *Quoniam brachia peccatorum conterentur*; ait: A locis suppliciorum, fecit transitum ad frontes Imperatorum Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid seruat fidelibus suis? Prudentius in hymno ante somnum:

Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis,
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo,
Mens fluctuare nescit.

CAPVT IIII.
DE CERIMONIIS BAPTISMI.

PRAECIPVAE quidē cerimoniæ, quibus Ecclesia Romana in Sacramento Baptismi vti cōsueuit, ab ipsis Apostolis venerunt, vt testis est B. Dionysius Areopagita. Posteri tamen nonnullas vtiliter adiecerunt, vt plenius hominibus per externa signa indicarentur, tam ea, quæ Spiritus sanctus in animis operatur, quàm ea, ad quæ nos obligamur. Ad hæc enim duo, referuntur cerimoniæ omnes istæ, nimirum ad significādos Baptismi effectus, & nostram obligationem nobis declarandam. De quibus multa, eaque præclara ante septingētos annos Rabanus Maurus scripsit: & nos tum ex ipso, tum ex aliis nonnullis pauca etiam adferemus.

Cap. 2. Eccles. Hierar.

Lib. 1. instit. cleri. cap. 27.

Ante omnia igitur, Baptismi materia, hoc est, aqua, ex Apostolorum institutione consecrari solet, vt aiunt [a] B. Dionysius Areopagita, [b] D. Basilius, & [c] D. Augustinus, infuso sacro vnguento: ad significandū, his aquis conferendam gratiā Spiritus sancti, ad peccatorū ablutionem. Imponitur iisdem aquis cereus Paschalis, qui significat Christum, post passionem suam, nouo lumine, & glorioso corpore rediuiuum, quinq. splēdida vulnera, ceu quinque odoriferi thuris globulos gestantē. Quia per eius passionem, mortē & resurrectionem, potestas abluendi sordes peccatorum, est aquis concessa. Cæterùm bis quotānis hic fons Baptismi

a *Cap. 2. Eccles. Hierar.*
b *Lib. de Spiritu sancto, cap. 25.*
c *Tractat. 118. in Ioan.*

ptiſmi conſecratur: pridie Paſchæ & Pentecoſtes (qui dies olim baptizandis Catechumenis deputati erant) quia Chriſti mors & reſurrectio & Spiritus ſancti gratia in Baptiſmo operantur.

Quod verò attinet ad ritum Baptiſmi: primò defertur baptizandus ad fores Eccleſiæ: quia in domum Dei non meretur ingredi, qui peccatorum ſordibus eſt conſpurcatus. *Domum enim Dei decet ſanctitudo, in longitudinem dierum.* Pſal. 92. Atque hoc loco catechizatur & exorcizatur; hoc eſt, proponitur ei fides Eccleſiæ Catholicæ, vt ſciat quid ſit in poſterum credendum: & variis orationibus adiuratur dæmon, adhibita etiam lectione Euangelij, & exufflatione, per quam depellitur Diaboli poteſtas inimica (ait D. Auguſtinus) qui hactenus infidelem poſſedit. Lib. 1. de ſymb. cap. 1. Deinde imprimitur crucis ſignũ fronti, pectori, oculis, auribus, aliiſq. ſenſibus: vt ſciat primò, Sacramento Baptiſmi in animam imprimi ſignum Chriſti, hoc eſt, characterẽ indelebilem, quo etiã in die iudicij fuiſſe Chriſtianus agnoſcetur. Secundò, aperiri ſenſus omnes, ad agnoſcendum verum Deũ & Dominum Ieſum Chriſtum. Tertiò, omnibus ſenſibus & potentiis, Chriſti fidem & Catholicam religionẽ eſſe palam profitendã. Quartò, Chriſtiano homini eſſe non dæmonis, ſed Chriſti crucem ferendam. Chriſtianam enim vitam non eſſe deliciis plenam, ſed laboriоſam: ac proinde non eſſe mirandum Chriſtiano, ſi in hac vita multa triſtia & aduerſa patiatur:

tur: quòd ista sit vocatio nostra. Quintò; corpus ipsum effici habitaculum Spiritus sancti: quia ex signo externo præfixo domui cognoscitur, quis in ea habitet, & quid operis in ea agatur. Postea datur degustādum sal benedictum: ad significandum Primò: quod à putredine & fœtore peccatorum omnium liberetur, vt à vermibus peccatorum vltra nō putrefiat, sed magis illæsus seruetur, ad maiorē gratiam percipiendam. Secundò, quòd ipsi gustus detur rerū spiritualium, ne illa post hac insipida sint ei, quæ in Ecclesia traduntur; sed potius delectetur, videat & gustet, quàm suauis sit Dominus. Tertiò, quòd veram accipiat & diuinam sapientiam, in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudēter, temerè aut irreligiosè agat. Sal sapientiæ (ait Beda) quo initiātur Catechumeni, in cunctis operū nostrorum sacrificiis offerre iubemur. Quartò, quòd per gratiā Baptismi, etiā corpus ipsum liberabitur aliquando ab omni corruptione.

Concil. 3. Carthag. cap. 1.

Lib. 2. in 1. Esdræ, cap. 7.

2. His peractis, inducitur baptizandus in Ecclesiam, vbi initio tangūtur à Sacerdote nares & aures saliua, prolatis Christi verbis, quibus aures & linguā surdi & muti tangens vius est, Epheta, quod est, aperire: tali contactu significādo, Primò: quòd iam verum ac viuum efficiatur Christi membrū, cū reliquo corpore capiti adhærens. Secundò: quòd aures interne aperiantur, ne ad diuinas promissiones, cōminationes, aut admonitiones obsurdescat, sed facilè intelligat vocē Domini & Pastoris sui, iura

Marc. 7.

Amb. lib. 1. de sacra. ca. 1.

iuxta illud, *Oues meæ vocem meã audiunt:* vt noſ- *Ioan. 10.*
rit diſcernere vocẽ paſtoris à voce alienorum, & Spiritum Chriſti à ſpiritu pſeudoprophetarum: atq. vt audiat mandata Domini ſui, eaq. in intimo cordis reponat. Nares etiam tinguntur, vt aperiãtur ad percipiendum odorem notitiæ Dei; vt ex creaturis non fœtorem & noxium odorẽ hauriat, ſed ſuauẽ & ſalutarem animæ; hoc eſt, vt Deum in omnibus creaturis agnoſcat, illis non nimis adhęreat, illas nõ admiretur, vel magni faciat, ſed pro creaturis, rebus caducis & perituris habeat: in qua re ſita eſt vera & Chriſtiana ſcientia. Tertiò; quòd ſicut Chriſtus cæcum illum à natiuitate, luto ex ſaliua oculis impoſito, ad aquas Siloë abluendum miſit: ita baptizandus, ſordibus peccatorum infectus & conſpurcatus, ad Baptiſmum lauandus mittatur. Poſtea ſequitur abrenũciatio, de qua B. Hieronymus: In myſteriis (inquit) primùm renũtiamus ei, qui in occidente eſt, nobiſq. moritur cũ peccatis, & ſic verſi ad orientem pactum inimus cum ſole iuſtitiæ, & ei ſeruituros nos eſſe promittimus. Et B. Auguſtinus; Renunciemus Diabolo, angelis, & pompis eius. Hoc audiſtis, hoc & vos profeſſi iſtis, renunciare vos Diabolo, angelis, & pompis eius. Videte, dilectiſſimi, quia hanc profeſſionem veſtram in Curiã profertis angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, ſed à ſuperiore cælitus poteſtate. In die baptiſmatis, ait B. Gregorius, omnibus nos antiqui hoſtis

Ioan. 9.

In Amos 6.

Lib. 2. de ſymb. ad cate. c. 1.

Hom. 20. in Euan.

stis operibus atq. omnibus pompis abrenunciare promisimus. Itaq. vnusquisq. vestrũ ad considerationẽ suã mentis oculos reducat, & si seruat post Baptismũ, quod ante Baptismũ spopõdit, certus iam quia fidelis est, gaudeat. Et D. Ambrosius: Quando te interrogauit Presbyter: Abrenuncias diabolo & operibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias, teneris adstrictus, & reluctantẽ te fœnerator adstringit, atq. illic tua cautione conuinceris: vbi promiseris cõsidera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi, vidisti illũ ante altaria ministrare. Ergo chirographũ tuum tenetur non in terra, sed in cælo. Ista renũciatio ob id ab omnibus catechumenis ante Baptismum instituitur, vt sciant Christiani, non esse solorum Monachorum aut Religiosorum renunciare sæculo, sed hanc esse omniũ Christianorum professionẽ, vt non sint de hoc mũdo, sicut & Christus non fuit ex hoc mundo: vt deserant & oderint mundũ, atq. omnia quę in mundo sunt; vt cor sursum habeant ad Dominũ, expectantes beatã spem & aduentũ gloriæ magni Dei. Atq. hanc professionẽ tã esse propriam & intimã Christianis, vt qui eam negligit, non minus censeatur reus, quã religiosus violãs professionẽ suam. Deinde vngitur oleo sa-

Lib. 1. de Sacram. cap. 2.

Ioan. 17.

1. Ioan. 2.

Tit. 2.

sanctificato in pectore & scapulis: 1, Vt sciat, se quasi Christi athletã (ait Ambrosius) quasi luctamen huius sæculi luctaturum: solẽt enim luctantes inungi. 2, Vt nullæ reliquiæ latentis inimici (inquit Rabanus) in eo resideant. penetrans quippe oleũ, significat etiam interiora quæq. curari. 3, Vt sciamus, Baptismi gratiam non nostris meritis; sed Christi beneficio & gratuita misericordia donari, quæ per oleum significatur, iuxta illud Psalmistæ. *Impinguasti in oleo caput meum.* 4, Quia oleum est medicamenti species (siquidem Samaritanus infudit in vulnera oleum & vinum) per hanc vnctionem significatur, interna vulnera animæ nostræ, hoc est, passiones, & noxias infirmitates hac medicina curari; somitemq. ipsum, quantumuis non omnino extinguatur, at certè debilitari & frangi: viresque & robur spirituale nobis addit, tentationes omnes dæmonis & carnis repellẽdi, iuxta illud: *Peccatum vobis non dominabitur: quia non estis sub lege, sed sub gratia.* Qua de re pulchre [a] Lactantius Firmianus, [b] Cyprianus, & [c] Augustinus, qui huius rei experientiam mirabilem tum in seipsis, tum in aliis referunt. Olim quidem (vt testis est B. [d] Dionysius Areopagita) inungi solebat totum hominis corpus: nunc autem solum pectus cum scapulis. Pectus quidem: vt intelligamus, mentem ipsam seu cor diuina virtute corroborari: Scapulæ verò: quia datur homini robur, ad iugum Christi ferendũ. Antè inungitur & retrò: vt vndique muniatur & confirmetur,

Lib. 1. de Sacram. cap. 2. *Lib. 1. instit. cler. cap. 27.* *Psal. 22.* *Luc. 10.* *Rom. 6.*

a *Lib. 3. diuin. Instit. ca. 26*

b *Lib. 2. epist. 2.*

c *Lib. 4. confess. cap. 4. & lib. 9. ca. 1. 4. & 6*

d *Cap. 2. Eccles. Hier.*

Mar. 16. metur, ad opera bona præstanda, corde & corpore, voluntate & opere.

In Clement. de summa Tri. & fid. Catho. cap. 1. 3. Venitur ad fontē Baptismi, quo in loco examinatur catechumenus de fide orthodoxa, trina interrogatione, iuxta tres in diuinitate personas. Vt sciat, Primò: sine recta fide Baptismum nihil prodesse. Nam qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Secundò: hoc Baptismi Sacramentū sic esse & dici Sacramentum fidei, vt per illud infantibus virtus fidei infundatur, & adultorum fides gratia Dei illustretur, formetur, & in virtute perficiatur. Vbi vel adultus per se, vel susceptores pro infante tertio respōderint, Credo: vt multiplicem lapsum (inquit Ambrosius) superioris ætatis absoluat trina confessio: & item sacerdoti interroganti, Vis baptizari? responderint, Volo; confertur Baptismi Sacramētū, corpus abluēdo, & cor ipsum purgādo ab omni peccato, lauacro aquæ, in verbo vitæ, inuocato nomine sanctæ Trinitatis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Post quam ablutionē, (in qua consistit ratio huius sacramēti) inungitur à Presbytero in vertice sacro chrismate, hac oratione, quam ad verbum recitat D. Ambrosius: Deus Pater omnipotēs, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, conceſſitq. tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam. Idq. ex ordinatione B. Syluestri, vt ait Rabanus: tum vt Christianus sciat, se Spiritus sancti gratiā in

Lib. 2. de Sacram. cap. 7.

Ephes. 5.

in hoc fonte accepisse, qui columbæ specie in Christum Dominum baptizatum descendit; tum vt intelligat, se iam inunctū interna gratia, & externo chrismate, merito posse vocari Christianum. Deinde sacerdos baptizatū induit candida veste, vel (si infantulus est) tegit caput velo candido, his verbis: Accipe vestem candidam, sanctam & immaculatā, quā perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum, Amen. Quæ vestis significat Primò puritatem animę & iustitiam, qua anima iam ab omni sorde peccati purgata, tanquam candidissimo vestimento, induitur. Iuxta illud: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamētis vestris.* Ezech. 36 Secūdò: Libertatē Christianā, quā hoc Sacramēto sumus assequuti, erepti de tenebris carceris, & immani seruitute Diaboli. Tertiò: Lætitiam internā & gaudiū spiritus. Sicut enim vestis pulla, est signū tristitiæ; ita vestis candida significat gaudium. Quartò futurā resurrectionem, ad quam per Baptismi Sacramentū ius & pignus accepimus. Quintò: Innocentiā Christianā, (ait Rabanus) quā post ablutas veteres maculas, studio sanctæ cōuersationis immaculatam seruare debemus, ad præsentandū ante tribunal Christi. Quia talis exigetur à Christo, tam pura & nitida, tam ab omni sorde & puluere aliena, qualis data est in hoc Baptismi Sacramento. *Nihil enim coinquinatū, aut immundū in regnū illud ingredietur.* Apoc. 21.

Lib. 1. de instit. cleric. cap. 29.

Vete-

Veteres solebant totis octo diebus, à sabbatho Paschæ vsque ad sabbathum sequens post Baptismũ, cãdidis vestibus vti (vnde etiã sabbathũ & Dominica in albis nomen habẽt) ad inculcandã nobis vitę puritatẽ, quæ Christianos, pœnit tanta dona à Christo percepta, decet. Rabanus mystici illius veli candidi, quod infantibus baptizatis imponitur, etiã hanc dat significationẽ: Vt (ait) intelligãt, se diadematis Regni, & sacerdotalis dignitatis portatores, iuxta Apostolum: *Vos estis genus regale & sacerdotale, offerentes vosmetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* Nam sacerdotes in veteri testamẽto, quodam mystico velamine caput semper ornabant.

Lib. 1. de instit. cle. cap. 29.

2. Pet. 2.

Postremo omniũ, porrigitur baptizato cereus ardens, hisce verbis: Accipe lampadẽ ardentem, irreprehensibilẽ, custodi Baptismum tuũ, serua Dei mandata; vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, vna cum omnibus sanctis, in aula cælesti, habeasq. vitam æternã, & viuas in sæcula sæculorũ, Amẽ. Vade in pace, & Dominus sit tecum, Amen. Quo cereo significantur tres Theologicæ virtutes, quæ baptizato per Sacramẽtum infunduntur: fides in lumine; charitas in calore: spes in cerei recta altitudine, quæ ex imo sursum ascendit, sicut spes nostra ad cælos vsq. erigitur, & nos erigit. Cæterũ hic cereus dat gestandus manibus: quia non sufficit corde fidẽ, spẽ & charitatem retinere, nisi etiam operibus prodamus & exeramus: memores (ait Apostolus)

2. Thess. 1.

lus) operis fidei vestræ (id est operosæ fidei) & laboris charitatis, & sustinētiæ spei. Ideoq. his virtutibus instructi iubemur ire in pace, hoc est, non ociari, non quiescere, non contenti esse his, quibus donati sumus; sed operari, pro- *Rom. 6.*
gredi de virtute in virtutem, ad anteriora nos extendere, & in nouitate vitę ambulare. Et sicut nobis in Baptismo cereus datur, ita egressuris ex hac vita redditur, vt eo tempore tali signo protestemur, (quando verbis non licet) nos Christi fidē inuiolatā retinere, charitatem amplecti, & spe bona fulciri, optareque, quod in nobis est, Christo sponso nostro occurrere, cum sapientibus virginibus, gestantes lampa- *Matt. 25.*
des ardentes manibus nostris, nempe propositum firmum Deo placendi & seruiendi.

Habet porro etiam hoc antiqua Ecclesiæ consuetudo, vt in sacramēto Baptismi, nomen imponatur: quod olim in veteri lege, in circūcisione vsitatū fuit: nēpe vt mutata religione, mutetur & nomen, iuxta illud Psalmistæ, *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominū eorū per labia mea*, id est, Sicut in Ecclesiis Christianorū mutabitur ritus sacrificiorum, vt iam non offeratur aliquid cum sanguinis effusione: ita erit & mutatio nominum, vt qui prius nomina sortiebantur consentanea religioni suæ, siue Gentilismo, siue Iudaismo: nunc habeant nomina Sanctorum, qui in Ecclesia virtutibus præcelluerunt. Qua ex re discimus, cuiusmodi nomina sint baptizatis imponenda; nimirum Sanctorum nouæ *Psal. 15.*

legis, non autem Gentiliũ, aut Iudæorũ. Idq. propterea, vt taliũ vitã & mores sibi Christiani imitãdos proponãt: tũ vt patronos in cælis habeant eos, quorũ nomina gerunt in terris.

Susceptorum officiũ in Ecclesia antiquissimum, constat, ex Dionysio Areopagita, in eo fuisse, vt susceptor, quem Patrinũ vocant, susceptũ in his, quæ fidei nostræ sunt, instituat. Sicut enim in naturali ortu hominis, nemo sine parente nascitur, & natus pædagogo traditur erudiendus: ita Ecclesia, mater Christianorum, vbi Christo aliquem genuit Baptismo, sedulò curat, ne ei desit institutor aut pædagogus: & non contenta parentibus carnis, qui sæpè filios ad suam consolationem, non ad spiritualem eorum vtilitatem diligunt, iuxta sermonem Domini; *Inimici hominis, domestici eius*: prouidet eis de aliis institutoribus. Quorum officium est *primò*, pro infante ipso respondere, mundo renunciare, fidem profiteri, ita planè vt per os susceptoris infans loqui censeatur, & sese obstringere. *Secundò*, sese obligare ad institutionem infantis, ipsique Ecclesiæ testari & fide iubere, se omnem daturos operam, vt infans iste, vel etiam adultus, in his quæ sunt Christianæ religionis, erudiatur. Notanda est insignis admonitio D. Augustini: Hoc itaque admoneo, fratres dilectissimi, vt quoties Paschalis sollemnitas venit, quæcunque viri, quæcunq. mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fideiussores apud Deum extitisse, &

Cap. 2. & 7. Eccles. Hierar.

Mat. 10.

Dionys. cap. 2. Eccles. Hier.

Ser. 163. de tẽpore.

& ideo semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, vt castitatem custodiant, virginitatem vsque ad nuptias seruent, à maledicto vel periurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, &c. Similia habet sermone 215. de tempore, vbi susceptores monet, vt spirituales suos filios, Apostolorum Symbolum, & Orationem Dominicam doceant. Nam nescio (ait) qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel in Oratione Dominica parare dissimulat.

Ex his facilè colligi poterit, qui nã sint effectus, qui in anima hominis per Sacramentum Baptismi producuntur.

1 Character indelebilis imprimitur.
2 Peccata omnia qualiacunque & quantacunque dimittuntur.
3 Remittitur omnis pœna peccatis debita.
4 Pellitur ab homine Dæmon.
5 Diminuitur vis fomitis & concupiscentiæ.
6 Anima prius mortua accipit vitam.
7 Homo efficitur membrũ Ecclesiæ sub capite Christo, accipiens eundem spiritum, quem habet Christus.
8 Anima induitur interna iustitia & splendore mirabili.
9 Efficitur filius Dei, per inhabitantẽ gratiam & Spiritum sanctum.

10 Veram accipit libertatem ab omni seruitute diaboli & peccati.

11 Sensus omnes interni aperiuntur, ad cognoscendum & gustandum Deum, & res diuinas: creaturas autem æstimandas tanti, quanti sunt.

12 Infunduntur virtutes omnes Theologicæ & Morales.

13 Datur robur & auxilium ad rectè viuendum.

14 Infunditur animo interna lætitia & gaudium spiritus.

15 Datur ius ad vitam æternam & Regnum cælorum.

16 Corpus ipsum fit domicilium Spiritus sancti.

17 Corpori promittitur immortalitas, impatibilitas claritas, agilitas, aliaq. dona in resurrectione conferenda.

CAPVT V.

EXPLICATIO CERIMONIARVM *& effectuum Sacramenti Confirmationis.*

SICVT Baptismi Sacramento generatur homo per aquã & Spiritum sanctum, vt sit Christianus: ita per Sacramentum Confirmationis adolescit homo, & perficitur in virum, vt sit plenus atq. perfectus Christianus, sicut B. [a] Clemens & [b] Vrbanus loquuntur. Quia (ait [c] Melchiades) in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuisibiles hostes, & peri-

[a] *Epist. 4.*
[b] *Epist. ad omnes fideles.*
[c] *Epist. ad Episc. Hisp.*

pericula gradiendum est: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum cõfirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismũ roboramur: Spiritus sanctꝰ in Fonte plenitudinẽ tribuit ad innocentiã, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Nunquid prodest, si quisquã parentum magnam pupillo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Itaq. Paracletus regeneratis in Christo custos & consolator & tutor est.

Hoc porrò Sacramẽtũ diuersis modis Apostolorum temporibus traditum esse legimus. Nam primò in die Pẽtecostes, sine vllo hominis ministerio, per se Spiritus sanctus in Apostolos delapsus est, visibili specie linguarũ & ignis. Secundò, per solam manuũ impositionem descendit in simili forma Spiritus sanctus. Tertiò, per sacri Chrismatis vnctionem (vt author est B. Dionysius Areopagita) contulerunt hoc sacramentũ Apostoli, quos Christus (teste* S. Fabiano) docuit in vltima cœna Chrisma conficere.

Actor. 2.

Actor. 8.

Cap. 4. Eccles. Hierar.

**Epist. 2.*

In quo Sacramento ex Christi institutione & Apostolica traditione, hoc *primò* obseruatur, vt solus Episcopus sit ordinarius minister: quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per manus impositionem, Spiritũ sanctũ dederint. Cuius rei causa est: quia Confirmatio est perfectio Christiani hominis. Atqui supremæ authoritatis & potestatis est, vltimã perfectionem operi addere:

Concil. Florent.

quia in omni arte fieri videmus, vt opus, quod rudior inchoauerat, peritior perficiat. Discunt ergo ex hac re Christiani, se non paruulos esse, neq. circumferri debere omni vento doctrinæ; sed stabiles esse atque immobiles à spe Euangelij, postquam per manũ Episcopi confirmati sunt atque perfecti.

Ephes.4. Col.1.

Secũdò obseruatur, vt materia Sacramẽti, hoc est, Chrisma, Episcopali benedictione cõsecretur: Oleum (inquit B. Cyprianus) vnde baptizati vnguntur, in altari sanctificatur. Quod ex Apostolica traditione ad nos venisse docet B. Basilius, nẽpe vt significetur omnem perfectionem à Christo proficisci, cuius personam Episcopus tanquam Ecclesiæ suæ caput, expressius quàm alius priuatus Sacerdos gerit. Consecratur autẽ non quouis tempore, sed in die cœnæ Dominicæ: tum quia illo die (sicut iam dictũ est) Christus ritũ consecrationis docuit: tũ quia ex Dominica passione, quæ illa nocte initium habuit, hoc Sacramentũ, quemadmodum & alia omnia, profluxit.

Lib.1. epist.12.

Li. de Spirit. sanct. cap.27.

Tertiò, hæc materia nõ est simplex liquor, sed vnguentũ compositum atq. commixtum ex oleo oliuarum & balsamo. Oleum (inquit Concilium Florentinum) nitorem significat conscientiæ: balsamum, odorem bonæ famæ. Præterea oleum designat gratiam Spiritus sancti: balsamum, quia odoriferum, professionem fidei B. Cyprianus dicit, ob id hos duos liquores misceri, vt significetur nos reges esse & sacerdotes. Imprimitur autẽ hoc sacro vnguento

Serm. de cœna Domini.

guento fronti signum crucis, vt ne erubescamus fidem crucifixi publicè profiteri. Hic igitur significatur per Confirmationis Sacramentum: Primò, in anima Christiani hominis imprimi nouum signum seu characterem, quo post hanc vitam ab omnibus fuisse confirmatus agnoscetur. Secundò, dari copiosam Spiritus sancti gratiam, qua non solùm sine onere (inquit D. Augustinus) sed etiam cum iucunditate, legem possis implere, quæ data est Iudæis in decẽ præceptis, quæ appellantur Decalogus. Tertiò, conferri audaciam profitendi fidem, tum verbis, tum sancta vita; & robur aduersariis omnibus resistendi, partim externis, vt temporibus hæreticorum, & in simili persecutione; partim internis. Ideo (inquit author operis imperfecti in Matthæum) oleo Chrismatis vngitur, vt contra diabolum quasi spiritualis athleta luctetur. Et B. Augustinus: Ideo nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Quartò, infundi Christiano septiformem Spiritus sancti gratiam, vt ait B.[a] Clemens, & D.[b] Ambrosius: 1, donum intellectus, quo facilè apprehendat, quæ de Deo rebusq. diuinis audit: 2, donum sapientię, quo illa vera esse non solùm credat, sed spirituali etiam gustu sapiat: 3, dono sciẽtiæ, quo in creaturarũ æstimatione versetur, vt Christianum decet; nempe eas non pluris, quàm reuera mereantur, faciat, sed pro rebus caducis & perituris habeat: 4, donum cõsilij, quo actiones suas ad Dei voluntatem

Lib. de Cate. rudibus. cap. 23.

Hom. 5.

Serm. 47 de verbis Domini.

[a] *Epist. 4.*
[b] *Lib. 3. de sac. c. 2.*

perpetuò moderetur, nihilq. nisi ex dictamine spiritus, vel faciat vel loquatur: 5, donũ fortitudinis: vt sine cuiusquam vel hominis vel maligni spiritu metu, aggrediatur & perficiat, quod rectum est: & non in externis tantummodo rebus, sed etiam in passionibus internis domandis & subiiciẽdis, sese virũ strenuum præbeat: 6, donũ pietatis, vt interna deuotione, in Deũ diuinaq. omnia moueatur; Deũ vt pium patrẽ amando, res sacras venerando, proximos & creaturas omnes in Deo, & propter Deum, interno affectu diligendo: 7, Donũ timoris Domini; vt interna reuerẽtia Deũ metuat, nihil æquè ac eius offensionẽ caueat, eiũs maiestatẽ cogitans; non quidem vt seruus, sed vt verecũdus filius. Et hæc quidem dona tametsi etiam in Baptismo conferantur, plenius tamen perfectiusq. hic dantur. Nam sicut in homine perfectæ ætatis, est roboris, scientiæ, consilij, iudicij, totiusq. naturæ perfectio & plenitudo; ita hoc Sacramẽto Confirmationis datur plenitudo virtutum Spiritus. Ac proinde de Samaritanis, qui per Baptismum à Philippo diacono peccatorum remissionẽ (quæ sine gratia Spiritus sancti non accipitur) consecuti fuerant, dicitur: *Nondum enim in quenquam illorum Spiritus sanctus venerat.* Et ante Christi passionẽ, Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum glorificatus. De quo spiritu Dominus ascensurus ad cælos, dicebat: *Sedete in ciuitate, quoodusque induamini virtute ex alto: Accipietis virtutem Spiritus sancti in*

Actor.8.

Ioan.7.

Luc.24.
Actor.1.

vos,

vos, & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ: non obscurè significans vbertatem gratiæ, quę hoc sacramento accipitur.

Quartò, Episcopus manũ capiti imponit: vnde etiam à Veteribus appellatur Sacramẽtum impositionis manuum: ad significãdum: 1, Quòd peculiari modo à Deo attingamur & perfectius incorporemur, nimirum copiosius accipiẽtes de Spiritu Christi: 2, Quod digniori loco simus in Ecclesia Dei, nempe non amplius infantes & pueri, sed viri ętate prouecta, quorum est, alios in certamine iuuare. 3. Nos Spiritu sancto, tanquam manu Dei, & solidissimo scuto aduersus insultus & tela hostium protegendos. 4. Venialia peccata nobis remitti; atque etiam mortalia, si quæ occulta latent, quorum nõ succurrit memoria. Attactus enim manus, significat reconciliationem, & vnionem cum Deo.

Melchiades epist. ad Episc. Hisp. Cyp. ad Iub. Tertu. lib. de baptis. Leo Epist. 88.

Quintò, Episcopus alapam impingit, non modò vt puer susceptì istius Sacramẽti sit memor, vitæque instituendæ tanta gratia dignæ: sed etiam. 1, Vt sciat se talem iam militẽ esse constitutum, cuius pugna & victoria non in inferendis, sed in tolerandis verberibus cernatur: sicut Apostoli ibant gaudẽtes à conspectu consilij; quoniã digni habiti sunt, pro nomine Christi contumeliam pati. 2, Vt quærat non cõmoda, sed incõmoda huius vitæ: siquidem eius signum & nomen in frõte gerit, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucẽ, omni con-

Act. 5.

Heb. 12.

fusione contempta. Et sanè militum est, non in deliciis viuere, sed humi cubare, pondus armorum gestare, & mala multa ferre: 3. Vt intelligat, officij sui esse, in acie stare, ictusq. & tela obseruare, vnde veniant, vt tametsi corpus, honorē, & opes tollant vel lædant, nō tamen animam quoquo pacto offendant.

Sextò, cingitur frons velo, partim ad sacri Chrismatis reuerentiam, partim ad significādā ignominiam, quæ Christi nomine est negligenda. Christiani etenim militis est, honorem apud Deū ciuesq. cælestes ex pugna quærere, non apud mundum ex otio aut desidia. Qui namq. nouit per Spiritū sanctū, quanta sint proposita prēmia seruis ritè decertātibus; quāq. sint exigua, quę mundus hic admiratur; is maximo animo contemptum præferet honori, ignominiam gloriæ, infamiam cuiuis magno nomini.

Solet etiā in hoc Sacramento adesse susceptor, partim quia olim, quando simul eodēq. tēpore vtrumq. Sacramentū Baptismi & Cōfirmationis adultis cōuersis administrabatur, iidē vtrobiq. curā neophytorū instituendorū susciebant: partim vt sciat Christianus, ita se perfectionē per gratiā Spiritꝰ sancti assequutū, vt tñ non sibi fidat, sed aliorū profectiorū cōsilia libēter & audiat & amplectatur.

Mutatur aliquando nomen Christiani in Confirmatione, vt qui hactenus non ad normam Christi vitam instituit, iam in militiam ascriptus, depositō veteri homine, antiqua so-

cordia,

cordia, puerilibus ſtudiis, nouo poſt hac animo, nouoq. virili nomine aſſumpto, virum ſe præbeat. Nam etiam puerorũ nomina quandoq. diuerſa ſunt à nominibus virorum, dum illa ad pueritiam indicandam tenerè & diminutiuè proferuntur, hæc autẽ viriliter & grauiter, additis ſubinde epithetis honorum, pro cuiuſque dignitate.

Ex his omnibus tum Baptiſmi, tum Confirmationis cerimoniis, hoc diſcere licet, quãti momenti ſit, eſſe Chriſtianum, qui tot myſteriis, orationibus, vnctionibus, & benedictionibus initiatur, conſecratur, & perficitur: vt perpetuò meminerimus, nos diuino cultui dedicatos eſſe, & ſolenni conſecratione deputatos, longè ſacratius, quàm vel calicẽ ſacrum, vel templum, vel altare. Ac proinde frequenter cogitemus, maiorem iniuriam irrogari Deo, dum Chriſtianus ſeipſum defœdat quouis peccato mortali, quàm ſi calix, altare, vel templum materiale ſecularibus vſibus profanetur. Sæpè id cogitandũ eſſet, quod ex Hieremia in quotidiana lectione recitat Eccleſia: *Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos: ne derelinquas nos Domine Deus noſter.* Hier. 14. Et illud Apoſtoli: *Si quis tẽplum Dei violauerit, diſperdet illũ Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 1. Cor. 3. & 6.

Faci-

Facile ex prædictis videri potest, qui sint effectus huius Sacramenti, nimirum isti.

1 Imprimitur character & signum Christi in animum.

2 Remittuntur peccata leuia seu venialia.

3 Remittuntur etiam mortalia, quæ per obliuionem cõfiteri negleximus: sic tamen, vt si occurrant, postea in Cõfessione dicantur.

4 Ex infante vel puero transfertur homo in virum, in negotio religionis Christi: qui effectus est præcipuus, vnde alij omnes sequuntur.

5 Dantur plenius septẽ dona Spiritus sancti, quibus hominis animus disponitur ad percipiendum diuinos instinctus, & eis obtemperandum.

6 Virtutes Theologicæ & Morales confirmantur & augentur.

7 Instruimur armis contra dæmonem, mũdum & carnem, vt nõ erubescamus fidem profiteri, dæmonem non meruamus, resistamus hæreticis, &c.

8 Iuuamur, vt cum iucunditate præcepta & voluntatem Dei perficiamus.

9 Efficimur per gratiæ augmentum gratiores Deo.

10 Post hanc vitam accipitur maior gloria, sicut maior merces datur viris, quàm pueris.

De his effectibus sic scripsit ante 1260. annos B. Melchiades Pontifex Martyr, epistola sua

sua vnica, ad omnes Hispaniæ Episcopos. Hic si fortè illud etiam requirere velint, post passionem & resurrectionem Christi, quid Apostolis profuerit aduentus Spiritus sancti: ipse Dominus eis euidenter exponit. *Quæ dico* (inquit) *vobis, non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatẽ.* Vides, quia cùm Spiritus sanctus, infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur? Itaque ante descensionẽ Spiritus sancti, vsq. ad negationem Apostoli deterrentur. Post visitationem verò eius, vsque ad martyrium contẽptu salutis armantur. Secundum hoc per Christũ redimimur: per Spiritum verò sanctum dono sapientiæ spiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consummamur, vt illã Spiritus sancti vocem audire possimus: *Intellectũ tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris.* De Spiritu sancto accipimus, vt spirituales efficiamur: quia *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* De Spiritu sancto accipimus, vt sapiamus inter bonum malumq́ discernere, iusta diligere, iniusta respuere, vt malitiæ & superbiæ repugnemus, vt luxuriæ ac diuersis illecebris & fœdis indignisq. cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus vitæ amorem, & gloriæ ardorem, vt succensi diuinitus, erigere à terrenis mentem ad superna & diuina valeamus.

Ioan. 16.

Psal. 31.

1. Cor. 2.

CA-

CAPVT VI.

DE CERIMONIIS ET EFFectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

IN hoc mũdo Christus Dominꝰ cùm ageret, præbuit se aliquando Iudicẽ, aliquando Medicũ, & piũ Curatorem, non solùm corporum, sed etiam animarum. Iudicis officium exercuit, quando paralytico dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* & de peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Præterea, quando de templo eiiciebat vendentes & ementes: quando dirum vz, hoc est æternam damnationem comminabatur Scribis & Pharisæis: quãdo in cruce paradisum promittebat latroni, &c. Medicum se ostendit in curatione tot morborum, & consolatione tot animarum: *Venite* (ait) *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, &c.* Qualẽ autẽ se Dominus exhibuit nobis, tales voluit esse vicarios suos, nempe Apostolos & discipulos, eorumq. successores Episcopos & Presbyteros; quibus potestatem dedit remittendi peccata, & ligandi atque soluẽdi. Quia nostris Sacerdotibus (inquit D. Chrysostomus) non corporis leprã, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Et iterum: Pater omnifariam potestatem dedit Filio. Cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem, à Dei Filio illis traditam. Hos, inquam, tanta potestate præposuit Christus Ecclesiæ suæ, vt simul & Iudicis & Medici officio fungerentur.

Matth.9. *Luc.7.* *Ioan.2.* *Matt.21.* *Luc.11.* *Mat.23.* *Luc.23.* *Matt.11* *Ioan.20.* *Mat.18.* *Lib.3. de Sacerdotio.*

tur. Iudicis, in delictis inquirendis & discutiendis, in pœna imponenda, in proferenda & danda absolutionis sententia: Medici, in consulēdo, in monēdo, in remediis dandis, aliisq. præstandis, quibus peccata in posterū præcaueri possint. Iuxta hoc duplex officiū, ordinatæ & institutæ sunt huius Sacramēti cerimoniæ; maximè tamen ad officium iudicis, quod est hoc loco potissimùm & præstantissimum.

Primò itaq. pœnitens sese in terram prosternit ad pedes sacerdotis (quod etiam Apostolorum tēporibus fieri solitum, docet B. Dionysius Areopagita:) 1, vt se reum ostendat mortis æternæ, veniamq. petat: 2, ad declarandum, in hoc potissimùm Sacramento, magnam humilitatem summè necessariam esse. *Epist. 6. ad Demoph.*

Secundò, manus seruat complicatas, & oculos demissos, tū ob easdem causas, tū vt indicetur, animum hic adesse debere collectum, non vagum, sed cum Deo vnitum, tanquā in præsentia Christi. Digiti simul coniuncti & eleuati, declarant collectū esse per conscientiæ examen peccatorum omniū fasciculū, oris confessione sacerdoti offerendum, vt in rogū Dominicæ crucis proiiciatur, & igne passionis Christi comburatur. Tunditur etiam pectus initio confessionis, quando dicitur, Mea culpa, mea maxima culpa: ad significandum, 1. internum cordis dolorem de peccatis conceptum, & detestationem præteritorum malorū: 2. promptum animū, ad peccata cōmissa, iuxta arbitrium Sacerdotis punienda.

Ter-

Tertiò, Pœnitens accusator est sui, peccata omnia sua clarè & integrè proferens ore: tum quia in iudicio non profertur à Iudice sentẽtia, nisi prius reo accusato; neq. remittitur accusato delictum, nisi cõfessus malum, veniam precetur: tũ quia Medicus curare vulnera nescit, quæ ignorat, vt post patentia criminum vulnera (ait D. Chrysostomus) pœnitẽtia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur. *Hom. 10. in Matt.*

His igitur pœnitentis cerimoniis, non solùm indicantur tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio, quæ ad perfectum Sacramẽtum in pœnitente requirũtur; sed aliæ item conditiones, quibus peccata ipsa sunt recensenda: nempe integritas, ne quicquam sciẽter reticeatur: puritas ab omni mẽdacio, & simulatione: & humilitas, cum interna reuerentia in conspectu Dei. Atque ista de pœnitente.

At verò Sacerdos, 1. sedet tanquam Iudex pro tribunali: quia habemus & nos, inquit D. Gregorius Naziãzenus, tribunalia. Siquidem iudicis est sedere, ad indicandam iudicij constantiam. *Orat. ad Imp.*

2. Pro authoritate sua de peccatis inquirit, & singula examinat, tanquam habens à Christo clauẽ scientiæ, qua omnia inuestigare potest, significans tum Iudicis, tum Medici officium. Nã & Iudex inquirit, vt sciat quid puniendum sit, quid remittendũ, quo modo sententia temperanda: & Medicus, vt morbo cognito *Luc. 11.*

gnito, facilius remedia adhibeat. Partes autem tam rei, quàm infirmi sunt: purè, candidè, verè & apertè ad interrogata respondere.

3. Proferēs absolutionis sententiā, manum imponit capiti pœnitētis, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, qua peccatores per manus impositionem absolui solent & reconciliari. Hac enim cerimonia significatur: 1, peccatorē qui hactenus fuit obligatus seruituti peccati, nunc manu mitti, & libertati restitui: 2, quòd corpori Christi, tanquam viuum membrum inseratur: 3, quòd per aduentū & delapsum Spiritus sancti hęc remissio conferatur, qui reipsa per dona sua, animā hominis attingit, & mūdat, totiusq. hominis protectionē susscipit: Iuxta id quod scriptum est: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Psal. 90.

Non difficile erit ex prædictis colligere, huius Sacramenti effectus; qui sunt duplices: priores quidē ex vi Sacramenti, seu potestate clauium: posteriores verò, ex ipsa pœnitentiæ actione. Et quod ad priores attinet, cōstat hoc pœnitentiæ Sacramentū à Christo esse institutū, vt Christiani, qui per peccatū in Dei offensam incurrissent, remediū haberent, quod denuo in gratiam cum Deo redirent: hoc est quod Tertullianus ait, vt lapsis esset secunda post naufragium tabula. *Libro de pœnitent.*

Ac proinde *primus* præcipuusq. effectus est remissio peccatorum omniū, quæ post Baptismi sacramentum committi possunt, non solùm leuiū & venialiū, sed etiā grauissimorum

atque mortalium, quæ, quanta, qualia cunque, aut quotcunque ea sint: quæ simul omnia hoc sacramento delentur & condonantur.

Secundus, est restitutio eorum bonorum, quibus per peccatum priuati eramus. Siquidem peccatū mortale priuat hominem: 1, vita animæ, id est gratia Dei, per quā erat non solùm amicus, sed etiā filius Dei, vt iā neq. filius sit, neq. amicus: 2, omnibus donis Spiritus sancti: 3, omnibus virtutibus: 4, omnibus bonis operibus, quæ in statu gratiæ præstiterat, iuxta illud Prophetæ: *Cùm recesserit iustus à iustitia sua,* Ezech. 33 *omnes iustitiæ eius obliuioni tradētur.* 5, Vita æterna, quæ ipsi clauditur. Hæc omnia per sacramentum pœnitentiæ restituuntur. Nā 1, redditur gratia Dei, & iustitia interna, per quam reconciliatus & ornatus, viuat & efficiatur denuo filius Dei. 2, restituuntur omnia Spiritus sancti dona, vt rursus incipiat capere, gustare, & cum suauitate spirituali considerare cælestia, Deiq. motionibus cooperari. 3, redeunt omnes virtutes, vt cum délectatione possit rectè operari. 4, opera bona ante peccatū facta, & per peccatū mortificata, reuiuiscunt. 5, Restituitur ius ad vitam æternam & hæreditatem Dei.

Tertius, est depulsio malorū, quæ per peccatū inuecta sunt. Multa sanè mala adducit peccatum: 1, obligationē pœnæ pro accepta contra diuinā voluntatem delectatione. 2, Seruitutem, qua miserè à diabolo ita captiuus tenetur peccator, vt nō solùm nihil operari possit, quod

quod mercedem in vita æterna mereatur: (*Si enim distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeã, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ait Apostolus) sed etiã miseris modis, ad omnem ipsius nutum impellitur: sicut idem Apostolus alibi dicit: A quo captiui tenẽtur ad ipsius voluntatem. 3, Inquietudinem & vermẽ conscientiæ, continenter rodentẽ, & carnificinam internam. 4, Habitus malos & vitiosos, vehemẽtissimè hominis animũ ad mala inclinãtes. 1.Cor.13 2.Tim.2.

Hæc omnia mala per hoc Sacramẽtum auferuntur: 1, reatus pœnæ æternæ omnino & semper tollitur; sed obligatio ad pœnã temporalem tunc planè aufertur, quãdo suis omnibus partibus est absolutum pœnitẽtiæ Sacramentum: hoc est, quãdo pœnitens non solùm corde doluit, & ore confessus est, sed etiã opere satisfecit, vel quod operibus externis satisfactionis deest, hoc vel magnitudine doloris, vel alia ratione compensauit. Sed quia illa est Christianorũ tepiditas, vt pauci has tres partes perfectè adhibeant, hinc est quod rarissimè peccata dimittantur, quin pœna aliqua etiam post absolutionem subeunda maneat, quæ vel hic toleranda erit, vel in purgatoriis ignibus post hãc vitã. 2, Restituitur homo pristinæ libertati Christianæ, vt non iam ad nutum dæmonis, concupiscentiæ & mundi, sed ad voluntatẽ Dei vitam instituat, operibusq. bonis promereri possit vitã æternã. 3, Redit serenitas, pax & gaudiũ conscientiæ, sublatis anxie-

tatibus, & omnibus tricis, quibus per peccatũ implicabatur. 4, Habit⁹ omnes vitiosi tametsi non statim, sed paulatim per exercitia bonorum operum extinguantur, nõ parum tamen imminuuntur; & non ad peccatũ relinquuntur, sed ad exercitium & certamẽ, ad meritum maioris coronæ & gloriæ.

Posterioris generis effectus ex ipsa quidem actione pœnitentiæ sequuntur: confirmantur tamen & perficiuntur per gratiã Spiritus sancti, quæ virtute Sacramenti infundi solet. *Primò* itaq. vehementer iuuat confessio, ad extirpandum ex animo hominis superbiæ vitium, ex quo peccata cætera, tanquã ex fonte oriuntur, & sine quo peccata nulla committuntur. Cogitur enim homo, ex instituto huius Sacramenti, ad pedes hominis sese abiicere, cor totũ illi suum pandere, nihil peccatorũ celare, reprehensionem & pœnitentiã pro ipsius arbitrio admittere, & sententiam tanquam à iudice suscipere. Præterea, dum vitia sua expendit & peccatorum enormitatem ac multitudinẽ ob oculos ponit, suamq. inspicit malitiam, incipit sibi displicere, & minus altè quàm solebat, de seipso sentire.

Secundò, ex ipsa confessione oritur pudor & erubescentia, quæ vsq. adeò grata est Deo, vt partem habeat remissionis (ait liber de vera & falsa pœnitentia, B. Augustino adscriptus.) *Cap.* 10. In hoc enim (inquit) quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiã vincit timore offensæ, fit venia criminis. Fit enim per confessionem venia-

veniale, quod criminale erat in operatione. Hic etiam pudor facit, vt segnior sit homo ad peccandum, dum cõmittere timet, quod erubescit confiteri.

Tertiò, magna est vtilitas in admonitione Sacerdotis, per quem pœnitens 1, instituitur, vt peccatum agnoscat & discernat: quæ res est non exigui momẽti, dum quidam grauia peccata minimi æstimant, alij contrà minoribus, aut his etiam, quæ peccata non sunt, plus æquo torquentur. 2, Remedia discit vitandi peccata. 3, Monetur, vt seriò resipiscat, atq. ex animo doleat. Virtus autem Sacramenti gratiam addit & lumẽ, vt homo percipiat, sapiat, & credat, quæ à Sacerdote dicuntur. 4, Auxiliũ accipit ex pij Sacerdotis orationibus, quas pro confitente ad Deũ fundit, ex eiusq. dolore & gemitu ac lachrymis, quibus ex animo peccatori cõpatitur. Ita namq. confessarius, ad exemplũ Christi, & B. Pauli, affectus esse debet, & sese infirmis accõmodare, ad eis condolendum, eosq. dolore ac lachrymis suis, ad verum dolorem extitandos: sicut B. Ambrosium feciſſe, quando pœnitentium peccata in confessione excipiebat, auctor est B. Paulinus Episcopus Nolanus, in eius vita. Et quia tam multa pendent à Sacerdote, cui confiteris, circumspice diligentius, (ait B. Basilius) cui debeas confiteri peccatũ tuum: proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere; qui sciat infirmari cũ infirmante, flere cum flente: qui condolendi & cõpatiendi nouerit

Ioan. 11. *2. Cor. 11*

Ho. 2. in Psal. 37.

disciplinã, vt ita demũ siquid ille dixerit, qui se prius & eruditum Medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias & sequaris.

Quarto, confessio peccatorũ, ad totius Reipub. redundat vtilitatem. Sicut enim externa constituuntur iudicia & tribunalia, ad continendos homines in officio, conseruandamq. publicã pacẽ & tranquillitatẽ metu pœnarũ: ita hoc tribunal Sacramẽti pœnitentiæ est institutũ à Christo, vt metu diuino sincerè & ex animo iustitia ab omnibus conseruetur, atque colatur, peccata cohibeãtur, vnicuiq. quod suũ est restituatur, quietè viuatur, superioribus mos geratur, pauperes eleëmosynis iuuentur: quæ multo purius, solius Dei intuitu & metu fiunt, quàm timore humano.

CAPVT VII.

DE CERIMONIIS ET EFFECTIBVS *Extremæ vnctionis.*

EXTREMAE vnctionis Sacramentum ob id à Christo est relictum Ecclesiæ, vt fideles sicut in ingressu in orbem Sacramento initiantur, & admittũtur: ita in egressu Sacramento iuuẽtur & dimittãtur. Et proinde cerimoniæ omnes eò referuntur, vt infirmus iuuetur, tum ad morbum facilius tolerandum, tũ ad fœlicius ex vita migrandũ.

Primò itaque, multæ ad Deum funduntur preces pro infirmo, quibus diuinum auxilium imploratur.

Secun-

Secundò, inuocari solēt lectis Litaniis Sancti Dei omnes, tum vt in hac extrema pugna, qua Dæmon vires omnes suas exerit, infirmus eorum præsidio muniatur, & præsentia consolationem accipiat: tum vt animam eius, quando ex hoc mundo emigrabit, comitatu suo ad beatam regiam cælestem cum triumpho deducant.

Tertiò, sacro oleo oliuarum iniungūtur per signum crucis qūinq. sensuum organa, rogando vt Deus ignoscat, quicquid his sensibus commissum est mali: 1, vt intelligamus, hoc Sacramentum adhiberi per modum medicamenti, ad languorem animi curandum, sicut oleum confortat & curat debilitatē corporis: 2, quia dantur vires luctandi cum Dæmone: 3, quia gratia Spiritus sancti, quæ per oleum significari solet, confertur. Crux autē imprimitur: 1, quia hæc dona per crucis & passionis Dominicæ merita nobis concedūtur: 2, vt hoc signo in ista pugna cum Dæmone vtamur, eoq. sensus nostros, ne per eos in animam irrepat aduersarius, muniamus: 3, vt ad tribunal Christi iudicis, hoc signum crucis deferamus, quo declaremus, nos sub crucis vexillo constanter ad finem vsque mortalis vitæ depugnasse.

Effectus Sacramenti istius, qui à B. Iacobo indicantur, ex prædictis cerimoniis non difficulter colligi possunt. Sic enim ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, vngentes eū oleo in nomine* *Iacob. 5.*

mine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.

Quibus verbis significat tres effectus. Primò, *oratio fidei*, hoc est, virtus Sacramẽti, quod per orationem innixã fidei administratur, *saluabit infirmum*, hoc est, per gratiã Spiritus sancti infusam, saluabit animã, eã pulchritudine & miro splendore ornãs: vt Dæmonibus efficiatur terribilis: vt ex hac vita migrans, per media hostium agmina intrepidè transeat: vtque ad regnum cælestis gloriæ veniens, altiori loco collocetur, quàm si sine hoc Sacramento migrasset. Corpus verò aliquando sanatur, quando id ad infirmi salutem expedire videtur, & sine miraculo euidẽti fieri potest. quod S. Concilium Tridentinum his verbis dicit: Sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.

Con. Florent.

Sess. 14. cap. 2.

Secundò, *Alleuiabit eum Dominus:* Alleuiatio hæc est gratia corroborans infirmũ, ad leuius ferenda incõmoda morbi, aliaq. quæ infirmis euenire solent. Nam 1, naturaliter homo metuit mortem: 2, est timor exactissimi iudicij, cuius consideratio peccatorem in desperationem deiicere posset: 3, Dæmon acrius instat, & vehementius impugnat eo tempore, quod est vltimum sui cum homine certaminis, & prout cuiusque, longa experientia, & perspicacitate naturæ, cõditionem & ingenium didicit, variis artibus vtitur, vt hunc pusillanimitate & desperatione deiiciat, illum nimia præsum-

sumptione attollat, alium variis occupationibus distrahat, &c. 4, Morbus ipse deprimit hominem, contristat, & vehemēter affligit, vt nō libeat de Deo rebusq. cælestibus, deq. suæ animæ salute cogitare. 5, Facillimè ad impatientiam, ad querendum, ad suspicandum, aliasq. imperfectiones mouetur ægrotus, neq. valet suis passionibus, prout conueniret, resistere. Aduersus hæc omnia incommoda iuuat hoc Sacramentum, tanquam saluberrima medicina, per quam mortis & iudicij timor minuitur, Dæmonis vires per Spiritus sancti præsentiam frangantur, animus recreatur & subleuatur, atq. ad resistendū Dæmonis, mundi, & carnis tentationibus roboratur: impediuntur vitiosi habitus per gratiā Sacramenti, ne contra rectam rationem sese exerant, ne superbia, auaritia, impatientia, aliæque id genus prauæ affectiones animam hominis lædant. Deniq. confertur lętitia interna, & consolatio spiritualis, qua homo sese manibus diuinis cōmittit, & in protectione Altissimi quiescit.

Tertiò, *Si in peccatis fuerit, remittentur illi:* hoc est: 1, remittūtur peccata venialia virtute gratiæ, quæ per Sacramentū confertur. 2, si quæ sint mortalia peccata, quorum in confessione non memineramus, per hoc Sacramentū tolluntur, per quod efficitur, vt imperfectus de peccatis dolor, propter infusam gratiā & charitatem, perficiatur: 3, minuitur, & etiā quandoque tollitur pœna, quæ mortalibus peccatis debebatur. Deniq. hoc Sacramentū est protestatio

statio fidei Catholicę, in exitu vitę, declarans, quòd, sicut hactenus in militante Ecclesia homo cum iustis habuit communionẽ: ita posthac optet habere consortium cum sanctis in Eccles triumphante.

Pro Sacramento Eucharistiæ sufficiant ea quę superius de Missę Sacrificio, & de Fructibus Communionis dicta sunt.

CAPVT VIII.
DE AQVA LVSTRALI
seu benedicta.

BEATVS Alexander Pontifex martyr, qui sextus post B. Petrum Romanã rexit Ecclesiã, aquæ benedictæ vsum non tã ipse inuenit, quàm ab Apostolis traditum, obseruari ab omnibus iussit. Sic enim scribit Epistola sua prima, circa annum Domini 83. Aquam sale consperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat: quanto magis aqua, quæ sale aspersa, diuinisque precibus sacrata est, populum sanctificat atq. emũdat? Et si sale aspersо per Helizeum Prophetam, sterilitas aquæ sanata est; quanto magis diuinis precibus sacrata aqua, sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat atq. purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias Diaboli auertit, & à phantasmatum vetsutiis hominem defendit.

Leuit. 10

4. *Reg.* 2.

Quod

Quod dicit, Aquam sale cõsperſam populis benedicimus: declarat apertè, quid tẽpore ſuo in Eccleſia Romana ex Apoſtolica traditione obſeruaretur. Apoſtoli enim precationes & benedictiones inſtituerunt, quibus Diabolica poteſtas, quæ creaturas ſubinde inficit & corrumpit, ab illis eiiciatur, & per illas ab aliis depellatur. Conſtat namque, Diabolum, qui in hoc aëre noſtro verſatur, creaturis inanimis paſſim miſceri, vt propter ipſius impuritatem, non incõmodè B. Paulus dixiſſe intelligatur. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc*, nempe ob tantam impuritatem, qua præſentia & abuſu Dæmonũ inficitur. Sanctificatur autem (ait idem Apoſtolus) per verbum Dei & orationem, per quam Diabolus & quicquid Diabolicum eſt, à creatura expellitur; tum ne cuiquam in ſumptione aut vſu noceat, tum vt aſperſione & contactu ſui, curationem aliis adferat. Sic enim cõueniebat Dæmonis ſuperbiã deprimi, vt qui ſe erigere ad thronum vſq. diuinæ maieſtatis audebat, tanta arrogantia, vt neminem timeret; nunc per leuem aquæ aſperſionẽ, hoc eſt, per vile elementum, cogeretur cedere, & abiectis creaturis imbecilliorem ſe profiteri. Habet autem hoc aqua non ex ſe, ſed ex Eccleſiæ tum precibus, tum auctoritate. Si enim ſancti multi, etiam nõ Sacerdotes, precibus ſuis impetra-

Rom.8.

1.Tim.4.

petrarunt creaturis vim pellendi morbos, vt
Cap. 8. & 26. Theodoretus in Philotheo, & alij Ecclesiastici scriptores referunt: multo magis impetrant preces Ecclesiæ sponsæ Christi, super omnes sanctos dilectæ, quæ semper exauditur pro sua reuerentia, & cui data est potestas Dæmones
Luc. 10. eiiciendi, & calcandi super serpentes & scorpiones.

Cæterùm in hac aquæ benedictione, nõ incommodè miscetur sal benedictum, ad varias significationes; quas qui intelligunt, non sine reuerentia & deuotione se suaque aspergunt. Nam 1, Sal diuinam sapientiã designat, quæ in Christo humanam naturam in vnam personam assumpsit: Aqua Dominicã passionem,
Luc. 11. de qua Saluator aiebat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* 2, Sal, quo solent carnes condiri ne corrumpantur, significat incorruptionem nostram, & interitũ vermium: aqua, ablutionem & munditiam. 3, Sal discretionem, quia præbet gustũ: aqua lachrymas & pœnitentiam. Rogat igitur Ecclesia, vt per passionem veri Dei, cõcedat nobis Dominus munditiem cordis & animi; integritatem mentis, sanitatem loci, animalium, aliarumque creaturarum; & interitum seu exclusionem infernalium vermium, omniumque quæ Diabolica ars machinari ad hominis exitium potest. Que vt commodiùs fideles assequantur, petit iisdem concedi vim lachrymarũ, veramq. & discretã pœnitẽtiæ actionẽ, ex sapientia & gustu rerũ diuinarũ profectã.

Effe-

Effectus istius aquæ multi sunt & varij, vt ex prædictis B. Alexãdri verbis, & ex ritu benedictionis constat. Quidam spirituales, qui semper sequuntur, quoties qua par est demissione & deuotione aspergimur; nisi ex causa ad maiorem nostram vtilitatem Deo aliud videatur.

1. Itaque profligantur Dæmones ex locis & creaturis.
2. Remittuntur venialia peccata.
3. Phantasmata Diabolica, prauæ cogitationes, & mentis distractiónes in oratione, aliisque temporibus, excluduntur.
4. Mens à terrenis rebus colligitur.
5. Disponitur animus ad orationem & deuotionem.
6. Gratia, fauor, & præsentia sancti Spiritus impetratur.
7. Præparatur mens hominis, vt rectius diuina mysteria peragat, Sacramẽtaq. suscipiat. Valet enim hæc aquæ aspersio aduersus omne, quod Sacramentorum effectum impedire potest. Atq. ideo in altarium & templorum consecratione adhibetur, vt à locis illis omne excludatur orationis, deuotionis, & Sacramentorum impedimentum. Solet etiam ob eãdem causam, iuxta fores Ecclesiæ, in promptu semper esse aqua benedicta, vt ingressuri eius aspersione, diuinaq. gratia, Dæmonem, inanesq. cogitationes & curas excludant, atq. ad orandum deuotius se parent & colligant:

egres-

egressuri verò, aduersus omnes occurrentes peccandi occasiones sese muniant.

Alij effectus sunt corporales, qui non ratò, pro Dei voluntate & beneplacito, quando ad diuini sui nominis gloriam expedire iudicat, consequi solent. Et si iustis de causis non sequantur, non ob id tamen est inefficax Ecclesiæ oratio, vel aquæ aspersio: quia quod effectibus corporalibus negatur, hoc spiritualibus, qui præstantiores sunt, compensatur.

1. Curatur sterilitas hominum, iumentorum, humanarumque rerum.
2. Impetratur bonorum multiplicatio & vbertas.
3. Infirmitates corporum, ne inuadãt, præcauentur, & vbi occupauerint, curantur. Conceditur enim sanitas mentis & corporis.
4. Noxius aër purgatur, depellitur pestis, & omnis contagio.

Denique sic orat Ecclesia: Virtutẽ tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua, mysteriis tuis seruiens, ad abigendos Dæmones, morbosq; pellẽdos, diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedãt omnes insidiæ latẽtis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuideat, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem tui nominis expetita,

perita, ab omnibus impugnationibus sit defensa.

Conuenit porrò, vt is qui se aqua benedicta aspergit, intentionem suã cũ Ecclesiæ precibus coniungat, & cum reuerentia, internaq. deuotione hac aqua vtatur, vel dum aspergit, vel dum alia de causa sumit, cibisq. vel potibus miscet. Qui enim sine reuerentia vel deuotione id agunt, exiguam consequuntur ex eo vtilitatem.

CAPVT IX.
DE CEREIS.

QVIA cereorum in Ecclesia vsus antiquus est, & varius: ideo peculiares quędam orationes & benedictiones adhibentur, vt fideles non ex sola deuotione, sed ex solennibus etiam & publicis Ecclesiæ precibus, vtilitatem per eos consequantur.

Prudẽtius hymno in Laurentium. Ext. de celebr. Missarũ. cap. sanè, & c. fina.

Primò itaque accenduntur ad Christi Domini nostri honorem, præcipuè verò coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, à quo nunquam lumẽ abesse debet: quia ipse est lux vera, illuminans omnem hominem veniẽtem in hunc mundum. Et sicut cereus constat cera, per castas & virgineas apes producta, lychno & igne: ita Christus carne, ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis Mariæ accepta, anima & diuinitate, per quam Deus noster ignis consumens est.

Heb. 12.

Secundò, coram imaginibus, sanctorumq. reliquiis: vt significetur, sanctos, quos tali lumine

In Luminar. Sophro. cap. 180.

mine veneramur, 1, sanctitate vitæ & doctrina mundum hunc illuminasse: 2, Dæmonem superasse, ac de eodem triumphum egisse: (est enim triumphantium, luminaribus introduci:) 3, eosdem nunc in cælo glorioso lumine fulgere, sine vllis tenebris vel errorum, vel peccati.

D. Hiero. cõtra Vigilantium.

Tertiò, ad lectionẽ sacri Euangelij: 1, quia illud vniuerso orbi verum lumen diuinæ notitiæ præbuit: 2, vt quisquis Dei verbum audit, viua illud fide audiat. quia incredulis, & oculis per peccatum obtenebratis, verbũ crucis est scãdalum, quod alioquin est in salutem omni credenti.

Rom. 1.

Quartò, In processionibus præferuntur cũ crucibus lumina (vt ait B. Gregorius Turonẽsis) vt in hac militia Christiana, sub vexillo crucis, lumen fidei adhibeamus, vt ex fide, hoc est, iuxta fidei nostræ dictamen, viuamus.

In gloriã Confess. cap. 20. & 79.

Quintò, in Baptismo, sicut superius dictũ & explicatum est, cereus nobis datur, sępiusq. in vita vsurpatur, potissimũ verò in festo Purificationis, quo cerei Ecclesiæ precibus benedicuntur, palãq. à Christianis, in memoriam Christi veri luminis, ad reuelationẽ gentium, (quem Simeon vlnis suscepit) gestantur: vt lumen fidei, ardorem charitatis, rectitudinem & synceram intentionem, quam lychnus cera tectus significat, protestemur, declaremusque nos paratos, vt sponso animæ nostræ Christo, cum ardentibus lampadibus occurramus. Ita scribit Nicephorus, B. Virginem Mariam, accensis

Luc. 2.

Matt. 25

Lib. 2. ca. 21. & 22

censis cereis ex hac vita migrasse, & ad tumulum deportatam esse.

Sextò, deferũtur funera Christianorũ, cum multis luminaribus ad sepulturã, (vt est apud D. Gregorium Nazianzenum) quibus significamus: 1, eos, tanquam inuictos milites, de aduersariis triumphare: 2, nos illis optare perpetuam lucem, & gloriam sempiternam.

Oratione 2. in Iulianũ, & oratione 7. in mortem fra. Chry. Ho. 70. ad pop. Antioch.

Quæ sit igitur vtilitas cereorum in Ecclesia, facile cũ ex prædictis est intelligere, tum ex orationibus, quibus Ecclesia in eorundem benedictionibus vtitur. Orat enim Deũ, 1, Vt cerei valeant ad sanitatem animarum & corporum, terra mariq. 2, Vt de locis, vbi accensi fuerint, Dæmon, & quicquid Dæmonis ars est machinata, depellatur. 3, Vt mẽtes & corda nostra inuisibili igne, & splendore sancti Spiritus illustrentur, omniũq. peccatorũ & vitiorum cæcitate careant, vt cernere possimus, quæ Deo sunt placita, & vtilia saluti. 4, Vt ignis charitatis cum lumine fidei, in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.

Qui igitur in honorẽ Christi aut Sanctorum cereos accendunt, aut deuotè gestant, facto ipso precantur, sibi hæc omnia à Christo, qui est Deus verus, & splendor lucis æternæ, concedi, intercessione glorioſisq. & clarissimis meritis Sanctorũ: Defunctis autem quorum exequiis cereos adhibent, lucem beatam petunt & splendidissimum gloriam, in regno cælorum.

CAPVT X.

DE VSV CINERVM.

Petrus Cluniacen. lib. 2. Mira. cap. 22.

ANTIQVISSIMVS est sacrorum cinerũ vsus, non tantùm in veteri testamento, sed etiam apud Christianos in nouo, qui eos ad significandam & excitandam pœnitentiam, tum in morte, tum in vita adhibere, & capitibus aspergere solent. Nam si humilis abiectusque habitus, ex dolore assumptus, magnam habet vim, & ad producendam in hominis animo humilitatẽ, & ad prouocandam diuinam misericordiã: multò maiorem vim habebit idem habitus, si ex obedientia Ecclesiæ assumatur, quę cineribus peculiares etiam preces adiungit, quibus animi demissionem, & Dei clementiam petit. Constat enim, quòd opus ex obedientia susceptũ, plus habeat meriti apud Deũ, propter obediẽtiæ virtutem, quàm quod sponte arbitrioque nostro perficimus. Et præterea est indubitatũ, non frustra, neque sine fructu Ecclesiam suas preces fundere. Aspersio igitur cinerum, iuxta Ecclesiæ institutũ, tribus ex causis habet vtilitatẽ: 1, ex opere ipso humilitatis: 2, ex obediẽtia Ecclesiæ: 3, ex Ecclesię precib⁹. Petit enim multis orationibus in cinerum benedictione Ecclesia, vt istos salutares effectus consequantur fideles, qui sunt his cineribus vsuri.

1. Vt iuuetur homo ad internam humilitatem cordis.
2. Vt benedictio cælestis in aspersos descẽdat, qua seriò cõpungantur, & de peccatis

catis doleant; considerãtes, per peccatum hominis, & ipsam terram maledictã fuisse in opere nostro, & nos omnes in cinerem & terram redituros.

3. Vt hi cineres sint salubre remedium, ad assequendam remissionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ.
4. Vt detur corporis sanitas, ad pœnitentiã pro peccatis agendam.
5. Vt anima ipsa diuina tutela protegatur.
6. Vt illa à Domino impetremus, quæ ad ipsius voluntatem petimus.
7. Vt in bono, constanti animo perseueremus.

Neq. dubium cuiquã esse debet, quin pius Catholicus hæc bona accipiat, quando syncero animo, in capite Quadragesimæ, cineribus sacris aspergitur, seriò secũ statuens, eã Quadragesimã, in amaritudine animæ suæ ad peccatorum satisfactionem, traducere.

Quòd porro fronti ipsi signum crucis cineribus imprimatur, ad hoc fit, vt ne nos pudeat, ad amorẽ & imitationem crucifixi Dei nostri, publicè pœnitentiã agere: nos, inquam, qui puluis sumus, & in puluerem reuertemur. Sacerdotibus autẽ non frons, sed caput aspergitur: partim ad reuerentiam sacrificij, ne in eius celebratione aliquid cinerũ in altare decidat: partim, vt ipsi, qui cæteros homines dignitate, ordine, & potestate antecellunt, sciant se breui cineribus & terra tegendos.

CAPVT XI.

DE PALMARVM RAMIS.

ECCLESIA Catholica hanc seruat ab antiquis tẽporibus consuetudinẽ, vt Dominica die, quæ proximè festiuitatẽ Paschæ præcedit, palmarũ, oliuarum, similiumq. arborũ ramos, solennibus precibus benedicat, populoque Christiano gestandos, & domi ad salutares effectus conseruandos tradat. Quæ cerimonia duo, quæ circa Christi Domini personã gesta sunt, significantur. Alterũ: insignis ille ingressus in ciuitatẽ Hierusalem, hoc ipso festo Palmarũ. Alterũ: triumphus ille gloriosus, quẽ per passionẽ & mortem suam deuictis hostibus, de principe huius mundi, vniuersoq. inferno reportauit, idq. in gratiã nostri, quos non nostris meritis, sed benigna sua misericordia liberauit. Proinde rami palmarũ, victoriam atq. triumphum significant: rami autem oliuarum, misericordiam.

Cæterùm ne more veteris legis, careat suo fructu ista significatio, accedunt preces & benedictiones Ecclesię, quibus Deus rogatur, vt gestantes hos ramos

1. Accipiant protectionem mẽtis & corporis in salutis remedium, & ad gratiã diuinam obtinendam.

2. Vt, sicut rami virentibus sunt foliis: ita frondeant opera nostra virore iustitiæ, & virtutum multarum pulchritudine.

3. Vt sicut Hebręorum populus Christo his ramis occurrit, & cũ ipso in ciuitatem Hierusalem

salem intrauit: ita nos bonis operibus instructi Domino obuiam procedamus, eiusq. vestigia sequentes, per ipsum, & cum ipso in cælestem Hierusalem admittamur.

4. Vt, sicut Christus de hoste per passionem suam triūphauit: ita & nos sæpè hoc opus misericordiæ animo voluētes, amore Christi accendamur ad pugnam, & ad victoriā de Dæmone, carne & mundo referendam.

5. Vt, in quemcunq. locum importati fuerint hi rami, habitatores Dei benedictionem consequantur, & omni aduersitate fugata, dextera Dei protegantur.

Dum igitur ex mēte Ecclesiæ, deuoto animo hos ramos seruamus, gestam⁹, aut ad vsum pium adhibemus: precamur facto ipso Christum Dominum, vt per passionem & mortem suam, qua Dæmonem superauit & fregit, & per misericordiam suam immensam, qua hoc sine nostris vllis meritis egit, Dæmonē, omnemque aduersitatē à nobis, & ab ædibus nostris pellat: ne vel aëris tempestate, vel alio incommodo quocunque nobis noceat: quin potius Dei dextera nos protegat, & non solùm corpora à malis tueatur, sed animæ quoq. gratiam suam infundat, vt multis virtutibus ornati, & bonis operibus florentes, Christi vestigia sequamur, hostes nostros omnes visibiles & inuisibiles superemus, & ad gaudia cælestis Hierusalem, ab Angelis cum triumpho introducamur.

CAPVT XII.

DE AGNO DEI.

SVmmus Pontifex, Christi in terris Vicarius, primo sui pontificatus anno, & quolibet deinceps septennio, consecrare solet solẽni benedictione orbiculos quosdã cereos, quos à figura impressa vocant Agnos Dei, adhibito sacro Chrismate, multisque insignibus cerimoniis. Multa autem precatur à Deo concedi illis, qui animo deuoto hos orbiculos cõsecratos penes se habent, aut iis vtuntur terra mariue. Cuius oratio tanto maioris esse momenti debet, quanto eius officium est in Ecclesia sublimius, Christoq. cõuenientius. Vnde non rarò mirabiles effectus non sine miraculo diuino sequuntur, maximè vbi quis eximia fide & deuotione prẽditus, summi Sacerdotis benedictionem & Dei promissionẽ, quæ oranti Ecclesiæ auxiliũ addixit, intuetur. Quę autem in consecratione petuntur, sunt ista:

Primò quidem in genere, vt ab omni malo liberemur, omniq. bono fruamur. Deinde verò nominatim mala recẽsentur, à quibus nos rogat liberari: nimirũ, ab omni tẽpestate maris & terræ, à fulmine, grandine, noxiis vẽtis, pluuia, terræmotu, tonitru, peste, morbo comitiali, morte improuisa, igne, insidiis inimicorum, malorumque spirituum, denique ab omnibus aliis periculis. Additur etiam, vt parturientibus mulieribus Deus adesse dignetur, & quauis in tentatione Dæmonis, Christi fidelibus animum viresque addere, quibus intrepidè

trepidè hostes repellant ac superēt. Quia igitur experientia frequentissimè docet, ista sæpe à Deo concedi, non sunt temerè reiiciēdi, sed magna deuotione gestādi orbiculi isti, & aliis commendandi.

CAPVT XIII.

DE AGNO DEI, CARMEN *Andreæ Frusij, Societatis Iesu.*

QVID sibi vult Agni, quæ circūfertur imago
Cerea, mirificis nobilitata modis?
Haud temerè: neque enim blaterare, aut credere fas est,
Catholicis quicquam fraudis inesse sacris.
Verùm quæ species cultus? quæ caussa? quis actor?
Quæ ratio talem dat vel origo locum?
Res quia cera, parum, nimis aut obscura videtur,
Plerique hanc animo frigidiore colunt.
Diuinæ propè dant alij virtutis honorem,
Hisque superstitio forte suborta nocet.
Idolum vocat hæreticus, ridetq; fidelem:
Hic tacet ignarus, fronsq; plicata rubet.
Non bene tanta latent fidei munimina sanctæ,
Iam celebriq; rei iura sepulta silent.
Iustè ego cùm tales versarem pectore curas,
Catholica his dictis visa monere fides:
Non noua, sed nostris sæpe auribus acta querela est,
Nec de hoc duntaxat munere turba fremit.
Ecquis enim meritum retinet iam ritus honorem?
Quis nitet intacta relligione locus?
Christi etiam sanctum blasphema calumnia corpus

Vellicat, & nugas omnia sacra facit.
Sunt rursum innumeri voce, haud virtute, fideles,
Vixq; umbram fidei vel pietatis habent.
Nec mirum est omnem cultum frigescere, quando
Ipse Deus duro corde refrixit amor.
Irrita sic fieri cælestia dona necesse est,
Seu dubios ritus invalidosque putent:
Siue superstitio externis ita rebus inhærens
Fascinet, vt spernant nobile mentis opus.
Quid peccent vtrique, tibi per singula possem
Exprimere, ac vsus constabilire pios:
Verùm argumento fiet satis omnibus vno,
Si satis excussus cereus agnus erit.
Abdita nonnullos primùm quod turbat origo,
Propterea & magnum pondus habere negant:
Ponderis indicium maioris maius idipsum est,
Sanctorum ad trutinam si reuocare velis.
Quicquid enim seruat ritus Ecclesia constans,
Principium cuius nemo referre queat,
Id magis antiquum, certum, ac laudabile censent,
Tanquam à primæua relligione satum.
Hæc siquidem haud scripto, sed facto vsuq. vigebat,
Secula quod statuunt posteriora notant.
Sic consueta volunt Doctores multa vetusti,
Ex Christi ac comitum traditione vehi.
Agni huiusce refert auctorem nemo recentem:
Priscus enim priscis Patribus vsus erat.
Vnde velut de re clara nimis atque probata,
Rara per historiam mentio facta patet.
Eiusdem nec parca minus largitio facta est,
Nobilis vt merito semper honore foret.
Ante octingentos fermè Leo tertius annos,

Opti-

Optimus exhibito munere testis adest.
Carolus hoc magnus magna pietate recepit,
Thesaurum vt reputans cœlitus esse datum.
Vrbanus quintus similem pòst consecrat agnum,
Quem Byzantinus ferre Monarcha cupit.
Excipitur populi occursu cum supplice pompa,
Atque triumphantis mœnia more subit.
Rarius ergo fuit donum, vt preciosius esset,
Diuinum plusquam pontificale quod est.
Ah nimia id deinceps vilescere copia fecit:
Vulgare ac leue fit quod leue vulgus habet.
Omnibus hoc sacris, ipsi hoc commune Synaxi est:
Sic fuit Hebræis nausea, manna frequens. Num. 12.
Mentibus at rectis rerum conspecta bonarum
Copia fit pluris quo magis ampla venit.
Prima quidem ratio sacrandi antiquitus agni
Extitit, vt signum grande, potensq; foret.
Quippe vt in Hebraicis omnis quondã hostia sacris,
Christi aduentantis schema salubre fuit:
Vtq. redemptoris mores mortemque notabat Exod. 12.
Agnus, præcipui creber honore typi:
Non secus, (vmbrosum signum componere claro
Si licet) hic nobis debitus agnus erat.
Si decuit signo speratum attendere munus,
Acceptum quanto plus memorare decet?
Ignaris obscura leuem ignorantia culpam,
Notitia ingratis reddit aperta grauem.
Subsidiis nec se externis negat vllus egere
Christigena, aut hominem se simul esse neget.
Plus sensu quàm mente viget natura biformis,
Nec sine corporeo Spirituale videt.
Sopitusq. velut paulatim extinguitur ignis,

Impigra materiam det nisi sæpe manus:
Sic nisi sensilium virtute subinde iuuetur,
Emoritur vacua mente sepulta fides.
Præterea haud signis virtus erat vlla vetustis:
Vim tribuit magnam gratia iuncta nouis.
Egregiè huic igitur, quo fortius excitet illam,
Materiæ effigies sanctio, visq. datur.
Est agni effigies, quam pura & candida ceræ
Materies, nec non orbicularis habet.
Additur huic etiam mundissima lympha riganda,
Chrismatis ac oleum, balsamiusque liquor.
Sacræ idcirco rei reuerentia maior habenda est,
Nec, nisi sacrata, fas tetigisse manu.
Cera refert hominem intacta de virgine cretum,
Et quo purius est candidiusque nihil.
Sed purum ne fortè hominem tantummodo credas,
Æterni integritas numinis orbe patet.
Doctrina eius item syncera, salubris, abundans,
Apposito viuo fonte refertur aquæ.
Chrismatis est oleum, qua totum immensa perunxit
Gratia, & hinc aliis participata fuit.
Balsama significant sanctæ bene olentia vitæ
Munia, & effusam vulneris omnis opem.
Vitæ assertricem mitis notat hostia mortem,
1. Petr. 1. *Immaculatus (ait quod Petrus) agnus hic est.*
Apoc. 5. *Agnus hic est prima iam mundi ab origine cæsus:*
Mortis enim virtus tempus ad omne salit.
Genes. 4. *Agnus hic est, iustus quem primitus obtulit Abel,*
Quem longo innuerat tempore Pascha vetus.
Exod. 12. *Agnus hic est sacri celebratus nomine iugis,*
Huius & asperso tota cruore domus.
Ioan. 1. *Agnus hic est, mundi tollens peccata redempti,*

Quem

Quem digito aßignas Prodrome ſancte tuo.
Agnus hic eſt ſeptem ſignacula ſoluere dignus, Apoc. 5.
Virgineo ſuperum cinctus vbique choro.
Agnus hic eſt, cui cælituum infinita propago,
Elogium prono pectore grande canit.
Talia mille oculis myſteria ſubdit imago,
Ac tepefacta nouo corda calore replet.
Nec ſolùm hæc agni dotes & facta recenſet:
Singula, quòd vobis ſint imitanda, monet.
Fiat vt agnus, homo purus, manſuetus, & inſons,
Seq; dicet totum ſacrificetq; Deo.
Nec conſpecta monet ſolummodo quid ſit agendum,
Hoc etiam quodam numine plena mouet.
Quid mihi numen (ais) memoras? mihi cerea viuit,
Vimque aſpectanti ſpirat imago ſuam?
Non ita, ſed virtus dono diuina ſubhæret,
Fidentesque animos inſinuata iuuat.
Cur potius (dicet) virtus hic illa? quid obſtat,
Quo minus inſinuent cætera ſigna parem?
Maior ab inſigni fiducia munere ſurgit,
Quam fundat ritus propria forma ſacri.
Namque Sacerdotem magnum res magna requirit,
Legitimas Chriſti cui dedit ordo vices.
Nec quoties, vel quando velit rem condere tantam,
Mos veteri acceptus relligione ſinit.
Fas duntaxat ei eſt, quo ſedem aſcenderit anno,
Annorum & quoties hebdomas inde redit:
Sabbata, quæ Paſchæ vicina vocantur in Albis,
Dant proprium, vt ſacret, diſtribuátve diem.
Annorum hic obiter quam multiplicatio cauſſam
Nacta ſit, oblata ſit ratione palam.
Tempus id eſt, quod Chriſtigenas à fonte recentes,

Ma-

Matris ad arcanas excipiebat opes.
Quo magis ergo suæ nossent compendia sortis,
Moribus &, quales exigit illa, forent.
Iure repræsentant agni pura agmina plures,
Res quod ibi gestæ notaque verba docent.
Baptizantur enim solenni hæc signa lauacro,
Inclytus & magna voce Minister ait:
Ad fontes isti veniunt agni ecce nouelli,
Quos lux clara replet, gratia lausque Deo.
Communis fit lætitiæ ratio obuia, sanctum
Cum populo sancto multiplicauit opus.
Nunc etiam agnorum numerus dispergitur ingēs,
Christigenum ditio quo pia cunque patet.
Numinis hoc pacto datur omnibus ansa rogandi,
Augeat vt fœtu semper ouile nouo.
Ioan. 21. *Nónne Petro Dominus quos credit, nominat agnos?*
Inter & immaneis quos iubet ire lupos?
Sed formam his obiter factis subdamus apertam,
Vnde fidele sacro fidere pectus habet.
Ampla ministrorum stipat procerumque corona
Pontificem, indutum pontificale decus.
Rem gerit hic Domini, fretus bonitate monentis,
Et placito certam more ferentis opem,
Sat foret auxilij promissio certa perennis,
Matt. 28. *Dum te Christe tuis semper adesse mones,*
Matt. 18. *Dumque tuo binis vel ternis nomine iunctis,*
Te medium affirmas vota petita dare.
Inde Sacerdoti summo fiducia summa est,
Officiis nunquam numen abesse suis.
Quod q. petit supplex, Ecclesia tota videtur
Poscere, quid sponsæ Christe negare potes?
Hic sed energiam propriam diuinitus addi,

Pre-

Propria conditio traditioque probat.
Longa quoq. omnigeni docet experientia fructus,
Expresse aut tacitè sic pepigisse Deum.
Maximus ergo sacra cum maiestate Sacerdos,
Pectore, voce, manu singula pronus agit.
Expositus celebri pompa benedicitur agnus,
Magnificisq; modis unctio sancta datur.
Ille preces recitat mira pietate refertas,
Quas veterum ritus formula certa tenet.
Postulat in primis sacrati aspectus vt agni,
Agnum ad cælestem concita corda leuet:
Vtque salutiferæ memores vitæque necisque,
Criminis & vitij noxia vincla terant:
Hostis vt insidias stygij ac certamina vincant,
Decipulas mundi, carnis & illecebras:
Æternæ vt fugiant discrimina cuncta salutis,
Et supera nunquam destituantur ope.
Obsecrat, vt donis, quæ gratia fundit, abundent,
Omnibus omne decus spirituale ferant.
Omnis vt & virtus & consolatio iugis
Affluat, omne pium semper agatur opus.
Corporeos nobis morbos casusq. repelli, Virtus agni.
Præsertim horrificos mortiferosque petit.
Nam licet accidere hæc sanctis aliquando sinuntur,
Tela magis læsi numinis esse solent.
Talia sunt virus, pestis, morbusque caducus,
Impetus hostilis, parturientis onus.
Nec minus & terræ motus, incendia, fluctus,
Fulmina, tempestas, morsque repente vorans.
Hæc procul arceri grauiora pericla precatur:
Prospera sed vitæ, lætaq; fata dari.
Postremò æthereum saluos ascendere regnum,

Atque

Atque agni placido cominus ore frui.
Innumeris liquet exemplis, quæ nemo refellet,
Eximias digno cuique valere preces.
Dignus at est, qui dignũ agno, quẽ gestat, honorem,
Tum fidei officio, tum pietatis, habet.
Sed quia virtutum studium iam rarius harum est,
Quid mirum multis irrita signa geri?
Iudaicis neque enim sunt vtiliora figuris,
Imò etiam pœnas ludificata petunt.
Gestari ipsa volunt simul extra pectus & intra,
Sic demum (vt retuli) commoda magna dabunt.
Catholicæ hic fidei verbis mihi protinus omnis
Scrupulus ex animo, mœror & omnis abit.
Pectore iam toto venerandum exosculor agnum,
Hortor & hoc vt idem quisque fidelis agat.
Non pudet effigies hominum statuasq. prophanas
Mirari, quorum vita fauorque perit,
Amuletum remedium est contra veneficia. *Nec miseris amuleta piget suspendere collis,*
Quæ vulgus demens, aut maga finxit anus.
Et pudeat pigeátve aliquem sacrosancta colentem
Stemmata, diuinis se cumulare bonis?
Reiiciat spurco sus gemmam perfidus ore,
Exerat & sannas ad data sancta canis.
Qui variis sordent vitiis, gaudentque ferinis
Moribus, his potius symbola digna ferant:
Qualia sunt vulpes, tygres, pardi atque leones,
Congruus aut serpens omnibus ater erit.
Dæmonis hæc proprii est, quẽ sponte sequũtur, imagos:
Insigne hæc domini iure ferunto sui.
Iudicij vel si ratio spectanda futuri est,
Hædorum effigies hisce ferenda venit.
Matt. 25 *Nos verò ad dextram sessuros iudicis Agni,*

Ferre

Ferre agnum, similes cui iuuat esse, decet.
Illi (vt Apostolicus vates ait) eius ab ira, Apoc. 6.
Montibus orabunt se caueisq; tegi.
Rex regum ac Dominus Dominantũ vicerit Agnus,
Culmina qui montis stat super alta Sion.
Viuarum ipse suos ad fontes ducet aquarum,
Abstergens lachrymas & nocumenta fugans.
Ergo Agnus, superi qui templi est vnica lampas,
Sit nostræ interea fida lucerna viæ.

CHRISTIANARVM INSTITVTIONVM LIBER V.

CAPVT I.

ORATIONIS DOMINICAE *fusior explicatio.*

ORATIO omnis est medium quoddam, quo homo cum diuina maiestate negotia sua confert & pertractat: vnde necessum, vt bonum orandi modum teneat, quisquis cum Deo agere statuit. Sicut enim mens eius atq. sentẽtia, qui alieno idiomate loquitur, ab eo qui audit nõ intelligitur; & qui minus ciuiliter sua proponit, aut parum ad mores & titulos aulicos accommodatè, parum efficit; ita non auditur à Deo, quisquis more

more cæleſtis aulæ orationis ſuæ modum non inſtituit. Sic repudiata fuit oratio Antiochi: ſic Phariſæus non fuit exauditus: & quibuſdam fit oratio in peccatum. Cæleſte idioma oblitus Adamus cum vxore, didicit linguam inferorum magiſterio ſerpentis, excuſans excuſationes in peccatis. Chriſtus ſecundus Adâ in aula cæleſti verſatus, reduxit idioma cæleſte, ſuoſq. Deum ritè comprecari docuit. Et quidem multæ fuerunt in veteri lege orandi formulæ, à Spiritu ſancto præſcriptæ, in Pſalterio, & libris Prophetarum; ſed nulla conferri cum ea oratione debet, quam Chriſtus Dominus ipſemet tradidit & præſcripſit. Primò, quia hanc Filius Dei compoſuit, quem Pater audiri voluit, cuius verba cognoſcit, præſertim ſi ſpiritu Filij pronuntientur: neq. poteſt Filius non adiuuare & prouchere orationem hanc ſuam, quam ipſius mandato fundimus, præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati, maximè cùm aduocatus ſit noſter, & patronus apud Patrem, noſq. tunc exaudiendos dixerit, quandocunque in ſuo nomine quidpiam petiuerimus, multoque magis ſi eius verbis orantes vſi fuerimus. 2. Quia hac oratione omnia quæ ſanctè à Deo peti poſſunt, & eo ordine quo petenda ſunt, continentur. 3. Quia breuiſſima; vt citius memoriæ mãdetur, facilius intelligatur, frequentius repetatur. 4. Quia diuerſis petitionibus, tanquam membris & articulis diſtincta, occaſionem præbet iiſdem crebrò pro iacula-

2. *Mach.* 9.
Luc. 18.
Matt. 6.
Pſal. 108.
Matt. 17
Concil. Trull. cap. 2.
Concil. Mogunt. cap 45.
Concil. Remenſ. cap 1.
1. *Ioan.* 2.
Ioan. 16.

culatoriis orationibus, etiam in mediis occupationibus, vtendi.

Antecedũt petitiones tria verba instar prę-fationis, quorum 1. (*Pater*) quomodo oraturi in Deum affecti esse debeamus, significatur: 2. (*noster*) qua voluntate in proximos. 3. (*qui es in cælis*) quo pacto nos ipsos constitutos esse oporteat.

PATER.

In veteri lege non fuit decreto publico mãdatum, vt Deus ab hominibus, Pater, appellaretur: tametsi id nomen nonnulli, sed rari, in eius inuocatione vsurparint; seruabatur hoc legi Euangelicæ, in qua per Christum liberati à seruitute legis, accepimus filiorũ adoptionẽ; vultq. Deus à nobis Pater appellari. 1. Vt conditionis nostræ excellentiam considerantes, nihil ea indignum cõmittamus; impiorũ mores, vt filiis indignos, vitemus; consilia Dæmonũ, Deo patri aduersantium, repudiemus; cælestis patris moribus animum imbuamus (vt simus imitatores Dei, sicut filij charissimi) quia meritò sequitur patrẽ sua proles. 2. Vt semper beneficiorũ diuinorũ memores, gratias agamus: siquidem non natura filij sumus, sed gratuita misericordiq. adoptione, qua nobis cõmunicato, & infuso in corda nostra Spiritu filij sui, primo quidẽ nos filios Dei & dici & esse voluit; deinde verò paterna cura nos pascit, diligit, fouet, regit, beneficiis ornat, & Angelis suis nobilissimis cæli principibus custodiendos ac protegendos committit, & denique

Rom. 8.

Ephes. 5.

1. Ioan. 3.
Psal. 90.
Matt. 18.

nique effusa liberalitate nos hæredes suos,
Rom.8. Christiq. cohæredes instituit & scripsit. 3. Vt præter gloriam patris nihil vnquam quæramus: filiorum est enim studere commodis & dignitati parentum. Postremo hac voce monere nos voluit, quo in Deum patrẽ cælestem animo & effectu esse debeamus; fide, spe, & charitate in eum feramur; pietatem & venerationem & obedientiam ei exhibeamus; vires omnes, facultates, & quidquid habemus & sumus, in eius obsequium expẽdamus, vt qui est creator, moderator, redemptor, & nostri amantissimus Pater noster. In hac autẽ præfatione nomen Patris duas exigit conditiones ab eo qui oraturus est Deum; vnã, vt deposita voluntate peccandi, reconcilietur Deo, ne vt hostis oret, sed vt filius: alteram, vt magna fiducia ad Deum accedat, quia ab optimo Patre nihil non impetrabit filius.

NOSTER.

Noster, posuit Christus, non meus, vt quo affectu in proximos Deus adeundus sit, intelligamus: Fratres enim sumus, quotquot mortales viuimus; vt spiritum atq. lucis vsurã, ita
Matt.23. communẽ habentes Patrem, qui creauit omnes, redemit, alit, gubernat, seu à vera religione alieni illi sint, siue Christiani. Peculiariter tamen ratione sunt fratres, qui precioso Christi sanguine à peccatis abluti, eundẽ Christi Spiritum sanctum in corda sua, quo vegetantur, viuunt, & aguntur, de cælis acceperunt, cohæredes regni cęlestis. Itaq. monemur primò hac voce,

voce, (Noſter) vt ante orationem depoſitis odiis & inimicitiis, cum proximo in gratiam redeamus, iuxta illud: Relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliare fratri tuo, proximis noſtris, qualeſcunque illi tandem ſint, charitatis affectum exhibeamus; & indigentibus eleëmoſyna, & piis officiis ſubueniamus; vt hac ala oratio in cælum attollatur, & euolet. Secundò, vt humilitatis memores, nemo ſpretis cæteris, ſeſe efferat, aut diuitiis, honoribus, auctoritate maiorem arbitretur ſe, aut amplius aliquid eſſe, quàm ſint pauperes, ignobiles, ſubditi, cæteriq. quorum nobis abiectior & obſcurior videtur cõditio. Hi enim cum Deo loquentes, nõ alio quàm Patris nomine eum compellant; & quæcunq. demum ſit fortunarum ſors atque ratio, talis quiſq. reuera eſt, qualis apud Deum patrem æſtimatur. Tertiò, vt hæc oratio communis eſſet, & in vtilitatem communem membrorum Eccleſiæ aliquid ſingulis cõferret. Tametſi nãq. iſta oratio (ſicut & cæteræ quæ ad Deum funduntur) pro orantis voluntate, & mente poſſit quibuſuis, etiam iis qui Sacris Chriſtianis nõ ſunt initiati, applicari; ex ſe tamen, viq́ue ſua, ad ſolam eorum vtilitatẽ refertur, qui in Eccleſia ad communionem Sanctorum pertinẽt, ſeu viui illi ſint, ſeu vita functi. *Matt. 5.*

QVI ES IN CAELIS.

Deus natura ſua vbiq. eſt, nec loco concluditur, ſed in cælo eſſe dicitur: Primò, quia illic cernitur illuſtrior ipſius operatio, vbi à Sãctis *Deut. 4. Hier. 23.*

videtur & habetur: sicut animæ, quæ per totũ corpús diffusa est, dicitur caput sedes, vel cor, quòd in illis partibus magis vigeant eiusdem potentiæ, & operationes. Secundò, quòd illic humanitatem suam Christus collocarit, ibiq́ue sit sedes beatorum angelorum, sanctorumq́ue omnium, qui in cælis, tanquã in aula Dei, commorãtur. Tertiò, quòd in cælo Deus perfectè regnet, eiq́ue omnia perfectè optemperent Quartò, quòd de cælis moderetur hũc mundum, pluuias dimittens, solis luce, lunæq́ue splendore terram illustrans, stellarum, cæleſtiumq́ue corporum dimissa è cælo vi, corpora hæc nostra afficiens, sanctis angelis nostri curam committens, &c.

D. Aug. epist. 57.

Non dixit, in cælo, sed, in cælis: quod licet in beatitudine illa æterna mãsiones sint multæ, variiq. ordines angelorum; in omnibus tamen videatur, & possideatur Deus. Monemur igitur his verbis primò, quonam pacto nos ad orationem comparare debeamus, vt mentem à terrenis ad cæleſtia eleuemus, vbi Pater noster est, quem alloquimur; curasq́ue vanas, & inanes cogitationes ab animo remoueamus, secuti exemplum Moysis, qui ad colloquium congressumq. diuinum venturus, monte conscendit; & in nebulam, vt oculis nihil terrenum obuersaretur, penetrauit. Secundò, vt magna reuerentia, tũ externa corporis, & gestuum, tum interna animi Deum precemur; quia pater est non ignobilis; sed cæleſtis. Tertiò, vt nihil à Deo, nisi quod cæleſte est, atque

Ioan. 14.

Exod. 24.

ad

ad cælū nos dirigit, vnquam peramus. Quartò, quo altius in cælum ascendat oratio, corpus & mentem crapula ne grauemus, sed sobrietatis ac tēperantiæ studiosi, ad eleëmosynam etiam ieiunium, velut alteram alam orationi adiungamus.

POST PRAEFATIONEM SEQVVNtur *septem petitiones: quarū prioribus quatuor rogamus bona nobis concedi, posterioribus tribus cupimus mala depelli.*

Prima petitio.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

NOMEN: non dicit hanc vocē, Deus, vel aliam quampiam, quæ Deū significet; sed Deum ipsum, Dei potētiam, maiestatem, bonitatem, cæteraque attributa, quæ in Deo colenda sunt, & veneratione prosequenda. Sanctificari, non est, sanctum fieri, quomodo diem festum sanctificare iubemur; quia sine nobis nostraq. opera, est sanctū nomen eius; sed sanctum agnosci, laudari, magnifieri; iuxta illud, Magnificat anima mea Dominum. In omni bona, quæ ad Deum fit oratione, primum locum sibi vendicat gratiarum actio; quā hac petitione Deo habemus, postulantes vt tum pro beneficiis in nos, vniuersamque creaturam collocatis, tum pro maiestate sanctitateq. sui nominis, gloria eius innotescat omnibus, & apud omnes amplificetur. *Luc. 1.*

tur. Hoc enim est Deo gratias agere, cui aliud rependere non possumus. Itaque sanctificetur nomen tuũ, idẽ valet, 1, gratias tibi ago Deus æterne, propter magnam gloriam tuã, pro beneficiis cuis in me collatis. 2, meipsum tibi in seruum, meaque omnia diuinæ tuæ maiestati consecro. 3, precor, vt præter gloriam nominis tui, nihil vnquam desiderẽ, ad illamq. actiones meas omnes semper referam. 4, rogo vt tui notitia, toto orbe diuulgata, ad omnes homines diffundatur, maiestas tua & bonitas ab omnibus vita & verbis commendetur; & sicut
Psal. 112. in cælo, ita & in terra, à solis ortu vsque ad occasum laudetur nomen Domini: Et quia pro suo quisq. ingenio, hi suauitate ad pietatem ducuntur, alij seueritate impelli debent; precor vt vel benignitate omnes ad Dei cultum trahas, vel verberibus intrare compellas. 5, largire fidelibus cunctis in fide constantiam, vt superatis hæresibus atq. erroribus vniuersis, quam corde tenent fidem, ore quoque profiteantur. 6, da cunctis Christianis, verum zelum animarum, vt ad multorum salutem, neque laboribus fracti, neque molestiis fatigati, incumbant; ne aduersitatibus debilitati langueſcant, & magno animo, tuoque auxilio salutis impedimẽta remoueant. 7, precor denique vt laudem tibi dicant creaturæ
Dan. 3. tuæ omnes, vt benedicant omnia opera Domini Domino, laudentque & superexaltent eum in sæcula.

FRV-

FRVCTVS.

1. Nihil æquandum, nedum præferendum, diuino honori, 2. serioque expendenda beneficia diuina, 3. & pro iis quotidie ex corde habendæ agendæque gratiæ.

Secunda petitio.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

Post illam peritionem, quæ ad gratiarum actionem, amplificationemque diuini nominis pertinet, petendum est nobis illud primo loco, ad quod creati sumus, quod super omnia nobis est commendatum, quodque omnibus rebus est præferendum. quærite, inquit, primum regnum Dei & iustitiam eius. *Matt. 6.* Hæc est fœlicitas vitæ æternæ. Porro regnum Dei in scripturis quatuor significat, pro quatuor modis, quibus Deus res creatas regit & moderatur. 1. Gubernationem totius orbis, iuxta illud; Regnum tuum regnum omnium sæculorum. Rex omnipotens Domine vniuersorum, in ditione tua cuncta sunt posita *Esth. 13.* 2. Ecclesiam Catholicam, quòd politiam à Christo institutam obseruet, Deique legibus, & à Christi Vicario eiusque ministris in terra regatur. 3. Spirituale & internum regnum, quo sanctissima Trinitas in animas nostras veniens, & mansionem apud nos faciens, per gratiam Spiritus sancti suauiter nos gubernat, facultates ac vires animæ dirigit, atque in suo obsequio nos continet. Ita regnũ Dei intra nos *Luc. 17.* est, Christusque Rex præsidet, comitatus virtu-

tibus, & Spiritus sancti charismatis, quæ animæ potentiis ceu custodes præficit, sicut Apostolus inquit: Non est regnū Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudiū in spiritu sancto. 4. Vitam æternam, in qua tum Deus ipse perfectissimè regnat, obsequētibus ad nutum sanctis omnibus; tum nos regnabimus cum Christo facti sacerdotes & reges summa libertate, nobilitate, præstantia, imperātes Dæmonibus, facientes vindictam in nationibus, increpationes in populis, alligantes reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. De postrema hac significatione præcipuè agitur ista petitione: petimus itaq. primò hæreditatem cęlestem nobis seruari, ne ab ea vnquam excidamus, néve alius accipiat coronam nostram: imò petimus regnum nobis aduenire, tū vt in hora mortis nostrę Christus nos visitet, in suamq. gloriā adducat (ita enim promisit, Cū præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum) tum vt in iudicij die, quando de cælis Christus cum aula cęlesti est descēsurus in terram, ad rem commodumq. nostrum veniat, nosq. regno suo adscribat. Et quia ad regnum illud consequendum multum facit ardēs illius desideriū, vt cupiamus dissolui, & esse cū Christo; desiderium verò illud non parum exardescat cælestis beatitudinis perfecta notitia: petimus secundò, vt auocata mēte à terrenis rebus omnibus, primùm quidem consideremus & intelligamus, quanta sint illa, quæ præparauit

Rom. 14.

Psal. 113

Psal. 149.

Ioan. 14.

nit Deus diligentibus se; deinde verò in illa, omni mentis studio feramur, & præ desiderio illius pretiosi thesauri, arbitremur vt stercora, quidquid aspectui speciosum mundus offert. Ceterum quia vires nostræ adeo imbecilles, & fragiles sunt, vt ad tantum regnum conscendere nõ valeant, & iter ipsum periculis plenũ sit & infestũ; Rogamus tertiò, vt regnum Dei iuxta tertiam significationẽ in nos adueniat: hoc est, vt sanctissima Trinitas, sua gratia nos visitet; & ne regnet peccatum in mortali hoc corpore nostro, vt Deus perfectè in membris nostris habitet, nosq. peracto vitæ huius curriculo, in æternam cælorum gloriã vehat. Sicut enim tutissimè proficiscitur in regnũ, qui est in comitatu Regis, & aulæ Regiæ; ita sine discrimine omni & detrimento ille perueniet in cælum, in cuius anima sanctissima Trinitas suam aulam constituit, illamq. virtutibus ornatam secum è corpore ducit. Quartò, potest iuxta secundam regni acceptionem à nobis peti, vt regnum Dei, hoc est, Ecclesia Catholica, destructis hæresibus, & erroribus vniuersis, per orbem terrarum propagetur. Ceterùm voluit Christus hoc loco potius vti vocabulo regni, quàm vitæ æternæ, vel alio quopiam: Primò, vt nobis Dei bonitatem cõmendaret, qui nobis regnum suum offert; dissimilis regibus huius mũdi, à quibus petere regnũ, grauissimũ esset flagitium. Secundò, vt discamus mortem non metuere, quæ non ad calamitatem, sed ad Dei regnum aperit ianuã fi-

liis Dei. Tertiò, vt pauperibus consolationem adferret, qui licet ad tempus hic adfligantur, nati tamen ad regnandum, breui suscepto regno iudicabunt nationes, & dominabuntur
Sap. 3. populis, regnaturi cum Christo in æternum.

FRVCTVS.

Discimus primò, in hac vita nihil vile aut humile cogitare, cuiusmodi est mũdus, sed ad regnum cęleste aspirare; absurdum quippe est, hæredem regni agere porcos, aut aliud vile quodpiam officium exercere.

Discimus secundò, laborem aliquẽ sumere ad hoc regnum consequendum, vtpote quod
2. Tim. 2. non datur otiosis, sed laborantibus, pugnantibus, vincentibus.

Tertia petitio.

FIAT VOLVNTAS TVA, SICUT *in cælo & in terra.*

Post vitam æternam, ad quam sumus conditi, atq. redempti, nihil vehementius optandum est atq. petendum, quàm media illa, quibus ad assequendam eam iuuamur. Sunt autem duplicia, spiritualia & corporalia: de spiritualibus, tanquam potioribus & pręstantioribus, agitur hac petitione, cuiusmodi est, facere voluntatem Dei, eiusq. mandata exequi.
Matt. 7. Non enim omnis qui dixerit, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris cælestis, ipse intra-
Matt. 19. bit in regnum cælorum: &, Qui vult ad vitam ingredi, seruet mandata.

Et quidem si primus noster parens inobedien-

dientiæ scelere se non alligasset, nõ esset in diuinorum præceptorum obseruatione magna molestia, quòd homines sponte sua ad illa obseruanda traherentur, quemadmodum cæterę creaturæ, quæ naturæ instinctu cursum suum tenent, & Dei instituta persequuntur: at post peccatum corrupta natura, in vetitum nititur homo, vt sine peculiari Dei auxilio, cuiusuis potius, quàm Dei voluntatẽ sequatur. Captiuus enim tenetur ad voluntatem Dæmonis, conuersatur in desiderii & voluntate carnis & cogitationum, quæritque inuenire & perficere voluntatem suam. *2. Tim. 2. Ephes. 2. Isa. 58.*

Ceterùm Dei voluntas in scripturis duobus modis accipitur; vno modo propriè, pro ipsa Dei voluntate, quæ est Deus ipse immutabilis in consiliis: quæ voluntas semper impletur, & neque impediri, neq. euitari ab aliquo potest: iuxta illud, Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet, nec est qui possit resistere huic voluntati: quia non est sapientia, non est prudentia, non est consiliũ contra Dominum. Hanc voluntatem non petimus impleri, quippe quæ nobis non petentibus continenter impletur; neq. rogamus vt faciat Deus voluntatem suam, qui omnia quæcunque voluit, fecit. Alio modo voluntas Dei metaphoricè dicitur, quidquid eius voluntatem declarat, ab eaq́ procedit, vt præcepta, leges, institutiones, quas vocat Apostolus voluntatem Dei bonam: item consilia, quæ voluntatẽ beneplacentem, perfectissimumq́. illud mandatum, *Isa. 46. Esth. 13. Prou. 21 Psal. 113 Rom. 12.*

tum, vt sine concupiscentiæ sensu, toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus, continua consideratione, & charitate adhæreamus Deo: quam appellat voluntatem perfectam, in æterna demum beatitudine implẽdam; quo cùm ducant virtutes, sanctitas, omnisq. pietas; ad Dei vtique voluntatem pertinebunt, quæcunq. sunt Deo accepta, &, vt ait
Phil. 4. Apostolus, quæcunq. sunt vera, quæcunq. pudica, quæcunq. iusta, quæcunq. sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ: hæc est enim
1. Thes. 4. voluntas Dei, sanctificatio nostra.

Elucet porro Dei voluntas: Primò, ex scripturis, quæ nobis mandata Dei, generaliaque
Matt. 18. eius consilia edidêrunt. Secundò, per Ecclesiam, cuius mandatis Christus obtẽperari voluit. Tertiò, per superiores, seu Ecclesiasticos,
Luc. 10. quibus dictũ est: Qui vos audit, me audit; seu seculares, quibus obedientia præstãda est, non solũ propter iram, sed etiam propter conscientiam: nam qui potestati resistunt, ipsi sibi dã-
Rom. 13. nationem acquirunt. Quartò, ex iudicio rationis, & dictamine conscientiæ, præsertim in negotiis nostris, & quæ pro re nata, occurrũt;
1. Ioan. 3. quia si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus, quia mandata eius custodimus. Petimus ergo primò, gratiam obtemperandi diuinis præceptis; & abiis abstinendi, quæ Deus prohibuit; eamq. in Dei voluntate perficienda constantiam, vt mortem qualemcumque eius voluntati posthabeamus. Secundò,

dò, vt cõtraria velimus, & desiderem⁹ iis quæ mundus, caro, & Diabolus amant & suadent; vtq. superatis vitiis, prauisq. affectibus, superbiæ, auaritiæ, &c. cõtrariis virtutibus studeamus. Tertiò, vt in rebus omnibus nostris, voluntatem suam Deus nobis aperire dignetur, vt siue genus aliquod vitæ sit deligendum, siue aliud quiduis adgrediendum, ipsius consilio & voluntate, dirigamur. Quartò, vt si fortè vel ignorantia, vel infirmitate humana, id desideraremus & peteremus, quod ad diuini nominis gloriam, nostramque salutem minus esset aptum; id nobis pro sua bonitate Deus recuset, eiusque loco tribuat aliquid magis salutare: sæpe etenim, neque quid dicamus cum Beato Petro, neque quid petamus, cum matre filiorum Zebedæi, neque cuius spiritus simus, cum iisdem filiis, satis nouimus. Quintò denique hac petitione totos nos damus in manus Dei; vt dummodo in nobis atque per nos sanctificetur, & celebretur nomen Domini, ipse de nobis pro bona volũtate sua, in omnibus rebus constituat; estque perfectissima oratio, similis illi orationi Christi, qua petebat in horto, non suam, sed Patris sui voluntatem fieri.

Matt. 17
Matt. 20
Luc. 9.
Mar. 14.

SICVT IN CAELO, ET *in terra.*

Postulamus formam huius obedientiæ, vt nempe dirigatur ad normam obedientiæ cælestis, vbi angeli sancti, à perfecta obedientia epitheton habent Obedientium: Faciẽtes, inquit

Psal. 102.

quit Dauid, verbū eius, facientes voluntatem eius; sicut in inferno Dæmones nomen Satanæ ab aduersando & repugnādo. Et quia propter humanam nostram infirmitatē fieri nequit, vt ad eū perfectionis gradū in obediētia ascendamus, in quo versantur Angeli: vocula (Sicut) non æqualitatem, sed similitudinē significat; vt sicut omnes Angeli semper, alacriter, integrè, sponte sua, nullo suo commodo, sed gloriæ Dei intuitu ad nutum obtemperant, vt ita in hac vita omnes Deo pareant, postulamus.

FRVCTVS.

Discimus primò, vt in obseruatione mandatorum Dei, non intueamur quid homines agant, nec per illorum inobedientiam excusemus nostra peccata: non enim ad homines mortales remittimur, sed ad angelos; & multitudo peccantium, nec eripit à gehenna, nec minuit pœnam, sed auget: quia nō minus ardet, sed vehementius, qui cum multis ardet. Discimus secundò, quanti facienda sit virtus obedientiæ, à qua potissimùm nobilissimi illi spiritus cōmendantur; quā vt præstaret Christus, de cælis ad nos venit. Descendi, inquit, de cælo, non vt faciam voluntatē meam, sed eius qui misit me Patris: quā tanto desiderio præstitit, vt diceret; Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius: quam denique tantoperè nobis cōmendauit, vt summam in ea dignitatem poneret: Qui fecerit, ait, voluntatem Patris, qui in cælis

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Matt. 12.

lis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Discimus tertiò, in obediẽtia nõ intueri personã hominis, sed Dei iubentis, cuius personam repręsentat homo superior, & à Deo precipiendi potestatem legitimè consecutus.

Quarta petitio.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM *da nobis hodie.*

Post spiritualia bona, iubemur petere temporalia, quæ petitio quartum obtinet locum in Oratione Dominica. Primò, quia quæ prioribus postulantur, sunt præstantiora, & bona ex se naturaque sua; sunt enim spiritualia ac perpetua, & eiusmodi propter quæ potissimùm homo est à Deo creatus: ea quæ modo petimus, licet ab hominibus passim auidius desiderentur, & diligẽtius curentur, viliora tamen sunt, vtpote corporalia, caduca, & nõ per se, sed qua ex parte ad vitæ sustentationẽ necessaria sunt, expetenda. Secundò, quia non meretur impetrare temporalia, nisi qui prius pro spiritualibus bonis fuit sollicitus. Igitur hic oramus nobis à Deo dari necessaria ad vitam tolerandam, & ad officium nostrum colendũ vtilia, ne vel pressi inopia, peccatis indulgeamus; vel nimia sollicitudine terrenorum, animũ à cogitatione rerum diuinarum abducamus; vel nimiis diuitiis elati, insolescamus, voluptatibusque dissoluamus. *Prou. 30.*

Ceterùm, quia hominũ curæ, & quotidianæ sollicitudines, ferè non alio, quàm ad tẽporalia bona consequenda diriguntur; ne prolixius,

lixius, minusque decenti oratione, pro hisce Deum obsecraremus, voluit Christus verba ipsa præscribere, quæ & modestia sua, & quia filij Dei sunt verba, maiorem vim haberent ad impetrandum, quàm quæuis alia tametsi copiosa, & rhetorico artificio ad persuadendum de industria comparata.

PANEM.

Nomine panis intelliguntur omnia, quæ ad hominis sustentationem requiruntur; quo
Prou. 30. modo petebat Salomon sibi tantùm tribui victui necessaria, cõprehendens sub victu etiam vestitum, domum, & reliquas vitæ commoditates. Voluit autẽ Dominus à nobis peti, non carnes, pisces, aut alios cibos, sed solùm panẽ: Primò, vt ex his terrenis nihil desideremus amplius, quã quod ad alendum corpus est necessarium. Secundò, vt si præter panem, & necessariã sustentationẽ, aliquid detur, id omne cum magna gratiarum actione accipiamus, & in magni ac singularis beneficij loco reponamus; neque enim digni sumus pane illo, quo vescimur. Tertiò, vt imbecillitatem nostram profiteamur, qui ne panem quidẽ ipsum, nobis ad vitam necessariũ, sine Deo, parare possumus. Quartò, vt Deo in rebus omnibus fidamus, qui tantam nostri curam gerit, vt non
Matt. 6. maiora solùm, sed minima quoque illa, vt panem & aquam, benignissimè liberalissimeque nobis largiri sit paratus.

No-

NOSTRVM.

Significatur hac voce primò, Dei charitas, qui facit, vt nostrum sit, quod suũ erat, & malis filiis nullo titulo debebatur. Secũdò, vt vitę necessaria nobis, iusto titulo paremus, ne aliena furto, malisq. artibus, inuadamus, & vsurpemus; vt labore & honesto lucro vitam propagemus, omniumq. malorũ fontem, otium, fugiamus. Tertiò, vt meminerimꝰ cibos omnes, æqualiter omnibus hominibus, à Deo creatos; ne diuites sibi delicias deberi putent, pauperibus panem cibarium, & atrũ. Quartò, Nostrum, id est, qui naturæ conueniat; ne illa vsurpemus, quæ nobis officiunt; vt fungos ad cibum, vestes ad corporis valetudinem nõ rectè paratas.

QVOTIDIANVM.

Non petimus panẽ Paschalem, sed panem qui in vsu est quotidiano. Primò, vt non consectemur corporis delicias & superfluas commoditates, non auaritiæ, non opibus coacernandis studeamus; sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus. Secundò, 1. *Tim.* 6. vt frugalitatis nostræ memores; ne superbiamus: nisi enim quotidiano cibo vires repararemus, cito interiret vita nostra; in hoc etiam bestiis & plantis miseriores, quòd hæ viliorib⁹ vescantur, reddantque præstantia, poma, vinum, lac, lanam, &c. nos meliora consumamus, & præter inutilia stercora nihil ex corpore demus.

DA.

Discimus primò, ad humilitatem, nos omnes esse mendicos Dei, seu diuites, seu pauperes; atq. ad ianuã magni Patrisfamilias eleëmosynã petere. Quapropter sicut absurdum est pauperem vnum aduersus alterum superbum se præbere ob frustum panis paulò maius sibi mendicanti datum: ita ridiculum est in conspectu Christi atq. Sanctorum, hominem mortalẽ insolenter se efferre, propter exiguam, quam præter cæteros à summo rerum omnium Domino portionem bonorum accepit. Secudò, discimus nihil quidquam, nisi de manu Domini accipere, hoc est, iustè, & ad Dei voluntatem: quia eius solius est orbis terrarum & plenitudo eius; mentitusque est Dæmon, cùm diceret: Mea sunt omnia, & cui volo do ea. Tertiò, discimus comparationem rerum ad viuendum necessariarum plus à Deo, quàm à nostris viribus & laboribus pendere; quia nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. itaque diligenter est ad Deum confugiendum, vt labores conatusq. nostros fortunare dignetur; vt conseruet nobis donata: ne speremus in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo, vt quæ sumpturi sumus, diuina sua benedictione sanctificet; denique vt si quid fortè occultæ iniustitiæ, quæ prætereat nos, in bonis nostris lateat, ipse misericordia sua abstergat, ne inde aliquod in capita nostra supplicium redundet.

Luc.4.

Psal.126

1.Tim.6.

No-

NOBIS.

Significatur primò, orationem non pro illo dumtaxat, qui eam pronunciat; sed pro aliis quoque diuino auxilio indigentibus fieri. Secundò, bona quæ nobis petimus, sic nobis petenda esse à Deo, vt non in nostram tantùm vtilitatem cõuertamus, sed illis proximorum quoq. necessitates subleuemus. Tertiò, bonis iis, quæ largitur Deus, non ad animæ detrimentum, sed ad eius salutem vtendũ esse, neq. grauanda corpora nostra crapula aut ebrietate, sed cibo potuque cum gratiarum actione moderatè sumpto, ad obsequium Dei recreanda. *Lucæ 21.*

HODIE.

Vult Deus, vt pro præsenti tantùm die, res ad necessarios vitæ vsus postulemus: Primò, vt Deo discamus fidere, qui sicut olim Israëlitico populo, quotidie de cælis manna demittebat; ita nobis quotidie paternè prouidebit. Secundò ad nimiam sollicitudinem futuri temporis deponendã, vt quieti, Deo sine anxietate deseruiamus. Tertiò vt vitæ nostræ incertitudinem ob oculos habeamus. hodie enim petimus, quia cras fortè hac petitione non erit opus, si (quod fieri potest) ex hac vita demigremus. *Exod. 16.* *Luc. 12.*

FRVCTVS.

Vt spiritualem animæ cibum quotidie petere & manducare admoneamur; quia nõ minus pro anima, quæ est potior pars nostra, atq. pro corpore cõuenit nos esse sollicitos. Est autem

tem hic cibus: Primò, Christus ipse à nobis viua fide susceptus, qui in animam sua gratia illapsus, eam interna quiete & pace conscientiæ continenter reficit: curanda est igitur pax conscientiæ perpetua, ne vlla ratione, per peccatum turbetur, quia secura mens est iuge cõuiuium. Secundò, Verbum Dei lectũ, vel auditum, vel interna inspiratione deuotè susceptum; quod est nobis curandum quotidie, ne vlla dies sine oratione, meditationeq. trãseat; sed audiamus quotidie, quid in nobis loquatur Dominus: Nõ enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tertiò, Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum, panis ille viuus è cælo delapsus, & hominum saluti admirabili Dei bonitate ac potentia consecratus, qui mirificè cùm corpus, tum animã reficit, fouet, alit, sustentat; ac proinde quotidie spiritualiter, frequenter reipsa in Sacramento accipiendus esset.

Matt. 4.

Ioan. 6.

Quinta petitio.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

His sequentibus petitionibus rogamus à nobis tria malorum genera dimoueri, præterita, præsentia, & futura. & quinta quidem ista petitione conamur amoliri mala præterita, hoc est, peccata à nobis commissa; petimusque primò, omnia peccata nobis gratis condonari, per Christi passionem; venialia quidem per hanc orationem, aliaq. media, quibus illa pro sua

sua misericordia & benignitate clementissimus Deus remittere solet, vt est aspersio aquæ benedictæ, confessio, sacerdotalis benedictio: Mortalia verò, per pœnitentiæ Sacramẽtum, quod nobis rogamus suis temporibus impertiri, ne sine eius beneficio ex hac vita decedamus. Secundò, Gratiam rectè confitendi coram Sacerdote de peccatis nostris, recentem peccatorum memoriam; sincerum dolorẽ propter offensum Saluatorem; constans emendationis propositum; integram peccatorũ omnium, apud vicariũ Christi enumerationem, voluntatem & facultatem pro delictis satisfaciendi; & quæ iniustè aliis ablata fuerũt, siue res sit, seu fama, seu honor, quo pàr est modo restituendi. Tertiò, si quo casu non sit integrum peccata confiteri, atq. ex hac vita migrandum sit, absq. pœnitentiæ Sacramento; vt veram largiatur contritionem, cuius virtute cum desiderio confitendi, peccata deleantur. Quartò, vt pœnam peccatis debitam clementer relaxet, omniaque quæ agimus & patimur, in satisfactionem peccatorum suscipiat. Quintò, vt media suggerat & donet vitnadi in posterum peccata. Singula porro verba huius petitionis, vim habent suam.

DIMITTE.

Significatur primò, Deũ solũ offendi peccatis omnibus, etiam illis, quæ in proximos committũtur. Secundò. Deum solũ dimittere: nam Sacerdotes sunt eius Ministri, per quos, ceu per Vicarios, ipse verba Sacramentorum

profert. Tertiò, neminem mortalium esse solu-
uendo itaq. precamur, vt gratis dimittat, Chri-
stique passione, pro peccatis nostris acceptet.
Quartò, adferendas esse cõditiones eius, qui
veniam petit, quæ sunt, vt doleat de offensa;
vt statuat in posterum non offendere; vt spe-
ret veniam.

NOBIS.

Significatur primò, hanc orationem esse communem, qua quisque sic sibi orat peccata condonari, vt pro proximis omnibus Christianis idem petat. Verè magna felicitas hominis Christiani, pro quo singuli Christiani, in quotidianis orationibus sunt solliciti. Secundò, neminem omninò esse hominem, qui non solùm humiliter, sed etiam veraciter (ait D. August.) hãc orationem dicere debeat, vtpote cui non desint peccata, saltem venialia; sine quibus vita ista non ducitur; & fortè pœnæ aliquæ restant expiandæ.

DEBITA.

Peccata sunt debita. Primò, quia præuaricatorem pœnæ diuinis legibus cõstitutæ obligant, non aliter atque humanarum legũ violatores pœnis suis obstricti tenentur. Secundò, quia obligant ad restituendum Deo ablatum honorem, irrogatã iniuriam, vsurpatam illicitam voluptatem: ista enim quolibet mortali peccato committuntur. Horum porrò debitorum magnitudo, tũ ex infinita maiestate Dei offensi æstimanda est, ex qua infinitam fortiuntur ipsa malitiam & turpitudinẽ; tum

ex

ex vtilitate offendentis; tum ex grauitate mali commissi; quo spreto Deo opt. max. transimus ad castra aduersarij improbissimi tyranni, proculcatoque Christi sanguine, & reiecta Spiritus sancti gratia, honorē Deo debitum, impertimus satanæ. vnde fit, vt omne peccatum mortale, sempiterna supplicia apud inferos promereatur. *Heb. 10.*

NOSTRA.

Nostra sunt debita. Primò, quia pura voluntate nostra commissa. Secūdò, quia in nostris animabus hærent. Discimus igitur primò, peccatorum meminisse: Secundò, ea non extenuare, sed magnificare. Tertiò, non aliis, sed nobis ipsis assignare.

FRVCTVS.

Excitatur in peccatore magna fiducia obtinēdæ veniæ; quia Deus offensus, inuitat ad veniam petendam, petentibus liberaliter veniam offert.

SICVT ET NOS DIMITTIMUS *debitoribus nostris.*

Ceteras petitiones absolutè posuit Christus: huic soli addidit conditionem. Primò, vt, quia nulla maior est gratia, quā remissio peccatorū, qua peccator & hostis Dei, recōciliatur creatori suo, & ex reo inferni, trāsfertur in hęreditatem regni cælorum: ea gratia non tribueretur, nisi etiam ipsi aliquid præstemus. Secundò, vt facilitatem obtinēdi huius beneficij cognoscamus, quod à nobis ipsis Deus pēdere voluit, vt si cōdonemus aliis, dimitta-

tur etiam nobis: cõditio quippe facillima est, & quam præstare possunt omnes, quę nõ opere, aut verbis, alióve labore indiget, sed sola voluntate perficitur. Sicut; est vocula similitudinis, includens conditionem, si non ignoscamus, nec Deum nobis ignoturum. Rogamus itaque, vt quomodo nos dimittimus, ita dimittat Deus: si semel tantùm, si solo verbo, si exigentes aliquam pœnam, si imperfectè: vt pari modo nobiscũ agat Deus. Hic de offensa agitur, non de debitis pecuniariis, aut honore, famaque violata, quæ sibi restitui quisq. velle potest, & aliquando debet, sicut exposcere potest à lædente quandoq. pœnam, non ad vindictam, sed ad illius, vel aliorum vtilitatem.

Si quis porro in animum suũ inducere non possit, aut nolit, vt proximo ignoscat, ei tamen Oratione Dominica non est interdicendum, si illud (nos) nõ ad se referat, sed ad Ecclesiã, cuius ipse est membrum & pars: in qua Ecclesia boni non solùm dimittunt, sed pro persequentibus etiam Deum precantur: sibi verò roget eu adem animum dari. & inimicam voluntatem ad amorem & beneuolẽtiam flecti.

Sexta petitio.

ET NE NOS INDVCAS
in tentationem.

Post peccatum, nullum est grauius malum, quàm periculum peccandi, quod nobis à tentationibus impendet, quas quidem tentationes ultrò suscitent Dæmones, qui nunquã vel transuersum digitum à nobis discedunt; mundus,

dus, qui nos circũdat; & caro, domesticus hostis, quem circumferimus: facilè intelligitur, quam sit necessarium crebrò istam petitionem iterare.

Tentare, est experiri & periculum facere; quod ex varia intentione eius qui tentat, variis modis, nunc rectè fit, nunc malè 1. enim tentat quis vt norit quid in alio lateat; quo modo examinatur discipulus à præceptore, vt periculum faciat eruditionis. Deus qui omnia nouit, & quem nullum latet secretum, hac ratione neminem tentat. 2. vt is ipse cũ quo agitur, se nosse discat, & virium suarum vel imbecillitatem, vel robur perspiciat: sic Christus Philippum tentauit dicens; Vnde emẽmus panes vt manducent hi. 3. vt aliis cuiuspiam cõditio patefiat; sic coram parentibus fit periculum de filij eruditione; & eo modo tentauit Deus Abrahamum, Iob, Tobiam, vt posteritati horum sanctorum virtus probaretur. 4. vt ad malum inducatur, quo pacto hostis sui vires quispiam explorat, vt tentãdo noceat. Hic modus est Dæmonis ministrorumq. eius, impiorum hominum; qui etiam Dæmon, ab hoc officio nomen inuenit tentatoris, quia in eo omnis illius industria desudat, vt tentãdo decipiat, noceat, perdat. Tẽtat porro omnes omninò homines, in quibus est rationis vsus, nemini parcens, nec bonis, nec malis: & quidem mali, quòd tentatoris voluntati semper obtẽperent, non sentiunt tentationis molestiam, tanto peiori loco, quòd in potestate sint im-

Ioan. 6.

Matt. 4.

manissimi tyranni, existimantes pacem, cùm nulla sit pax impiis. Boni verò, qui tenationibus repugnant, magnam ex illis molestiam percipiunt, seque tutos minimè esse, sed periculosum bellum continenter gerere, facilè intelligunt.

Modi autem quibus homines Dæmon aggreditur, tametsi ob innumeras eius artes, lõgamque experiẽtiam, & mentis subtilitatem, exponi facilè nequeant; constat tamen, quòd aliquando per se ipse adoriatur hominem, sicut Euam, & Christũ; aliquando administros adhibeat mũdum, & carnem: Et illos quidem per se malis suggestionibus vexat potissimũ, qui relicto mundo, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis mortificarunt: Cæteros verò, qui vel magnam habent cum mundo consuetudinem, vel parum studij ponunt in reprimenda petulantia carnis, per hæc ipsa solet exagitare: & primò quidẽ more Ducum exercitus, circumiens inuestigat infirmiora loca, per quę minore negotio possit irrepere; explorat nempe ad quæ vitia magis homo propendeat. Secundò verò ea parte obiicit aliquid sensibus, vt passio excitetur, quam ipse pro viribus promouet interno motu: tum magno strepitu adhibitis omnibus machinis impetum facit, vt hominem multitudine hostium terreat; hinc mundus, hoc est, quidquid mundus habet, insurgit, irrisiones sociorum, indignatio amicorum, exempla praua maiorum, improba doctrina Hæreticorum, pro-

prosperitas & commoda, aduersitates & pericula: Inde Dæmon ipse vitia extenuat, virtutumque nomine in præsenti negotio vestit, superbiam, honestatem; auaritiam, prouidentiam; gulam, discretionem; iram, zelum; inuidiam, iustum dolorem; luxuriam, delectabilem recreationem; acediam, curam sanitatis, appellitans. virtutes autem habitu vitiorum repræsentat. Hunc impetum senserunt Iob, Tobias, Antonius, & CHRISTVS ipse; cuius tamen animam nullus sensus attigit.

Ceterùm, quia hostis tunc securus pugnat, quãdo antagonistam armis, quibus se defendat, nudauit; hoc sedulò studet Dæmon, vt arma abiiciamus, aut in iis vtendis impediamur: sunt autem illa: Primò, oratio, à qua conatur abducere turpibus cogitationibus, infidelitate, scrupulis, tædio, &c. Secundò, bona opera, præsertim consuetudo confitendi & communicandi; quibus obiicit impedimenta, vel occupationum, vel aduentus amici, vel prætextum maioris boni, vel alterius rei, vt vel semel intermittãtur: sic enim augentur ei vires, depositis à nobis tantisper armis. Tertiò, conscientia cõfessario, viro docto, probóq. aperta; quam rem ita malè fert Dæmon, vt suas suggestiones, & sceleста consilia, omnibus modis occultari studeat; ne si prudenti viro detegantur, sola narratione (quod non rarò euenit) sordescant narranti, dolique earum & fœditas appareat; vel sano con-

consilio repellantur, & in posterum caueãtur. Quartò, humilitas, quæ vt internum gratiæ fructum conseruat, ita terrori est atque inuisa superbo Dæmoni, qui quærit vt garrulitate, ad
Genes. 3. Euæ exemplum aliquid effutias & iactes, quo gratia humilitateque spolieris.

INDVCAS.

Non vult nos petere Deus, vt ab omni tẽtatione simus immunes, propter multas eius vtilitates, quæ sunt: Primò, imbecillitatẽ nostram agnoscere, in humilitate conseruari, à Deoq. auxilium flagitare. Secũdò, Naturam, vires, & artes Dæmonis intelligere, ad nostrã aliorumq. institutionem. Tertiò, Peccata vitare, quibus subministrantur aduersario arma; sectarique virtutes quibus adimuntur. Quartò, semper in acie stare paratos ad pũ-
1. Pet. 5. gnam; quia aduersarius nunquam dormiens circumit quærens quẽ deuoret. Quintò, Post certamen & victoriam coronari & triumpha-
2. Tim. 2. re. Nemo enim coronabitur, nisi legitimè certauerit.

Vult igitur Christus nos esse sollicitos, ne in tentationem inducamur, hoc est, ne à tẽtatione absorbeamur, & superemur. Dicitur autem Deus in tentationem inducere, non quod ad peccatum hortetur, aut quenquam impellat: sed 1. quidem, quòd hos sua gratia, prior ipse à nobis desertus, deserens, vel ad tẽpus pro nostra instructione, humilitate, maioriq. sollicitudine, destituens, patiatur in potestatem venire Diaboli, qui paratus ad deuorandum, ex-

spectat

spectat solius Dei ab anima discessum; sicut lupus discessum pastoris; & canis, vt inuadat relictam ouiculam. 2. Quia multis beneficiis nos ornat, quibus vitio nostro, ad interitū nostri ipsorum, quandoque abutimur; quomodo dixit Poëta, Perdit patrum indulgentia natos. Petimus igitur hoc loco, 1. gratiā, ne aliquando consentiamus peccato, sed, si tētari nos volet Deus, faciat etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. 2. Ne occasionem demus, vt meritò à Deo deseramur; vel superbia, vt Eua; vel præsumptione, vt Petrus; vel alia quauis ratione. 3. Vt si vitio nostro, in peccatum aliquod lapsi fuerimus, ne cor nostrum, instar Pharaonis induret; sed statim emolliat atq. conuertat, vt resipiscamus. 4. vt beneficia quibus abuteremur, à nobis auferat, & cū Nabuchodonosore potius abiiciat, & faciē nostrā ignominia repleat, quàm vt à nobis diuinam suam maiestatem offendi patiatur. 5. Vt vires & impetum Dæmonis frangat, infirmitatesq. nostras sanet, ne inde arma Dæmoni, ad nos prosternendos subministrētur. 6. vt perseuerātiam largiatur in bono, omnesque peccatorum occasiones remoueat.

1. Cor. 10

Gen. 3.

Matt. 26

Exod. 7.

Daniel. 4

FRVCTVS.

Discimus hominis vitam militiam esse super terram; quodq. bonos milites decet in ciuitate ab hostibus cincta, id nobis imitādum: itaq. primò cōsilia, mentemq. aduersariorum perueſtigemus; quid verbis, factisq. intēdant, exploremus: quia enim angelus satanæ in

Iob 7.

ange-

2. Cor. 11 angelum lucis non rarò se transfigurat, hoc modo intelligemus; esse impias Dæmonis suggestiones, si per illas à Deo nos alieniores fieri cognoscamus: hoc est, si in homine pio, quietem internam perturbent; intellectui tenebras offundant; feruorem deuotionis minuant; ad sancta exercitia orationum, confessionis, communionis & aliorum huiusmodi minus aptum reddant; & denique si animum ad externa solito magis abducant. Secundò, Portas istius castri nostri vigilantissimè custodiamus, hoc est, sensus & linguã; ne quid irrepat, quod animam lædat; aut efferatur per inanem sermonẽ, quod ad munitionem pertineat. Tertiò, Vt domesticum hostem, qui fœdus cum externis aduersariis Dæmone & mundo iniuit, ceu notum proditorem, mortificemus; carnem dico, cum vitiis & concupiscentiis. Quartò, Vt inducem nostrum Christum continenter intueamur; eius auxilium imploremus; magna fide in eum speremus; omnia nobis de eius viribus, bonitate, & charitate promittamus. Quintò, Tametsi aduersarius quandoque magno impetu insultet, variisque partibus ac modis nos adoriatur; mundi irrisionibus, aut conuitiis, clamores excitet; inopiã minetur; mala exempla proponat; improbos doctores submittat; nihilque intentatum relinquat: nihil nos vel terreamur, vel moueamur, sed forti animo in pugna perstemus; & libidinosas quidem tentationes, declinando occasiones, excu-

tien-

tiendoque impuras cogitationes superemus: ceteras verò, contrariis virtutum officiis, superbiam, humilitatis; iracundiam, mansuetudinis; gulam, temperantiæ, in ipsis quoque mediis peccandi occasionibus, luctantes vincamus. Ea est enim conditione satanas, vt semel fortiter prostratus, debilitetur viribus, minusque sequentibus pugnis, quàm primo insultu possit. Sextò, vt Dæmonis occultas suggestiones, viro prudenti atq. experto cãdidè aperiamus, eiusq. consilio vtamur, tametsi vel exiguitas rei, vel fœditas pudorem fortassis iniiciat: hostium enim consilia manifestanda sunt illi, qui loco Christi ducis in hoc bello te dirigit, superiori, inquam, confessario, aut viro in hac arte perito & exercitato.

Septima petitio.

SED LIBERA NOS *à malo, Amen.*

Hæc petitio locum obtinet vltimum. Primò, Quia videtur complecti summam præcedentium petitionum, quibus rogauimus partim quædam mala à nobis propulsari, partim bona concedi; quibus carere, malum est ingens. Secundò. Quia inter mala sunt illa minima, quæ nobis plus molestiæ exhibent; nempe calamitates & miseriæ, quas etiam Christus vltimo loco collocauit in oratione sua iturus ad passionem: Rogo, vt serues eos à malo. Ob has duas prædictas rationes, populus in Missæ sacrificio hanc petitionem pro- *Ioan. 17.*

profert: tum vt approbet quæcunque à Sacerdote in præcedentibus petitionibus orationis Dominicæ postulata fuerunt: tum quia vulgus hominum vehementius, quàm optimates, calamitatibus oppressum, maiori sensu, & studio, ab illis cupit expediri.

MALO.

Malum hoc loco non accipitur pro peccato, aut culpa, sed pro pœna; suntq. tria potissimùm mala quibus affligimur; quæ hoc loco deprecamur: Primò, Dæmon, qui licet natura sit bonus, malus tamen, aut malũ dicitur; tum quia primus autor peccati; tum quia inueteratus, nihil præter malum cogitat, cõtinenterque hominibus singulis præsens, omnẽ quærit & arripit ad nocendum malumq. inferendum ansam. Secundò, Concupiscentia, quæ ex peccato originem ducens, ad malum nos in-
Rom.7. clinat. de qua Apostolus: Non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: &, Malum adiacet mihi. hæcque ferè sola caussa est, quamobrem externa illa, alioquin adiaphora, molestè impatienterq. tolerentur, & mala nobis efficiãtur. Tertiò, Afflictiones quælibet molestæ, siue externæ illæ sint, siue internæ: quibus omnes conflictamur, nemine prorsus excepto, etiam iusti & sancti, adeò vt res illa non solũ offenderit Ethnicos, qui ob id negarunt Dei prouidentiam, sed etiam fideles quosdam,
Iud.6. vt constat de Gedeone, Dauide, & aliis pro-
Psal.72. phetis: vnde illa Psalmistæ vox, Mei pene moti sunt pedes. Hinc intelligimus, quàm sit

neces-

necessaria ista petitio, cùm tam vniuersalis sit homini tribulatio, vt nullũ sit eius membrum, nullaque potentia, quæ sua afflictione, molestiaque careat; nullaque creatura quæ nõ miserum hominem vexet.

Voluit autem Deus à se peti hanc à malis omnibus liberationem. Primò, vt nobis pium suum paternumq. animum in nos declararet; qui talis est, vt cupiat nos quietã, molestiisq. vacuam ducere vitam in hoc mundo; atq. tandem ex hac temporali quiete, ad requiẽ æternam migrare. Secundò, ne aliunde remedia, quàm à Deo, aut secundum Deũ quæramus: non à Sagis, aut Dæmonibus; neque à Medicis, nisi se placato prius, & inuocato: Dei enim solius est depellere mala, qui solꝰ infligit pœnas omnes, iuxta prophetiã: Non est malũ in ciuitate, quod Dominus non fecerit: quod agnoscens Iob, neq. Dæmoni, neq. hostibus quidquam acceptum tulit, sed demisso pacatoque animo dixit; Dominus dedit, Dominus abstulit. Causa verò quamobrem nos afflictet optimus sapientissimusque Deus, est, vt malo alteri longè pernicioſissimo medeatur. Sicut enim medicinã amaram accipimus, aut mẽbrum aliquod secari patimur, valetudinis restituendæ vel conseruandæ gratia: ita postquã culpa nostra irrepsit peccatum, quod est omnium malorum maximum terribilissimumq. (vtpote quod priuat hominẽ Deo summo bono) immissa sunt mala alia, & calamitates, magna Dei prouidentia. Primò, vt homo ex *Iob 1.*

paruo malo intelligeret, quantum malum sit summum malũ, hoc est, peccatum. Secundò, Vt malum hoc magnũ, paruo malo pellatur, atque in posterum vitetur: fit enim non rarò, vt qui propter peccatum affliguntur, postea ad seipsos reuersi, ardentius viam diuinorũ mandatorũ currant; sicut illi, qui ambulantes nonnihil offendunt & cæspitant, solent exilire. Tertiò, vt priuati hominis afflictio, toti reipub. corpori prosit, vel exemplo patientiæ, vt in Iob, & Tobia: vel meritis, vt in martyrib⁹. Quartò, vt augeatur bonis corona gloriæ, quę tanta est, vt mirũ sit non plures immitti molestias in hoc mundo, aut aliquid boni hic cõcedi iis, qui ad gloriam illã parãtur: sicut è regione, tanta imminent peccatoribus mala atque supplicia apud inferos, vt meritò nemo illis inuidere debeat summam huius vitæ gloriam, & delitias etiam maximas.

Deus porrò sic nos exercet, vt quandoque vtatur creaturis rationis expertibus, vt peste, fame, grandine, incendiis, siccitate, &c. quandoque malitia dæmonum; vel improborũ hominũ peccatis; quomodo vsus est inuidia fratrũ in traditionẽ Iosephi, & Phariſæorum in morte Christi. Nullũ tamen peccatũ cõmittit Deus, neq. ad peccatũ cooperatur; licet opus illud ipse quoq. præstet; quod homini quidem est peccatũ, tum quia vetitum, tum quia malo animo, atq. ad malũ finem relatũ: Deus autem actionem ipsam quæ in se res bona est, operatur, eamq. ad finẽ sanctũ ac iustũ dirigit: sicut igitur,

igitur, si ad porrigendum inimico venenum, quispiam medici operã conduceret; quod venenũ cùm nosset medicus, homini illi ad sanitatẽ, ob occultũ sibiq. soli cognitum morbũ, mirè profuturum, gauderet sibi tam diu optatam occasionẽ hominis iuuandi; is suasor peccaret, seq. grauissimo homicidij scelere astringeret; medicus autẽ, non modò nullum peccatum admitteret, sed optimè de viro illo mereretur: ita Deus peccata nostra, vel in nostrum, vel in Ecclesiæ bonum conuertit, malaq. à nobis fieri permittit, ad maius bonum; quemadmodũ ligna nostra accendimus atq. consumimus, vt ex eorũ cõbustione calor existat, aut cibus paretur, aut aliud quippiã nostris vsibus vtile ac necessariũ efficiatur. Notandũ verò, non nominari tribulationes, sed malũ: quamuis enim ex se tribulationes omnes malæ sint atque affligant, ex occasione tamen sunt interdum aliquibus bonæ.

LIBERA.

Monemur sentiendũ esse onus tribulationum, si eo liberari atq. exonerari velimus; dãdamq. operam, vt non simus insensibiles, qui neq. Dæmonũ impetus, neque concupiscẽtiæ molestias aduertamus. Liberat porrò Deus 1. arcendo ne adueniant. 2. Tollẽdo si adsint; quod tunc perfectissimè futurũ est, quando in cælo, summa fœlicitate sine vllo malo perfruemur. 3. Conseruando in periculis, vt Danielem inter leones. 4. Dando patientiam, vt

B. Paulo in stimulo carnis ; & consolationem, vt martyribus.

Petimus igitur hoc loco 1. à Dæmone liberari, ne nobis vel per se, vel per Ministros suos molestus esse pergat. 2. Concupiscentiã quæ in membris nostris latet, valdeq. pios affligit, vel penitus extingui, vel infirmari. 3. auerti à nobis atque tolli bella, pestem, famem, aliaq. tum publica, tũ priuata incõmoda, vt sine molestia seruiamus illi. 4. vt in tribulationibus patientiã conseruemus, cõsolatione fruamur, gaudeamusq. vel quòd pro admissis peccatis satisfaciamus; vel quòd pro nomine Iesu cõtumeliam patiamur; vel quòd tribulationibus merita augeamus. 5. vt ab æterna morte, summoq. malo nos liberet Dominus. 6. Petimus dissolui, & esse cum Christo, vt tandem omnibus malis expediti, sempiternis in cælo bonis, & deliciis circumfluamus.

AMEN.

Vox Hebraica, approbantis, aut affirmãtis, concludit orationẽ: 1. vt omnia antedicta, aliquo feruore Deo rursus commendemus, hoc sensu; O vtinã, Deus, ista præstes. 2. vt si fortè vitio nostro, inter orandũ minus attenti fuisse mus, hic nos colligamus, & petitiones noua attentione confirmemus.

In Missæ sacrificio, Sacerdos respondet, Amen, tanquam vice Christi, cuius personam sustinet, petitionibus annuens ; sed voce submissa, quia exoramus Deum etiam ignorantes.

FRV-

FRVCTVS.

Primò, vt peccata miseriarũ malorumque omniũ segetẽ ac materiã, omni conatu fugiamus. 2. vt afflictionibus bene vtamur, voluntatemque nostrã cum Dei intentione coniungamus; itaq. neque blasphemias euomamus; neque conuitia iactemus; neque ira, aut impatientia cõmoueamur; neque pusillanimitate deiiciamur; neque vlli præterquam nobismetipsis, mala nostra attribuamus: (hoc enim nihil ad leuandã molestiã iuuat:) sed expiatis per Sacramentũ pœnitentiæ peccatis, vitã bene beateque instituamus; Deo Patri gratias, quãtas possumus maximas agamus, quòd nos ad instar charissimi sui filij, pati aliquid velit; diuinæque ipsius prouidentiæ totos nos, quanti quanti sumus, gubernandos committamus.

EXPLICATIO SALVTATIONIS *Angelicæ.*

HVius Salutationis non alius est author, quàm Spiritus sanctus. Cuius mandato præcipuã partem Angelus Gabriel è cælo tulit: alterã Beata Elizabeth eodẽ numine plena fudit: postremã Ecclesia cõmunis omniũ nostrum mater, eiusdem Spiritus sancti instinctu (qui orare nos docet, & pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus) tanquam coronidem adiecit, ad fructũ ex antecedentibus laudibus colligendum. Proinde hæc salutatio & gratissima est Deiparæ, vtpote quã tunc audi- *Rom. 8.*

uit, cùm parens ſummi rerũ omnium Domini fieret; & magna arte à ſummo artifice, & ordine pulcherrimo facta. Nã poſt prima ſalutationis verba, Aue Maria; tres eximiæ virginis laudes ſequuntur, quarũ prima (Gratia plena) quomodo in ſe ipſa affecta ſit, ſignificatur; nẽpe gratia Dei, omnibus virtutum ornamentis, diuina quadã pulchritudine inſignis; Deo cælitibusque omnibus mirificè accepta. Secunda, (Dominus tecũ) quomodo cũ Deo ſe habeat, cuius ſit mater, à quo nunquã deſeratur, qui in ipſa reluceat. Tertia, (Benedicta tu in mulieribus) quomodo erga creaturas; quarũ eſt Domina, Regina orbis, Patrona noſtra. Adiungitur deinde laus Chriſto & gratiarũ actio, (Benedictus fructus ventris tui) qui talẽ matrem delegerit, atque inter ſe & genus humanum mediatricem conſtituerit. Demũ Eccleſia, vt ſalutatio in orationem deſineret, & virgo mater tãti in ſe à Deo collati propter nos beneficij memor, cauſam noſtram apud filium chariſſimũ ſtrenuè ageret, his verbis ſalutationẽ terminauit: Sãcta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, amen: Vt & in hac vita noſtra continenter nobis adſit, noſtraque ſtudia & actiones gubernet; & animas noſtras à morte in fidem ſuam acceptas, ſaluas & incolumes in cælo ponat.

AVE MARIA.

Aue, gaude, lætare, ſalue. Maria nomẽ proprium, quod Dominam ſignificat, & ſtellam maris:

maris: Verè Domina noſtra, humani generis patrona, & ſtella maris, peccatorũ refugium, & conſolatrix afflictorum, Gaude quòd virtutibus ornata, quòd virgo intacta, quòd eiuſdẽ perſonæ vera mater, cuius omnipotens Deus verus eſt pater. Quod ſanctiſſimæ Trinitati ſingulariter dilecta: quã Spiritus ſanctus igne charitatis, ſuarũq. gratiarũ vbertate ſupra humanas vires ita repleuit, vt ad ſuſtinendã vim incredibilẽ diuinæ in te liberalitatis, neceſſaria fuerit obũbratio altiſſimi: quam Pater ipſe cæleſtis præſentia ſua capacẽ reddidit Dei, & viribus auxit, quibus contereres caput ſerpentis: Ex cuius puriſſimis ſanguinibus Deus filius ſibi corpus elegit, quamq; viciſſim omni ſapientia diuina inſtruxit. Cui tota Trinitas non ſine excellenti munere Dei filiũ vt matri cõmendauit; ſub cuius voluntatẽ filiũ ipſum verũ Deum, reuerenter ſubiectũ & obedientẽ eſſe voluit. Magna dignitas tua, Virgo beata: gaude igitur & exultet ſpiritus tuꝰ in Deo ſalutari tuo, meq. miſerũ clientem tuũ iſtius tui gaudij participẽ facito. Hoc modo ſalutata Virgo pro ſua benignitate reſalutabit.

Luc. 1.

Gen. 3.

Luc. 1.

Gratia plena: vel, vt Græcis eſt, gratioſa, hoc eſt, tota pulchra, tota decora, tota amabilis, in qua nihil ſit non gratioſum, non delectabile, non ſuaue, ne tantillũ quidẽ atq. eſt pilus capitis, quia etiã crinis vnus colli minus decorus vulnerat cor ſponſi cæleſtis. Itaq. primò, nũquam vel næuũ habuiſti peccati, ſiue quod à primis humani generis parentibus propaga-

Can. 4.

tum; siue quod culpa aliqua tua cõmissum esset, etiã leuissimum, & venia facilè dignũ: nihil inquã vel opere, vel verbo, vel cogitato vnquã admisisti, quod non vsquequaq. gratissimũ esset sanctissimo Deo. Secundò, omni affluens & ornata fuisti virtutũ genere, ex ipso etiam vtero matris tuæ, in anima, & omnibus mentis tuæ integerrimæ facultatibus. Tertiò, concepto Deo plenitudinẽ habuisti diuinitatis, in te habitantẽ corporaliter. Quartò, enixa Deũ non inanis à diuinitate mansisti, sed plenissima spiritu filij tui: quia nouẽ mẽsium hospitiũ locuples hospes, plixè persoluit. Quintò, iam porro in regno cælorũ repleta gloria, omnẽ prorsus creaturã pulchritudine vincis.

Dominus tecũ: qui omnis creaturæ est Dominus, tecũ est longè alia & excellentiore atque cũ cæteris omnibus, ratione, & modo. Primò, ab æternitate & ante omniũ sæculorum memoriã, in matrem te sibi elegit. Secundò, corpus tibi purissimũ, atq. ad omnẽ sanctitatẽ aptissimũ (instar arcæ fœderis, quæ ex nobili ligno, quodq́ue nec putredine, nec diuturnitate posset corrũpi, intus & foris auro vestito constabat) ex sanctissimis parentibus aptauit. Tertiò, ab incunabilis tuis in te dilectã suam oculos perpetuo conuersos, & intẽtos habuit. Quartò, nouẽ mensibus in vtero tuo virginali cõmorari voluit. Quintò, ad annum deinde trigesimũ ætatis suę, à te non recedens, quotidianis colloquiis instruxit, officiis suis ministrauit, iucundissimo suæ consuetudinis fru-

ctu

ctu est consolatus, & cõtinuo charismate donauit. Sextò, mortalis vitæ suæ postremo triẽnio, quãdo perãbulabat regiones Iudęæ, nõ te deseruit; qui & moriens dilecto discipulo suo te cõmendauit. Septimò, rediuiuus ab inferis te primã reuisit; & iã in cælos assumptus, te præter cæteros omnes Christianos abundantiori spiritus sui copia repleuit. Octauò, morituræ astitit, animã sanctam dulcissimè inuitans, in amplexus suos euocauit, quã deliciis affluentem, & super dilectum suum innitentem æterno patri obtulit, & iuxta se super omnes creaturas visibiles atq. inuisibiles euectã, summa in gloria collocauit: Et quidẽ cæteræ virgines in cælis sequuntur agnũ quocunq. ierit; & nos semper cũ Domino erimus, in eius perpetuò intuentes voluntatem: Tibi autem semper adest agnus ille tuus filius, nihil alienum faciens tua voluntate: semper ergo nunc tecũ est Dominus, tuoque sic gaudet honore, vt qui tibi matri honorem defert, ab eo sibi reputet eundem filius exhiberi: Nam quòd mater honoratur ob filium, totus honor redundat in filium. Eia igitur Domina nostra, hunc filium tuum, quẽ nunquam deseris, mihi quæso concilia, eius mihi fauorem impetra, ad eũ me ducito, Nobisq. clientibus tuis post hoc exilium ostende: Hæc enim perpetua tua cũ filio indissolubilis coniunctio facit, vt vita sis nostra, quæ Christum vitã nostram gestas & præbes; vt sis nostra dulcedo, quæ fructum ita suauem ventris tui nobis offers; vt sis spes

Ioan. 19.

Cant. 8.

Apoc. 14
1. Thes. 4.

nostra, per quam peccatores conseruati ab interitu fuimus, & pœnitentes ad Christum reducti, atque in eius gratiæ reconciliationem accepti sumus.

Benedicta tu in mulieribus. Benedicta quidē supra omnes creaturas, qua nulla sanctior, nulla felicior, nulla sublimior. At peculiari ratione benedicta supra mulieres. Primò, quòd mater & virgo. Secundò, quòd mater tanti filij. Tertiò, quòd enixa sine dolore. Quartò, quòd assecuta summā dignitatē, quæ in muliebrem sexum conuenire poterat. Duo erant conferenda officia, alterū viro, esse Regē orbis: alterū, fœminæ, esse Reginam orbis: illud datū est filio (Mihi, inquit, data est omnis potestas in cælo & in terra) istud tibi concessum est matri, quę redimita corona stellarū duodecim, pro purpura vestita Sole, Lunā habes sub pedibus tuis, vniuersam Ecclesiā hominū atque Angelorū, quia exaltata super choros Angelorū ad cælestia regna, assumpta es ad æthereū thalamum, in quo Rex Regū stellato sedet solio. Meritò igitur Regina misericordiæ, Regina nostra verè misericors, ad te clamamus exules filij Euæ; meritò ad te suspiramus gementes & flentes, in hac lachrymarum valle; meritò supplicamus, vt per te aditus fiat nobis ad filiū; meritò per te rogamus, vt diuina charismata in corda nostra diuinitus infundantur. Tu mediatrix nostra ad filiū, illi defers preces nostras, ab ipso refers misericordiā & gratiam. Quod collū inter caput & cor-

Mat. 28.

Apoc. 12.

corpus, hoc tu inter Christũ & Ecclesiam. Tu contriuisti caput serpentis: omnes hæreses tu sola interemisti in vniuerso mundo: Tu præbes virtutem contra hostes tuos. Nihil enim Rex cæli nisi de voluntate genitricis suæ, Reginæ mundi, nobiscũ agit: & censetur facere mater, quicquid precibus obtinet, vt fiat à filio. Iacob enim Patriarcha cùm de Sichimis loqueretur, quos nõ ipse, sed filij expugnauerant, ita dicebat Iosepho: Do tibi partẽ vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrheorum, & in gladio & arcu meo. Sanè sicut Eua incredula à serpente seducta, omniũ errorum mater fuit; ita Maria, quæ veritatẽ ipsam mundo peperit, caputque serpentis seductoris contriuit, non immeritò dicitur hæreses omnes interimere, & errores fugare. *Gen. 48.*

Et benedictus fructus vẽtris tui Iesus. Magna prærogatiua, quòd Mater sis Dei super omnia benedicti; qui de tuo sibi corpore corpus accepit; mater Iesu, hoc est, mater Saluatoris; mater misericordiæ. Ad te igitur pertinet misereri semper & parcere, ne mater filio suo dissimilis, diuerso pietatis affectu videatur. Verè benedictus fructus iste, semperque benedicendus Iesus, qui talem matrem, non tam sui, quàm nostri causa elegit. Erat ipse super omnem creaturam, neque parem habens, neque superiorem: factus homo, virgunculam humilem, benignã, misericordem, affabilẽ, sibi præfecit in matrẽ; cuius tanto efficaciores essent pro nobis apud se effusæ ac obla-

oblatæ preces, quanto maiori illa in filium Deum polleret authoritate; neq reluctari posset voluntati matris, qui parentibus omnem voluit honorem haberi.

Sãcta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nũc & in hora mortis nostræ, Amẽ. Meritò rogare potes, quia vt filia Abrahæ, caro nostra es; vt Domina, curam nostri geris; vt orbis Regina, nihil non potes; vt Mater Dei, cuncta impetrabis; filius est quem rogas; pro tuis clientibus rogas; & ea quæ filio tuo accepta sunt, rogas: oramus enim mala omnia illa à nobis auerti, bonaque concedi, ad quæ propulsanda filius Dei in vtero tuo carne assumpta factus est homo. Per te igitur quæso omnia bona impetremus, per quam bonorũ omnium authorem accepimus.

EXPLICATIO SYMBOLI *Apostolici.*

Epist. 1. SAncti Apostoli priusquam in diuersas orbis partes discederent (ait D. Clemens Romanus) simul collecti symbolum composuerunt, quo earum rerum capita breuiter & perspicuè comprehenderunt, quæ omni Christiano homini apertè agnoscenda sunt, & ore confitenda. Tametsi namque sint plurima quæ fide credũtur (quo in genere est vniuersa scriptura sacra, & traditiones maiorum, seu verbũ Dei in corde scriptum Ecclesiæ) pauca tamẽ à populo exiguntur; quæ eiusmodi sunt, vt qui in earum rerum ignoratione versantur, Christiani

stiani vel Catholici (vt est in 6. Synodo, & Concilio Moguntino) esse non queant. *Cap. 7. Cap. 45.*

Huic fidei professioni, Symboli nomẽ imposuerunt, à militari symbolo ratione deducta, quo cõmilitones ab hostibus discernũtur. Soli quippe Christiani atque Catholici hoc symbolo rectè vtuntur; & ad sincerũ germanumq. Apostolorũ sensum profitentur: Infideles, siue, qui à Christianæ Religionis cultu omnino alieni sunt, vt Gentiles, atq. Iudæi, prorsus ignorant: Hæretici verò quosdã articulos vel penitus negant; vel interpretationibus deprauatis, in nouas alienasq. sententias detorquent. Neq vlla vnquã extitit hæresis, quæ non hoc symbolo damnari potuerit; vnde & [a] Veteres hoc symbolũ magni fecerũt, & plerique eruditè exposuerunt.

[a] *Irenæus lib. 1. c. 2. Epipha. hæresi 72. Ambr. epist 81. Hiero. ad Pammachium. Leo epi. 13 Ser. 11. de passione Domini. Maximus Taurin. Ser. de tradit. Symb. Augustin. de fide et Sym. Ruff. ad Laurent. de expositione Symboli.*

Diuiditur autẽ in tres partes, iuxta tres Deitatis personas: & in duodecim articulos, tũ ex numero duodecim Apostolorum: tum ob duodecim diuersa argumenta, quæ credenda proponuntur.

CREDO IN DEVM, PATREM *omnipotentem, creatorem cæli & terræ.*

Duæ sunt huius articuli partes, altera qua in diuina natura vnitatem credimus, altera qua primam Deitatis personam.

CREDO.

Prima vox, quæ ad Deũ accedenti proponitur, est, non scire, nõ videre, non opinari, sed credere: quæ vox toties iis, qui Baptismatis Sacra-

Sacramento initiantur, repetitur & commẽdatur. Huius autem vis verbi (Credo) duplicem nobis conditionem innuit: Primò, firmissimum assensum, certissimamque notitiam. Secundò, obscuritatem; qua nobis res illa quæ creditur non est euidens, & clara: Non enim clarè videmus in vnitate substantiæ tres personas; in vna Christi persona, duas naturas; in hostia sacra, Christi verum corpus; tametsi de horum capitum veritate simus certiores, atque de his quæ oculis videmus; vtpote pro quibus sanguinem profundere, & extrema quæque perpeti parati sumus. Certitudinis huius causa est, regula omnis veritatis exploratissima, Deus omnipotens; ideo namq. credimus, quia Deus dixit; vt verò Deum dixisse credamus, partim externis indubitatisq. signis inducimur, qualia sunt, miracula in fidem veritatis edita; constantia in fide Sãctorum martyrum; consensus in eadẽ fide totius per orbem Ecclesiæ; longa & nunquam interrupta ab ipsis Apostolis in eadem fide ad nostrum vsque æuum deducta successio; aliaque quæ enumerat beatus Augustinus. Partim ex dono fidei diuinitus infuso, sine quo cætera omnia non sufficiunt, vt impellãt hominis voluntatem ad rebus, quæ vi sensuum in animum manifestè non inducuntur, firmiter assentiendum: siquidem intellectus, quòd euidentia perspicuè non videat, à voluntate est ad credendum inclinandus.

ap. 4. ontra piſtolam ndamenti.

IN

IN DEVM.

Hominē credimus esse, homini credimus loquenti, sed solus est Deus in quē credimus; quia credere in aliquem, est ita fidem illi habere, vt primæ summęque veritati, à qua omnis pendet veritas, & in qua bonum vniuersum rerum omnium creatarum sit collocatum. Deus simpliciſſimam insinuat humanæ menti naturam; infinitæ tamen perfectionis, immensæ pulchritudinis, potentiæ, sapientiæ, charitatis. In qua est quicquid est bonum; à qua tanquam ex fonte, omne bonum dimanat; sine qua nullum bonum consistere, suoq. in statu conseruari potest. Hanc diuinam naturam, & Deum ipsum, credimus vnum. Non enim sunt duo infinitè perfecta, quòd in vno infinito omnis insit perfectio.

FRVCTVS.

Discimus primò, Christiani hominis officium: nimirum non inuestigare rationes eorum quæ fide nobis credenda ab Ecclesia prescribuntur; sed simplici cordis modestia, veraque integritate assentiri; memores antiqui nominis Christianorum, quo discipuli vocabantur, vt ne magistri aut contentiosi disputatores esse videantur, sed ab Ecclesia magistra, quam Christus constituit columnam & firmamentum veritatis, fidē accipiant, & veritatem omnem (quam illa à Spiritu sancto edocta est) addiscant. *Luc. 3.* *1. Cor. 11.* *1. Tim. 3.* *Ioan. 16.*

Secundò, discimus terrena hæc bona contemnere, animumque & desiderium omne in Deum

Deum conuertere, in quo est omne bonũ: quò enim magis vacui erimus affecti bonorũ huius vitæ, eò capaciores erimus bonorum diuinorum; dummodo exigui temporis morã sustinere ne grauemur; cùm omne tempus huius vitæ sit valde exiguum, eiusque exitus in singulas horas sit expectandus.

PATREM.

Altera pars primi articuli explicat primam personam in diuinis, quæ dicitur, atq. est, Pater; quia eiusdẽ substantiæ atq. naturæ filium ex se produxit; non creando, vel faciendo, sed gignendo diuino atque admirabili modo.

Sancti angeli atque homines iusti similitudine quadam Deum Patrem suum appellant, tanquam in filios: hæreditatisq. cælestis participes adoptati; excellentiori tamen ratione, atq. homines adoptãtur ab hominibus: hi enim nihil interius reuera à parẽtibus accipiũt; sancti autẽ participes efficiũtur diuini spiritꝰ, doniq. supernaturalis gratiæ Dei; qua consortes
2. Pet. 1. redduntur quodammodo diuinæ naturæ.

OMNIPOTENTEM.

Primo loco attribuitur Deo omnipotẽtia, tũ quod eam in mundi creatione ante cætera exhibuerit; tũ ne Christiani de Dei potentia ambigant & disputent. In hac tamen proprietate etiam cæteræ intelligendæ veniunt, quòd omnia sciat, omnia prospiciat, omnia prouideat. In duabus reliquis personis Filio & Spiritu sancto, est quidem æqualis omnibus in rebus potestas; sed omnipotentia potissimũ Patri

tri tribuitur, tanquam sanctissimæ Trinitatis principio, cui conuenit dicere, dicendoq. per Filium sapientiam, in charitate, quæ est Spiritus sanctus, cuncta creare atque producere.

FRVCTVS.

Magnum solamen adfertur piis Christianis, quòd Patrem habeant in cælis qui omnia possit. Quò enim parens maiori est potentia, eò filiis prolixius minoriq. cum difficultate, quacunque in necessitate succurrit. Discimus præterea altiora nobis non quærere, & fortiora non scrutari; quia potens est Deus superabundanter facere quàm petimus aut intelligimus. Semper Deo displicuerunt scrutatores maiestatis, qui ex suo intellectu metiuntur Dei potentiam. *Eccl. 3.* *Ephes. 3.* *Prou. 25.* *Psal. 77.*

CREATOREM.

Non solùm omnipotens est Deus, sed in gratiam quoq. nostri omnipotentiam suã insigni opere declarauit, quando vniuersam hãc mundi machinam, cunctasq. res in ea creatas produxit, & iussu solo sic ex nihilo effecit, vt non aliter omnes ab ipso dependeant, atque lumẽ huius aëris à luce solis: Nisi enim Deus continenter hoc ipsum quod sumus conseruaret, in nihilum redigeretur omnis creatura.

CAELI ET TERRAE.

Cæli nomine accipienda veniunt omnia cælestia corpora, & spirituales naturæ, Angeli videlicet omnes, qui à Deo cum cælis conditi sunt; quorum quidam statim à Deo auersi, in hæc inferiora ex cælis exciderunt.

Terra, dicit omnia terrena elementa & mixta.

Priori loco cælū nominatur, tū quod natura & habitatorib⁹ præstātius: tū quod finis vltimus ad quē Deus hominē formauit; quem primo loco intendit, & homini parauit: Terra enim nō vt perpetua habitatio, sed vt via tātū & mediū, quo in cælū tēditur, nobis est facta.

FRVCTVS.

Discimus ex animo diligere Deū, in eiusque gloriam omnia referre, qui tanta potentia, tam eximia in nostri gratiam effecit; cælum in quo perpetuo summis gaudiis & incredibili lætitia maneamus, terram cum omnibus quæ in ea sunt, creaturis, & commoditatibus, ne quid nobis in hoc itinere desit.

Secundus articulus.

ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM EIVS VNICVM, *Dominum nostrum.*

Hic articulus agit de persona Filij Dei, sicut & quinq. sequentes. Nam post lapsum hominis in peccatum, non sufficit fide cognoscere Deum creatorem rerum omnium; sed necessarium est præterea illius habere notitiam, per quem redempti sumus, vt humano generi pace summi æternique Patris reconciliata, in eius gratiam reduceremur.

ET IN IESVM.

Significatur vocula (in) hanc secundā personam esse Deum verum, non minus atq. Patrē. Hæc persona, quæ sola humanā naturam assumpsit, sola quoq. accepit propriū nomen;

&

& id quidem valde conueniens officio, nempe Iesus, hoc est, Saluator. Quoties enim Deus ipse hominibus nomina imposuit, fuerunt illa non vacua, sed plena mysteriis, & conditionibus illorū hominū cōsentanea. Dicitur itaque Iesus, quia humani generis verus & perfectus Saluator, qui & mala omnia à pernicie gregis Christiani depellit, sicut quondam Iosue filius Iosedech Israëliticum populū ex captiuitate miseriisque Babylonicis abduxit; & cælestium bonorum, æternæq. felicitatis participes facit, vt olim Iesus filius Nun in terrā promissionis Israëlitas introduxit. Et in hoc mundo cælesti pane & consolatione fideles reficit, vt quondam Iosephus Patriarcha, prouidente charitate sua de cibo, frumento & pane Aegyptiis prospexit; vnde à Pharaone nomen accepit Saluatoris mundi.

CHRISTVM.

Credimus hanc secūdam in diuinis personam esse verum illum Messiam & Christum, à tot sæculorum memoria, à Deo nobis promissum; neque præter hunc expectandum vllo tempore alium. significat autem Christus siue Messias eum, qui vnctus est. Et quia olim sacrato oleo inungebantur Sacerdotes, Reges atque Prophetæ; Credimus Iesum nostrum esse Sacerdotem summum, Regē Regum, & Prophetam, vnctum nō oleo nostro, nec opera hominis, sed gratia Spiritus sancti, à Patre cælesti. Propterea (inquit) vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.

Leuit. 8.
3. Reg. 19
Psal. 44.

Sacerdotij quidē Aaronici munus & actum ſemel in ara crucis exercuit, cum ſanguinis vera effuſione offerens corpus ſuum: Secundum ordinem verò Melchiſedech, qui Aaronem tempore anteceſſit, pridie ſacrificij iſtius cruenti, in nouiſſima cœna, quando manibus ſuis ſub ſpecie panis ſacrū corpus, & ſub ſpecie vini ſacrum ſanguinem ſuū Deo Patri obtulit, & Apoſtolis ſumenda porrexit; deinceps autem ad conſummationē vſq. ſæculi, miniſterio Epiſcoporum & Presbyterorū, per quos hoc iuge & incruentum ſacrificium quotidie in Eccleſiis Chriſtianorum immolat, vt ſit
Pſal.109 Sacerdos in æternum ſecundum ordinē Melchiſedech.

Rex eſt, qui accepta poteſtate in cælo & in terra, vniuerſam creaturam moderatur, leges condit, officia totius orbis diſtribuit, Iudices mundi conſtituit, nō hoc tantum æuo ſeu vitæ decurſu, ſed in iudicio quoq. alterius vitæ hoſtes ſuos debellat, ſubditos tuetur: Cuius miniſtri ſunt quotquot in hoc mūdo gladium
Rom.13. portant, & iura iudiciaq́ue ac prouincias adminiſtrant, quacumq. tandem dignitate emineant. Illi nos Chriſtiani in Baptiſmo nomen dedimus, Sacramentoq́ue obligauimus.

Deut.18. Propheta eſt de quo Moyſes olim prædi-
Actor.7. xit, Prophetā ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tanquam me; ipſum audietis. Prophetarum erat, populū ad meliora vitæ ſtudia cohortari, futura prædicere, occulta reuelare. Hæc quando in terris mortalis degebat, abundè

dè per seipsum præstitit: Nunc in cælis apud patrem residens, eadem per ministros suos, cõcionatores, Pastores atque Doctores agit; per quorum ora ipse nos instruit; occulta cordis vulnera non rarò tangit; abditissima quæque mentis vitia in memoriam reuocat; & nobis ipsis ob oculos ponit; incorruptam futuri iudicij seueritatem, & pœnas sceleribus debitas interminatur, præmiũ æternæ gloriæ iis proponens, qui vitam integram, virtutumq. splẽdore illustrem præstiterint, multaque alia, quæ futura, aut metuere aut sperare debeamus, pronunciat.

FRVCTVS.

Primus: à nemine veram salutem quàm à Iesu nostro vel quærere, vel expectare; & omnem spem felicitatis, tam huius quàm æternæ vitæ in eum defigere.

Secundus: Sacerdotibus, Principibus, Cõcionatoribus, cæterisq. superioribus obtemperare; eos non vt homines intueri; neq. vt alia conditione seu qualitate, veluti nobilitate, diuitiis, eruditione, facundia spectatos, sed tantùm vt Christi Vicarios atque Ministros audire, cuiusmodi tandẽ ex se sint illi, seu pauperes, seu imperiti, seu ignobiles & obscuri: vt enim vel nunquã, vel rarò, miracula eduntur ad imagines aureas, aut nobili materia pretiosas sed ad ligneas, lapideas, & humana existimatione viles: ita Christus, qui per paucos piscatores orbem conuertit ad fidem, per abiectos eundem moderatur; vt nõ nobis, sed

nomini suo detur gloria, prudentissimeq. gubernationis beneficium acceptum feratur.

FILIVM EIVS VNICVM.

Credimus Christum esse naturalē Filium, quem Pater ab æterno genuit, & gignit semper perfectum, ex se sine opera matris. Nos filij per adoptionem; non ex natura Dei producimur, sed Dei voluntate; qui dum in animos nostros infundit Spiritum sanctū suum & Filij sui, hoc est, gratiā diuinam, transmutat nos aliquo modo in aliam, cælestemque naturam; vt per internam illam diuinam qualitatem & affectionē, simus quodam modo diuinæ consortes naturę, filiique Dei, adepti ius hæreditatis regni cælestis.

Propter multas hæreses quæ olim de *Filio* Dei exoriebantur, addita sunt à Synodo Cōstantinopolitana nonnulla, ad partis istius explicationem.

EX PATRE NATVM ANTE *omnia sæcula.*

Non ex muliere factum vt homines: non diuina inspiratione vt animam Adami protoplasti: sed ex Patris substantia; nō post Patrem, sed quam diu fuit Deus Pater, genuit & gignit filium.

DEVM DE DEO.

Non factum Deum post natiuitatem, quomodo Reges primùm eduntur in lucem, tum inaugurantur; sed natum Deum, & qui ex natura habeat quòd sit Deus.

LV-

LVMEN DE LVMINE.

In lumine est pulchritudo, & vis producēdi. Credimus itaq. primò, in Christū omnem inesse pulchritudinē & perfectionem. Secundò, quòd eam non aliunde, quàm à Patre accipiat. Tertiò, quòd non instar creaturarū partem aliquam diuinæ perfectionis participet; sed quod ex Patris substantia omnia habeat, eandem videlicet cum Patre naturam.

DEVM VERVM DE *Deo vero.*

Non est Deus ad eum modum quo homines dij appellantur: Ego dixi, dij estis: aut quo gentilium dij à diis geniti fingebantur: sed verus & propria significatione Deus, non minus atque Pater, à quo diuinitatem hanc veram accepit. *Psal. 81.*

GENITVM NON FACTVM.

Non creatum de nihilo; nō productum ex materia, non aliquod sui ortus initium trahētem, tanquam aliquando non fuerit; sed per modum Verbi, & Filij genitum.

CONSVBSTANTIALEM PATRI.

Non alterius, nō similis, non distinctæ numero, sed prorsus eiusdem substantiæ; solum hoc differētem à Patre, quòd hic sit Pater dās substantiam, iste Filius accipiens substātiam.

FRVCTVS.

Primò, excitatur fides nostra, quia ille nos veritatem docuit, qui illam apud patrem vidit; Vnigenitus (inquit) qui est in sinu patris, ipse enarrauit. *Ioan. 1.*

Secundò, excitatur spes nostra, quod is qui æqualis est patri æterno, atque omnipotenti, frater noster esse, nobisq. vinculo necessitudinis arctissimo astringi voluerit.

DOMINVM NOSTRVM.

Filius Dei iisdē est quidem rationibus Dominus noster, vniuersæq. naturæ, quibus Pater & Spiritus sanctus. Primò, quia de nihilo finxit & formauit omnia (Per quē omnia facta sunt.) Secūdò, quia moderatur, nutrit, iuuat, regit triplicem hāc familiam, Cælestium Terrestrium, & Infernorū. Tertiò, quia mercede nos æternæ vitę ad cultū veræ religionis, amoremq. virtutum conduxit. Quartò, quia de voluntate Patris in charitate Spiritus sancti nos redemit: Peculiari tamen ratione est Filius Dei Dominus noster, atq. Pater aut Spiritus sanctus, nempe quia pretiū ipse pro nobis soluit, pretiosum sacratissimumq. sanguinē suum; mediumque parietem macerie dis-
Ephes. 2. soluit, inimicitias in carne sua. Et quidē Pater cum Spiritu sancto operatus est redēptionem nostram, non solo consensu, sed operatione; solus tamē Filius sanguinē & animā suam εἰς λύτρον, in redemptionem pro multis dedit.

FRVCTVS.

Discimus præstare officium bonorum seruorum. Primò, Dominū nostrū reuereri, iuxta
Mala. 1. illud: Si ego Dominus, vbi timor meus? omnia enim contēplatur vbique præsens. Secundò, actiones omnes & studia nostra in Domini cōmoda & gloriam referre; non enim sumus nostri,

nostri, sed eius qui emit nos precio magno. 1. Cor. 6.
Tertiò, seriò quotidie expendere quibus rationibus Domino nostro illo die grati animi, fidiq́ue serui officium præstare possimus.

Articulus tertius.

QVI CONCEPTVS EST DE *Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*

Iubemur credere eũdem Filium Dei, eiusdẽ cum Patre substantiæ, qui in cælis est in sinu Patris, non ad Angelorũ Dæmonúmve salutẽ vindicandã, vllíusve alterius naturæ cõmodum asseruandũ, sed propter nos homines, & propter nostram salutẽ, ad portam cæli nobis reserandã, viamq́. sternendam, & modum præscribendũ æternæ vitæ, descendisse de cælis; non cælis relictis, sed nouo modo, assumpta natura humana, visibili ratione nobis præsentem factum: cælum & terram nihilominus, nobis occulto & non spectabili modo, complentem maiestate diuina.

CONCEPTVS EST.

Non dicitur factus, aut creatus, sed conceptus. Primò, quia Filius Dei factus nõ est, sed conceptus & natus. Secundò, quia non prius creatus est homo, & postea assumptus, sed humana natura, à persona Filij Dei, eodem tẽpore, & facta & assumpta est. Tertiò, quia Filius Dei tametsi nouo sit & admirabili modo conceptus & factus homo; non alio tamen modo, quàm per veram conceptionem, humanitatis

nostræ naturam conditionēq. subiit. Quartò, quia Filius Dei, qui ab æterno fuit, in eandem personam, tam arcto necessitudinis vinculo naturam humanam sibi coniunxit, vt actiones omnes Dei tribuantur homini, & quicquid homo aut egit, aut perpessus est, id in ipsum quoque Deum omne transferatur. Siquidem homo ille Iesus, cælum & terrā de nihilo creauit, cælum replet & terram, ab æterno ex Deo Patre natus est Deus; idem ille Filius Dei esuriuit, sitiuit, laborauit, defatigatus ex itinere petiit haustum aquæ, passus, irrisus, cruci affixus, mortuus & sepultus.

DE SPIRITV SANCTO.

Non ex natura Spiritus sancti; sed opera Spiritus sancti, cui hoc incarnationis opus, quod à tota sanctissima Trinitate est perfectum, peculiaribus ex causis tribuitur, tanquam amori Patris & Filij, qui omnis sanctitatis est fons atque auctor. Primò, quia non nostris meritis, sed ineffabili charitate Dei, Filius Dei factus est homo: Sic enim Deus dilexit mundum: vt Filium suum vnigenitum daret. Secundò, quia vt sanctos nos efficeret. Tertiò, quia incarnatio sancta, & conceptio sine peccato. Quartò, quia corpus Christi omni ex parte perfectum, tanquam opus præstantissimum charitatis Dei. Quintò, quia ab ipsa conceptione homo perfectus, repletus sapientia, & cæteris Spiritus sancti dotibus ornatus. Sextò, quia anima statim in vtero matris summè beata, Dei gloriam atque

Ioan. 3.

atque naturam contemplabatur. Septimò, quia ex sola matre in terris natus, sine patre; quem putatus esset habere, si de cęlesti Patre, non de Spiritu sancto, diceretur conceptus.

FRVCTVS.

Primò, magna offertur consolationis materia, quod Deus nobis neque promerentibus, neque cogitantibus, pro nobis homo fieri, nobis omnium miseriarum (excepto peccato) participatione similis, nobisque plus charitatis, quàm ipsis Angelis exhibere voluerit; & id quidem eo tempore, cùm mundus abundaret peccatis. Nihil igitur non faciet pro filiis iam sibi reconciliatis. Secundò, ne negligamus salutem nostram, neque parui æstimemus conditionem nostram, cuius in libertatem vindicandæ gratia, Deus factus est homo.

NATVS.

Non instar Adami formatus, neque vt Eua eductus: sed verè proprieque communi ortus humani principio, infantulus natus, in Bethleem, id est, in domo panis, verus Angelorum & hominum cibus, Regis Dauid Patris sui oppidulo: atque in stabulo, ne quis de splendore nobilitateque natalium glorietur.

EX.

Non aliũde assumpto corpore, per matrem ceu per canalẽ trãsiit; sed ex purissimis matris sanguinibus, corpus sibi aptauit, vt reuera filius esset Mariæ; & Maria verissima Mater Dei.

MA-

MARIA.

Maria Syria cum, ſonat Dominã, & ſtellam maris: non enim decebat vt Dominus orbis, ex alia, quàm ex ea, quæ futura eſſet orbis Domina, naſceretur: quæ in hoc æſtuoſo mari, nobis ſe ſtellã exhiberet, & ducem ad ſolẽ iuſtitiæ, atq. ad verũ portum tranquillitatis, æternæq. ſalutis. Paupercula fuit mater, ad diuitiarũ contemptum: atque ex genere Iſraël, vt pro bonis pariter & malis, Dominus in huius vitæ lucem venire ſciretur. (ſiquidẽ Gentiles, nullos habebant bonos: Iudæi, bonos & malos.) De familia Dauid; & de cognatione Elizabethæ ex filiabus Aaron ſacerdotis; tãquam Rex & verus Sacerdos.

VIRGINE.

Beatiſſimã Mariam inuenit virginem puriſſimã, hãc vitã ingreſſus; virginẽ reliquit, vt virgo eſſet in partu, & virgo poſt partũ; clauſtris virginalibus clauſis, magno miraculo egreſſus vterum. Primò, ne ſua natiuitate dolorem afferret matri. Secundò, ne tam inſigni eã dono virginitatis priuaret. Tertiò, vt virginitatem orbi ferè ignotam commendaret; quæ cultores ſuos & Deo reddit coniũctiores, & rebus diuinis magis addictos. Conſecrauerat porrò hæc virgo atque deuouerat prima mortaliũ, voto virginitatem ſuã Deo: (Quomodo fier iſtud, quoniam virũ non cognoſco, id eſt, cognoſcere nequeo: ſicut dicimus, non veſcor caſeo, aut cibo, à quo natura abhorret) quia acceptior eſt Deo deuota virginitas,

quàm

quàm libera; sicut opus quod ex voto perficitur, tũ præstantius est, tum Deo gratius, munusq. vberius, quàm quod à quoq. soluto, nullaq. voti religione compulso præstatur: voluit tamen Christus matrẽ suam hanc virginẽ desponsam esse viro. Primò, vt virginalis partus Diabolo celaretur, qui ad sacrum virginis corpus exploraturus, non est permissus accedere. Secũdò, vt filius à viro cõmodius, quàm à sola matre & educaretur, & protegeretur. Tertiò, ne virgo tanquam adultera à Iudæis lapidibus obrueretur. Quartò, ne filius vt illegitimè natus ab omnib⁹ abiiceretur. Quintò, vt fides nostra de Christo ex virgine nato, testimonio Ioseph confirmaretur. Sextò, vt virginitas & matrimonium in persona Matris Dei, aduersus exorituros hæreticos commendaretur.

FRVCTVS.

Primò, discimus summa veneratione colere Matrẽ Dei, in cuius vterũ sanctissima Trinitas delapsa, vnigenitũ Filiũ Dei ipsius filiũ effecit; matriq́ue, non sine amplis donis, cõmisit. Pater capacẽ reddidit gratiarũ Spiritus sancti, instar rubi Mosaici ardentis & nõ exusti, potentemq́. effecit ad conterendũ caput serpentis. Filius mira sapientia matrẽ ornauit, in vtero eius nouẽ mensibus inhabitans corporaliter. Et cùm superiorẽ habere nequiret vt Deus, elegit hanc virginẽ matrẽ & superiorem vt homo, quæ imperaret, cui obtẽperaret, cui honorẽ deferret. Spiritus sanctus accẽdit amo-

amore Dei atque hominum, vt mediatrix esset in posterum Christi, & Ecclesiæ, media inter solem & lunam constituta.

Secundò, discimus esse castitatis cultores, vt viciniores accedamus ad Deũ, similes Angelis, terrenis negotiis, atq. deliciis minus occupati: magna sunt etenim castitatis & virginitatis ornamenta apud Deum immortalẽ, & immunitates honoresq. prorsus singulares.

Isaiæ 56.
1. Cor. 7.

Articulus quartus.

PASSVS SVB PONTIO PILATO, *crucifixus, mortuus & sepultus.*

Statim ab articulo Natiuitatis, venitur ad eũ qui Christi pro humano genere passionem complectitur, cæteris quæ interea sunt gesta prætermissis. Primò, quia ad hoc natus est Christus vt pateretur, passioneq. & morte sua humanum genus redimeret. Secundò, quia tota eius vita nihil aliud fuisse videtur, atque continua quædam dolorum perpessio, in ieiuniis, laboribus, tristitiis ex peccatis & interitu hominum. Nunquam risisse legitur, aut externæ lætitiæ signa edidisse, sed fleuisse, ingemuisse, doluisse.

PASSVS.

Causæ cur pro nobis grauissimam tormentorum acerbitatem subierit, hæ sunt: Prima, vt peccata nostra tolleret: Facti, inquit, estis prope in sanguine ipsius. Secunda, vt bona omnia nobis largiretur. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nõ omnia nobis cum illo donauit?

Ephes. 2.
Rom. 8.

nauit? Tertia, vt iuxta admonitionē B. Petri, sequamur vestigia eius. Fuisse autem Christi grauissimos dolores, hæc quatuor persuadere possunt. Primò, ardentissimus amor in genus humanum; quò, cùm maximi nos faceret, visa multitudine grauitateque lætalium vulnerum nostrorum, quæ nisi summarum pœnarum remedio curari nequirent, perfectè nos omnibus liberare gestiens, conscius sibi magnarum virium suarum, ea sustinuit, quæ ad totius humani generis peccata tollēda abūdè sufficerēt. Secūdò, corporis teneritudo, cuius auctor fuit ipsemet Spiritus sanctꝰ. Tertiò, meri, sine vlla cōsolatione, dolores, quales nullus vnquam martyr sustinuit; quòd seruis suis Deus cū doloribus tēperet consolationes. Diuinitas enim nihil ad auxilium profuit, sed ad diuturniores cruciatus iuuit, quibus humana natura (quod essent intolerabiles) succubuisset, nisi immēsa Dei potētia coniunctionē animæ corporisq;, quoad abundè satisfactū esset, supra vires humanæ naturæ retinuisset. Ita simul verū est, & Christū Dominū ab iniquis occisum, qui talia intulerunt, quæ animā à corpore auferre sufficerent; & eundem posuisse animam suam, iuxta illud: Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso; quia diuina virtute vitam retinuit ad ampliores dolores, donec animā emittere placeret. Quartò, pœnarum vniuersitas, quas ab omni ætate, sexu, hominū conditione suscepit, in

1. Pet. 2.

Ioan 10.

in omnibusque rebus passus, matre, discipulis, vestimētis, fama, anima, sensibus, & singulis corporis membris.

SVB PONTIO PILATO.

Hoc additur primò, vt tēpus passionis nouerimus, quòd non in mundi exordio, nec sub mundi finē, ne temporis diuturnitate intepesceret vel longa expectatio, vel semel conceptus feruor Christianæ Religionis. Secundò, quia tunc passus est, quando Dæmonis imperiū per orbem vniuersum idolorum cultu erat propagatum. Tertiò, vt consideremus, quòd in gratiā nostri non solùm matri, & Iosepho in rebus cōmodis, sed impio iudici, eiq. Gentili, in acerbissimis cruciatibus, ipsaq. morte obtēperauerit. Annæ & Caiphæ nomen omittitur: 1. Quia ab eis extra Iudæorū synagogam eiectus, datus est gentibus. 2. Quia ad gentes maximè fructus passionis deriuatus est.

FRVCTVS.

Discimus primò, à peccato abhorrere, quod tam acerbis filij Dei doloribus curari debuit. Secundò, ne multorum grauiumq. peccatorū onere depressi, de reconcilianda Dei gratia desperemus; quia abūdè sati factum est. Tertiò, in gratiam & amorem Christi libēter sustinere quę Deus flagella immittit, & quibuscunq. nos molestiis conflictari volet.

CRVCIFIXVS.

1. In ligno pati voluit. Primò, quia per lignum venit peccatū in mundū: itaq. Dæmon qui in ligno vicerat, in ligno quoq. erat vin-

cen-

cendus. Secūdò, vt pro nobis ipse maledictus esset, ad nos ab omni maledictione liberādos, quia maledictus omnis, qui pendet in ligno.

2. Eleuari voluit in aëra. 1. vt mediator Dei & hominum terram cælo conciliaret. 2. Vt se ad modum serpentis ænei conspiciendū eminus exhiberet. 3. Vt sciamus in nos esse iugiter defixos oculos misericordiæ Domini Dei nostri, qui pro salute humana vindicāda, sublatus est in crucem.

3. Brachia expandit. Primò, vt nos ad se reuertentes, in amplexus suscipiat. Secundò, vt singula eius vulnera contēplantes, nobis esse data illorū merita, cū animi gratitudine intelligamus. Tertiò, vt latitudine sua, crucis virtus ad omnes per orbem vniuersum manaret, altitudine cælos penetraret. Quartò, vt aliquod externum nobis signum institueret, quo aduersus Dæmonis insultus propellendos vteremur, quod est signū crucis manu formatum, quo se Christiani quotidie muniunt.

4. Clauis configi voluit. Primò, vt in manibus suis nos inscriberet atq. insculperet, nostri futurus semper memor. Secundò, vt sanguine suo de manibus exeūte nos aspergeret. Tertiò, vt vincula solueret manuum & pedū nostrorū, quibus ne vel rectè operemur, vel sanctis desideriis, piisque affectibus moueamur, à Dæmone vincti sumus.

FRVCTVS.

Discimus sub vmbra istius arboris quiescere, fructuq. eius refici, in prosperis ne insolescamus, & in aduersis ne deiiciamur.

MORTVVS.

Sufficere poterat Dei sanguis effusus ad redimendum genus humanum; mori tamē voluit Dominus. Primò, vt omnia nobis daret, non sanguinem tantùm, sed vitā quoq. & animā. Secundò, vt Deo Patri pro nobis ipse immolaretur vera hostia, tot cruentis sacrificiis veteris legis ante designata. Tertiò, vt dona sua nobis Testamento nouo legata, testator confirmaret sua morte. Quartò, vt mortis natura sua formidabilis metum excuteret hominibus.

ET SEPVLTVS.

Sepeliri voluit. Primò, vt omnia quæ ad hominis conditionem pertinent, nostri causa subiret. Secundò, vt verè comprobaretur mortuus esse. Tertiò, vt sanctorum sepulta corpora, atq. reliquias hactenus pro immūdis habitas, sua sepultura sanctificaret. Quartò, vt ad Christi sepulti exemplū spes daretur resurgēdi. Sepultus est autē à viris nobilibus, iuxta illud Isaiæ: Et erit sepulchrum eius gloriosum. Aequum erat enim, vt omnis ignominia morte & sanguinis effusione finem acciperet.

Basil. in Psal 114

Isaiæ 11

FRVCTVS.

Vt cum Christo peccatis & mūdo mortui, ad instar sepultorum, terrenas voluptates aut incōmoditates ne aduertamus quidē, nedum iis

iis moueamur. Mortui, inquit, estis, & vita *Coloss. 3.*
vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Articulus quintus.

DESCENDIT AD INFEROS, *tertia die resurrexit à mortuis.*

Credimus secundam personam sanctissimę Trinitatis, neque corpus reliquisse, neq. animam; ac reuera Filiū Dei sepultum esse, ad inferosq. descendisse. Atq. istud quidem voluisse; Primò, vt communē legem cæterorum hominum subiret, quibus omnibus ad illum vsque diem adeundi fuerant inferi. Secundò, vt qui per mortem acceperat potestatem omnem in cælo & in terra, nomenq. ad quod flecteretur omne genu, cælestium, terrestrium, & in- *Phil. 2.*
fernorū, possessionē omnium adiēs; à loco inferorū, totius creaturæ infimo, initium duceret; tū vt inde paulatim ad terras, indeque ad suprema cęlorum conscēderet, tum vt afflictis in limbo patribus cōsolationem adferret; tum vt Dæmonū viribus repressis & fractis cōmodius in terris Ecclesiam constitueret. Tertiò, vt inferis nouas leges statueret, ad quos in posterum, nisi pœnarum rei, nulli accederent.

DESCENDIT.

Propria virtute, non delatus, non deiectus, non detrusus; sed gloria magna, potentia, claritate, qua sic inferni loca illustrauit, vt tenebrosum carcerem in Paradisum verteret, iuxta illud quod latroni prædixerat: Hodie me- *Luc. 23.*
cum eris in Paradiso.

AD INFEROS.

Significatur primò, inferni loca in inferioribus esse partibus terræ. Secundò, diuersis habitaculis infernũ distingui, quorũ primum est locus damnatorũ: Secundum limbus eorũ infantiũ, qui solo peccato originali coinquinati ex hac vita decesserunt: Tertiũ purgatorius ignis: Quartũ, sinus Abrahæ, seu limbus patrum, in quo sanctorũ veteris Testamenti patrum animæ magno desiderio aduentũ Messiæ præstolabantur. Et quidem ex primis duobus locis nullos eripuit Dominus; vt qui alieni à Deo, participes non fuerint sanguinis Christi. Quartum prorsus exhausit, abductis patribus omnibus, secũq. in cælos assumptis. Ex igne purgatorio, fortassis eduxit animas singulari priuilegio, more Principum, qui die inaugurationis, eos ferè carceribus liberant, qui capitis non accersuntur. Quod indicare

Zach. 9. visus est Zacharias: Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. In mansione patrum fuisse aquam, testatus est diues epulo, qui inde sibi guttam aquæ à Lazaro deferri petiit. Et D. Gregorius,

Hom. 22. in Euang. Omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Itaque rediuiuus soluit dolores inferni, quos magno cruciatu animæ patiebantur.

Epip. hæres. Tatianorũ.

FRVCTVS.

Actor. 2. Primò, erigitur spes bonorũ, quorũ est memoria apud Deum, siue mortui sint, siue viuant; viui mortuorum obliuiscuntur, Deus au-

autem neque viuorum, neque pereuntium.

Secundò, incutitur timor malis; nam eductis Christus de inferno bonis, arctius inclusit cum Dæmone malos, ne iam sanctorum vel præsentia quidem potirentur, vt antea.

TERTIA DIE RESVRREXIT *à mortuis.*

Christum Dominum conueniebat resurgere: Primò, ad commendãdam Dei iustitiam, cuius est exaltare humiles. Secundò, vt fides diuinitatis Christi cõfirmaretur, qui licet crucifixus sit ex infirmitate, viuit tamen ex virtute Dei. Tertiò, vt fides dictis eius haberetur: si enim mortuus non rediisset ad vitam, videri poterat instar Pseudoprophetarũ agere, qui dum viuunt quidẽ multa iactant, edũt, & pollicentur; mortui autem spem omnium fallunt. Quartò, vt accepta etiam huius orbis terrarum possessione, Ecclesiam fundaret, legibus firmaret, & nouam politiam instituere-ret, cui Pastorem vnum summum præficeret, aliosque Præsules & Sacerdotes daret, ad populorum conuersionem, iuxta id quod Apostolus dixit: Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Nam morte sua precium quidem peccatorum soluit; sed resurgens, prædicatione Apostolorum, & Sacramentis, idem precium nobis applicauit. Quintò, vt in Eucharistiæ Sacramento non mortuum corpus, sed viuum nobis adesset. Sextò, vt impiis esset terrori, qui non mortuum, sed viuẽtem atque viden-

Luca 2.
2. Cor. 13
Rom. 4.

Rom.6. tem Deum timerent. Septimò, vt nos peccatis mortui, in nouitate vitæ ambulemus.

TERTIA DIE.

Hoc est, post partes triũ dierũ naturalium; nã feria vj. ante solis occasum obiit: Dominico surrexit primo diluculo, duabus noctibus in sepulchro detentus, & vno die artificiali, qui fuit sabbathum; quia vnica morte sua, in qua vera erat iustitiæ lux, duas mortes corporis & animæ simul destruxit. Neque citius resurgere voluit, ne nõ videretur verè mortuus; neque tardius, tum ne imbecilles discipuli, vel tristitia absorberentur, vel à fide desciscerent, tum ne animarum conuersio diutius differretur. Surrexit illucescente iam die; quia ad fidei, gratiæ, & gloriæ lumen nos deducebat; sicut mortuus in vesperam inclinato die, atq. in tenebras recedẽte, morte sua tenebras peccatorum fugabat.

RESVRREXIT.

Non suscitatus aliena virtute, vt alij homines, sed ipsemet virtute sua, animam suã cum corpore coniungens. Additur in symbolo Cõstantinopolitano, (Secundum scripturas) tum quia statim initio religionis Christianæ, corporum resurrectio à multis in dubium vocaretur, qui omnia rationis iudicio metiebãtur, qui hic ad fidem scripturarũ remittuntur; tum vt Deus indicetur seruasse filio suo fidem, qua in scripturis resurrectionem addixerat.

A MOR-

A MORTVIS.

Primus inter mortuos depoſita corruptione ad immortalitatem, incorruptionē, & ad gloriam, reſurrexit, retentis in corpore vulneribus. 1. Vt idem corpus Apoſtoli agnoſcerent. 2. In ſignum victoriæ & gloriæ, quam ſibi per illa parauit. 3. Vt nunquam ſit immemor noſtri. 4. Vt ea pro nobis Patri in cælis exhibeat. 5. Vt iuſtos iis oſtēſis, in ſui amorem inflammet. 6. Vt impiis, pro quibus ea ſuſcepit, ingratitudinem exprobret; & à quibus ea ſuſcepit, terrorem incutiat: Videbūt enim in quem transfixerunt. *Ioan. 19.*

FRVCTVS.

Diſcimus Chriſtiani hominis eſſe, ſpiritualem ducere vitam, eamque à peccatorum prauitate reuocatam, ad Saluatoris noſtri exemplum, tanquam certiſſimam regulā, exigere; atq. ad reſurrectionem futuram anhelare.

Articulus ſextus.

ASCENDIT AD CAELOS, SEDET *ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

Credimus Chriſtum Ieſum iā rediuiuum, qui diuinitate cælos nunquam reliquerat, nūc etiam corpore cælos penetraſſe, ſuamq. humanam naturam in cælos euexiſſe; idque meritò quidem, iuſteque, ſi Chriſtum ſpectemus. Primò, quia ſummæ eius humilitati, ſumma debebatur exaltatio. Secundò, quia tam atrocis hoſtis tam admirabilis victor exaltandus erat ſupra locum & ſedem, quam hoſtis aliquando *Epheſ. 4.* *Apoc. 3.*

quando occupauerat in cælis. Tertiò, quia glorioso corpori non alius, quàm glorioſus locus conueniebat. Quartò, quia qui à Patre exiens veniſſet in mũdum, meritò iam legatione perfunctus, ad Patrem reuerti debebat ex mundo. Si noſtra verò commoda, quæ inde in nos dimanant, intueamur; intelligemus miſericorditer Chriſtum Saluatorẽ noſtrum cælum cõſcendiſſe. 1. Quia aperuit nobis cælum. Secundò, quia parat ibidem locũ pro meritis cuiuſque. Tertiò, quia apparet vultui Dei Patris interpellãs pro nobis. Quartò, quia dona de cælis donat hominibus. Denique, qui poſſeſſionem acceperat inferni & terræ, conſtituendus quoque erat Dominus cælorum & totius orbis.

Ioan. 16.
Mich. 2.
Ioan. 14.
Heb. 7. 9.
1. Ioan. 2.
Epheſ. 4.

ASCENDIT.

Non aſſumptus miniſterio Angelorum, ſed propria virtute vt Deus & homo; aſcẽdit magna gloria, ſanctorum patrum animabus comitatus, captiuam ducens captiuitatem; eos nempe quos antea captiuos detinuerat infernus; magnaque admiratione & occurſu Angelorum. Et quidem poſt dies 40. à reſurrectione, quibus diſcipulorum fidem confirmauerat, ſpem auxerat, charitatẽ accenderat, animos conſolatus fuerat, Eccleſiam cõſtituerat,

Pſal. 67.
Epheſ. 4.
Iſaiæ 63.
Pſal. 23.
D. Aug. epiſt. 119.
Epheſ. 4.
Epheſ. 1.

AD CAELOS.

Significatur Chriſtus Dominus cælos omnes penetraſſe, & ad ſupremũ cælorũ omnium thronũ aſcendiſſe, ſuper omnem principatum

&

& potestatem omnemq. creaturam, tanquam omnium Dominus.

FRVCTVS.

Discimus primò, errare illos qui Christi corpus vbique constituunt propter hypostaticam vnionem; cùm illud non sit nisi in cælo positione naturali, & in Eucharistiæ Sacramento singulari priuilegio atq. miraculo. Discimus secundò, in comitatu Christi cælos ascendere; nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo; qui tam diu ascendere dicitur, quoad omnes, qui ad eius aulam & comitatum pertinent, in cælos ingressi fuerint, more Principũ, qui tunc dicuntur incipere progredi, quando procedunt anteambulones; & tunc pertigisse, quando vniuersus comitatus intrauit.

SEDET.

Significatur hac secũda parte gloria Christi, quam habet æqualem cũ Patre. Hactenus quippe tantũ, vt Deus, diuinitate moderabatur vniuersa; nunc etiã vt homo omnibus præficitur, data potestate in cælo & in terra. Vocula, Sedet, non ad situm corporis referenda est, sed primò, ad firmam possessionem, de qua per neminem deturbabitur: iuxta illud, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: hoc est, etiam tunc sedebis, quando perierint inimici tui, qui gloriam tuam obscurare nitebantur. Secundò, ad officium Pontificis, qui de cathedra docet; & Iudicis, qui sedens profert sententiam, vterq.

Matt. 28

Psal. 109

sedato & omni perturbatione libero animo.
Actor. 7. B. Stephanus vidit Iesum stantē à dextris virtutis Dei, tanqnam paratum ad ferendum in labore auxilium.

AD DEXTERAM DEI *Patris omnipotentis.*

Orat. 2. in Arianos. Cùm Deus Pater non constet corpore, neque sit ad filij sui siniſtram, (ait D. Athanasius) nihil hic cogitandum est corporeum; sed significatur 1. æqualis cum Deo Patre gloria, maiestas, & imperium. 2. summa beatitudo, ad quam creaturarum nulla vnquam poterit aspirare. 3. iudicandi potestas, de qua Pater Ephes. 1. Filio concessit, iuxta illud: Pater non iudicat Ioan. 5. quenquam, sed omne iudicium dedit filio.

FRVCTVS.

Discimus primò, Christum Dei Filium æqualem Deo Patri omnipotēti, id omne efficere posse, quod potest Deus Pater omnipotens. Tametsi igitur non sit propter hypostaticam vnionem humanæ cum diuina natura, vbiq. præsens corpore, nec sacrū Christi corpus cælum & terrā impleat; potest tamen ad gloriā humanæ naturæ suæ, idē illud corpus suū, quod in cælis certo loco circumscribitur, in variis locis nulla circumscriptione per vniuersum terrarum orbem constituere, quod fit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; in quo verus Christus nobiscum in terris adest præsens Deus & homo. 2. discimus terrenis

rebus

rebus spretis, in cælos perpetuo mentis oculos defigere, ibiq́ue cor nostrum firmare, vbi est thesaurus noster; nempe vbi Christus est ad dexteram Dei sedens

Articulus septimus.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE *vivos & mortuos.*

Nunc sedet in cælis Christus Pontifex, & Rex, Iudexq́. singulorũ, qui demigrãt ex hac vita: Postea autem in fine sæculorum venturus est Iudex omnium, discussurus singula; & cuncta decernet.

INDE.

Ex cælis veniet in has terras, corpore cælum relicturus, vt corpora nostra simul cũ animabus transferat in cælum. Significatur Christum ab ascensione sua nunquam cælum præsentia sui corporis deseruisse, tametsi corpus idem nobis adsit in Eucharistia; & Christus aliquando forma & conditione pueri quibusdam in altaris Sacramento sit visus; & deniq. nonnullis vel sanis vel morituris in humana specie appareat.

VENTVRVS EST.

Venturus est non Pater, aut Spiritus sanctus, sed Christus Dei Filius. Primo, vt intelligamus magna æquitate & sapientia hoc iudicium perficiendum, quod committitur Sapientiæ Patris. Secundò, quia Christus iudicare meretur, qui pro nobis est iniquè iudicatus. Tertiò, vt iudex homo à iudicandis hominibus oculis videatur. Quartó, ad bonorũ con-

consolationem, quorum Aduocatus & Patronus futurus est Iudex. Quintò, ad declarandam, in malorũ condemnatione, æquitatem: quia sententia non ab alio, quàm ab eo feretur, qui hactenus eos, vt patronus & defensor clientes, tutatus est.

Venturus est, non vt priori aduentu, contemptus, pauper, obediens; sed, vt est in Symbolo Constantinopolitano, cũ gloria; hoc est, manifestè, magna maiestate, cum Angelis, & sanctis; summa potestate, quia pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Tempus aduentus ignotum est nobis. Locus, vallis Iosaphat iuxta Hierosolymam, vt vbi ignominia affectus fuit, ibi glorioſus appareat.

Ioëlis 3.

IVDICARE.

A morte quidem sua vnusquisq. iustè iudicatur; quod iudicium neque reuocabitur, neq. corrigetur; quia qualis quisq. hinc exierit suo nouissimo die (ait D. Augustin.) talis inuenietur in sæculi nouissimo die. Voluit tamẽ Deus vniuersale corã vniuersa creatura institui Iudicium, singulorum q. acta & merita discuti, mercedeq. donari. Primò, vt Dei iustitia omnibus innotescat, qui multos adiudicabit æternis ignibus, quos homines pro piis & sanctis venerabantur in terris: & cõtrà, multos in gloria coronabit, qui nullo erãt in precio, & neglecti apud viuentes. Secundò, vt quanta sapientia & charitate Deus hactenus moderatus sit orbem, fiat omnibus manifestum; desinantque

Serm. 21. de verbis Domini & epistola 80. ad Hysichiũ.

que mirari pios conflictatos esse omni prope genere calamitatis, rebusque aduersis; impios abundasse diuitiis, & voluptatibus affluxisse: omnium quippe ratio constabit, Deiq. commendabitur prudentissima bonitas, iuxta illud: Vt vincas cum iudicaris. Tertiò, vt sua etiam corporibus merces assignetur, quæ vel ad virtutem, vel ad vitium auxiliata sunt, & obsequium præstiterunt animis: Et quidē animæ, quæ prius consensu, quàm opera corporis vel rectè vel impiè agunt, prius etiam mercedem separatæ accipiunt. Corporibus tamē sua merces neganda non est, licet ea posterius in nouissimo die, & minus quàm animæ præmium obtinebunt, quarum arbitrio & motu ceu instrumenta dirigebantur; quia vt gloria animæ in corpus redundabit, ita præcipuum tormentum damnatorum affliget animam. *Psal. 50.*

Iudicabimur autem omnes. Primò, ex operibus, sicut ait Apostolus, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malū: Et Dauid: Quoniam tu reddes vnicuiq. secundū opera sua. Etiam bona opera inspicientur, an plena puraq. sint, iuxta illud: Ego iustitias iudicabo. Secundò, ex verbis: De omni enim verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationē in die iudicij; quia ex verbis tuis iustificaberis, & ex tuis condēnaberis. Si de verbo ocioso: ergo de iis omnibus reddēda erit ratio, quæ maiore sunt cū crimine coniuncta, quàm verbum *2. Cor. 5.* *Psal. 61.* *Psal. 74.* *Matt. 12.*

bum inaniter prolatum; vt de obulo, de tempore, de literis, &c. Tertiò, ex cogitationibus.

Sap. 6. *Sap. 1.* Interrogabit opera vestra & cogitationē scrutabitur. Nam de cogitationibus impij interrogatio erit. Et illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū. Scrutator cordium & renum Deus, & discretor cogitationū, & intentionū cordis. Quòd Christus solorum misericordiæ operū mentionem faciat, dum supremi illius iudicij rigorem nobis inculcat, non hæc causa est, quia illic nullius alterius rei sit reddenda ratio; sed vt sciamus 1. non de sola fide inquirendum esse, sed multò magis de operibus charitatis. 2. multò grauiorem damnationis sententiam in eos esse ferendam, qui malis operibus Deum offendunt, si neglectus auxilij proximi, gehenna puniatur. 3. nullum esse peccatum, quod non possit charitate deleri; ac meritò æternis ignibus mācipari peccatores, qui peccata sua eleēmosynis neglexerunt redimere.

1. Io. 4. *Hier. 17.* *Hebr. 4.* *Matt. 25.*

Vt porrò sententia iudicis iusta probetur, singulorum singulis peccata patebunt: libri enim conscientiarum aperti erunt, in quibus (vt ait D. Basil.) tota hominum vita, eorumq. gesta quasi depicta, admirabili modo vniuersis ponētur ob oculos, vt mira celeritate quisque singulorum facta meritaque aspiciens, sententiam iudicis approbet.

Dan. 7. *Apoc. 20.* *Libro de virginitate.* *Aug. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 14.*

VIVOS ET MORTVOS.

Viuos, hoc est, qui circa illa tempora viui reperientur: his enim licet ex generali Dei sen-

sententia moriendum sit, & in cineres ex igne conflagrationis qui orbem succendet, redeundum; nõ diu differetur resurrectio. Mortuos, id est, qui multo antè mortui fuerant. Vel, viuos, iustos; mortuos, peccatores. Et quidẽ credere tenemur, omnes omnino homines ante tribunal Christi manifestandos, sententiam q. accepturos, vel æternæ gloriæ, vel æterni supplicij; non tamen pari modo omnium merita discutientur. Nam infideles, qui nullis bonis operibus ornati, sed multis malis fœdi, & oppressi ex hac vita migrarunt, secum ipsi damnationis sententiam ferunt, sicut Christus dicebat: Qui non credit, iam iudicatus est: & tales impij non resurgent in iudicio. Similiter viri sancti, qui Apostolorum exemplo abdicatis omnibus, voluntaria paupertate, castitate, & obedientia in statu perfectionis Christum probè secuti sunt; futuri sunt iudices, & sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Cæteri seu iusti, seu peccatores, qui bona opera malis coniunxerunt, in iudicium & discussionem adducentur.

Ioan. 3. Psal. 1.

Orig. tractatu 2. in Matt. D. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 5. & Hom. 50. D. Greg. lib. 11. moral. ca. 30 & li. 26. ca. 24. Matt. 19.

FRVCTVS.

1. Consolatio bonorum, quibus aliquando miseriarum omnium finis imponetur, præmiumque laborum conferetur: Deo enim est cura de nobis, qui & labores & dolores nostros considerat.

2. Terror malorũ, quia à sapientissimo Iudice eorum opera ad normam iustitiæ examinabun-

nabuntur; & ab eo qui neq. precibus, neq pretio flecti potest, iudicabuntur; ab omnipotente punientur; pro momentaneis bonis reddẽtur æterna mala, pro paucis plurima, pro paruis maxima.

Articulus octauus.

CREDO IN SPIRITVM *sanctum.*

Sequentibus articulis de tertia persona in Diuinis agitur, eiusq. effectibus in Ecclesiã.

CREDO IN.

Significatur verus esse Deus, eadẽ qua Pater & Filius diuinitate, maiestate, atq. potentia, quod his verbis in Symbolo Cõstantinopolitano explicatur: Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Tametsi namq. vel in sacris literis, vel in precibus Ecclesiæ, rarior fiat Spiritus sancti, atque Patris aut Filij mentio: nusquam tamen excluditur; sed cum Patre vnus Deus, sub Patris nomine intelligendus venit, quoties proprietas Patris
*Matt.*11 distinctionem non facit. Itaque, Nemo nouit Filium nisi Pater, neq. Patrem nisi Filius. Et,
*Matt.*24 De die illo nemo nouit nisi solus Pater: & si quæ sunt alia, quæ significant actiones Dei, tota Trinitas in Patre est accipienda, Filijmeminimus distinctè sæpius in nouo testamento, propter humanam naturam, quam assumpsit; rarius in veteri testamento, quando obscurè homines in eius necdum incarnati notitiam venerant. Patris nomen crebrius exprimitur, tũ quòd ei tribuatur potentia quam vene-

veneramur atque metuimus, tum quòd eius Filius humanum genus Deo conciliauerit.

SPIRITVM.

Tertiæ huic personę Diuinæ peculiare nomen non assc̃ribitur, sicut Patri & Filio, sed commune, quod in cæteras personas competere potest. Siquidem tota Trinitas & sancta est & Spiritus (Spiritus, inquit, est Deus) idq́. ex eo quod eius ineffabilis processio, nomine proprio explicari nequeat, sicut processio Filij quæ est generatio. Accommodatè tamen vsurpatur hoc nomen Spiritus, à vento subtiliter impellente sumptum; quòd hæc persona procedat à Patre & Filio per modũ amoris: sicut enim amans in alium fertur amore, ita Pater in Filium, & Filius in Patrem Spiritu sancto. 1oan. 4.

SANCTVM.

Sanctus porro dicitur non ad creaturarum morem, quæ vel Deo consecratæ sunt, vt vasa sacra; vel per diuinam internamq́. gratiã sanctitate affectæ, vt homines mortales; vel diuina participatione gloria condecorati, vt sancti in gloria: sed quòd sit ipsissima sanctitas, fons & origo creatæ omnis sanctitatis, omnia perficiens, omnia consecrans, omnia sancta efficiens. Et quidem quod ad nos homines attinet, Primò, Ipse Cõcionatores, Pastores, Doctores instituit, muniaq́. Ecclesiæ ad peccatorum conuersionem, corporisq́. mystici ædificationem diuisit. Secũdò, Ipse occasiones à consuetudine peccatorum ad vitam meliorem homines reuocandi suppeditat; Doctores ad 1. Cor. 12 Ephes. 4.

e docen-

Act.10.8 docendum impellit & mittit; Petrum ad Cornelium, Philippum ad Eunuchum. Tertiò, Ipse animam occulta vi interius emollit ad pœnitentiam. Quartò, Ipse peccatorum dat veniam, & maculas omnes detergit. Quintò, Ipse sapientiæ, scientiæ, cæterisq. donis mentem illustrat. Sextò, Ipse affectus nostros infusis virtutibus ad sanctas actiones inclinat. Septimò denique, Ipse sanctificatos & iustificatos velut sigillo obsignat, vt non obscurum sit, hoc vitæ curriculo dimenso, nos in numero esse filiorum Dei; estq. pignus seu arrha hæreditatis æternæ, quam qui secum ex hac vita deferet, ius habebit futuræ retributionis. Signati (inquit) estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.

Isa.11.

Ephes.1.

De variis Spiritvs Sancti proprietatibus.

In Constantinopolitano symbolo varia de Spiritu sancto, ob insurgentes hæreses, explicata fuerũt. Primò, Dominus; tum quia vnus Deus cum Patre & Filio, creator, conseruator, ac moderator rerum omnium: tũ quia verè liberos dominosque sui ipsorum illos efficiat, quos semel occupauit, tollens metũ omnem, animumque seruilem: Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas. Secundò viuificans, 1. quia res omnes creatæ eius beneficio habẽt idipsum quod sunt; qui viuentibus largitus est vitam; iuxta illud; Emitte spiritum tuum & creabũtur. Et, Spiritus Domini ferebatur super aquas. 2. quia per suã gratiam sit vita animæ,

2.Cor.3.

Psal.103

Genes.1.

mæ, sine qua, corpore viuentes, mortui sumus Deo. 3. quia in resurrectione iustorum, ad vitam reuocabit corpora nostra; non quidem ea conditione qua damnatos, vtscilicet animæ corporibus suis tantùm restituātur, sed vt dono spiritus reddantur agilia, impatibilia, spiritualia: Viuificabit (ait Apostolus) mortalia corpora vestra, propter inhabitātem Spiritum eius in vobis. 1. Tim. 5. Rom. 8.

Tertiò, Qui ex Patre Filioque procedit: est amor Patris & Filij, & nexus vtriusque; eiusdē substantiæ & diuinitatis. Non creatur, non formatur, non generatur; sed procedit, à Patris & Filij substātia, hoc est à Patre & Filio, non vt à diuersis principiis, sed ab vno principio, vnde dicitur Spiritus Patris, & Spiritus Filij, & ab vtroq. accipere (De meo accipiet: omnia quæcunq. habet, mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet.) & ab vtroq. ad nos mitti. Misit (inquit) Deus Spiritū Filij sui in corda vestra. Et Christus, Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam à Patre. Ioan. 16. Matt. 10 Rom. 8. Galat. 4. Ioan. 15.

Quartò, Qui cū Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Tametsi accipiat à Patre & Filio, tametsi mittatur, tametsi sit donum, quod à Deo datur hominibus, est tamen vnus & verus Deus cum Patre & Filio, cui tēpla consecrantur, (nā membra nostra tēplū sunt Spiritus sancti) cui sacrificia offerūtur, qui vbiq. est; qui scrutatur profunda Dei: Deniq. qui vnum habet nomen, vnā potestatē, vnā gloriam, vnam naturam cum Patre & 1. Cor. 6. Sap. 1. 1. Cor. 2.

Matt. 28. Filio. Sic enim legimus, In nomine Patris &
1. Ioan. 5. Filij & Spiritus sancti. Et, Tres sunt qui testimonium dant in cęlo, Pater, Verbū, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Quod autem mittificatur, non arguit inferiorem dignitatem aut maiestatem: Nam & Rex mittitur quandoq. à consiliariis, & Filius Dei à Patre & Spiritu sancto. Nunc (ait) misit me
Esa. 48. Dominus Deus & Spiritus eius. Mitti autē à Patre & Filio dicitur Spiritus sanctus, à quorū natura cùm sua omnia habeat, ad nos spōte venit, sua dona nobis communicaturus.

Quintò, Qui locutus est per Prophetas. Author omniū scripturarum, tam quę in corde Ecclesiæ, quàm quæ in codicibus manuscriptis sunt exaratę. Nō enim solùm ad Prophetas ea pertinent, quæ atramento, vel in tabulis lapideis scripta habemus; sed ea etiam
2. Cor. 3. quæ spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalibus. His verbis significatur fundamentum fidei nostræ esse Deus Spiritus sanctus, cui lōquenti per Prophetas & sanctam Ecclesiam Prophetarum matrem, credendum est, & obsequendum.

De nominibvs spiritus sancti.

A variis effectis ducit Spiritus sanctus va-
Luc. 11. ria nomina in Scripturis. Primò, Digitus Dei, tum ob donorum multitudinem; tum, quòd sicut quondam in Moysi tabulis fuit impressus decalogus Dei digito, ita lex noua euangelica,

gelica, cordibus nostris per Spiritum sanctum inscribatur.

Secundò, Paracletus, quod sonat aduocatum, & consolatorem; officium quippe diuini Spiritus est, interna suauitate pios consolari, modumq. his suggerere, deuotè Deum comprecandi, ad quos accesserit. *Ioan. 15.*

Tertiò, Spiritus veritatis. 1. quia veritatem fidei Ecclesiam & Christianos omnes docet. 2. quia ipso doctore intus loquente discimus res, prout verè sunt, æstimare, cælestes pro solidis, terrenas pro vanis putare. 3. quia sana consilia suggerit suis, iuxta illud: Audiã quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. *Ioan. 15.* *Psal. 84.*

Quartò, Spiritus rectus, qui mẽtes nostras, peccatorum sarcinis ad ima depressas, erigit in cælum. *Psal. 50.*

Quintò, Spiritus principalis. Tametsi sint multa spirituum genera, hic tamen est præcipuus, cui sunt aures præbendæ. *Psal. 50.*

Sextò, Spiritus adoptionis filiorũ Dei; qui solus nos efficit Dei filios: Ipse enim Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei. *Rom. 8.*

Septimò, Donum; quia nobis à Patre & Filio gratis donatur, vt eo liberè vti fruiq. valeamus. Quod sic non est intelligendum, atq. si Spiritus sanctus ipse in nos illaberetur, in quibus prius non fuisset, qui vbique est: sed quòd gratia Dei, charitas atq. iustitia, cæteraque ipsius dona, de quibus Isaias; & fructus, *Isaiæ 11.*

Gal. 5. de quibus Apostolus Paulus; ad nos veniant, & nos afficiant.

FRVCTVS.

Discimus 1. non violare corpora nostra, in quibus ceu templis sibi consecratis ac dicatis, Spiritus sanctus inhabitat; nec arbitrari nos esse profanos homines instar gentilium; qui not Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, &c. Deo dedicati ac mancipati sumus. 2. Corda nostra illicitis desideriis & amoribus purgare, vt purius recipiant liquorem gratiæ sancti Spiritus. Sicut enim vasculum pulchrè dilutum, & alieno liquore vacuum, admittit vinum merum: ita Christiani hominis animus, peccatis & concupiscentiis liber, aptus est, qui synceram gratiam diuini spiritus accipiat, & intimis puræ mentis penetralibus repositam, iucundissimo cũ fructu, magnaq. cum voluptate conseruet.

Articulus nonus.

SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, *sanctorum communionem.*

Postquam homo in peccatum lapsus, à vero Dei cultu & via salutis aberrauit; Christus in mundum veniens certam quãdam hominum societatem instituit, legibusq. instruxit, quam appellauit Ecclesiam, hoc est, congregationem euocatam. Primò, quod ad eam nemo nisi à Christo euocatus veniat. Secundò, quod non coactus (vnde vetus nomen synagogæ imponere illi noluit) sed sponte sua. Tertiò, vt qui in ea essent, hoc beneficium agnoscerẽt, quòd

ex

ex cætu impiorũ ad congregationẽ iuſtorũ aſſumpti eſſent. Quartò, vt meminiſsẽt nõ propterea ſecuritatẽ ſibi polliceri, quia vocati eſſent; ſiquidẽ multi ſũt vocati, pauciverò electi.

Hanc autem hominum congregationẽ eo conſilio delegit, vt cæteris hominibus à vera Dei notitia, ſalutisq. via aberrantibus; illis & veram ſcientiam Dei diuinarumq. rerum, & verum Dei cultum, & veram rectamq. viam demonſtraret adipiſcendæ ſalutis: nã ſoli huic hominum cætui veram fidem, ſyncerũ vſum Sacramentorum, meritaq. ſanguinis & mortis ſuæ commendauit.

Illud igitur nobis hoc articulo credendum proponitur, eſſe in orbe terrarum huiuſmodi congregationem, diuina miſericordia collectam, quæ his iam dictis gratiis & priuilegiis ſola ornetur, in quã conuenire debeant, quotquot vel iuſtificationem, vel peccatorũ remiſſionem, vel ſalutem animæ conſequi volunt.

Cæterùm quia generalis iſta fides, eſſe aliquam eiuſmodi Eccleſiam, non ſatis magnam habet vim ad obtinenda hæc Dei dona, niſi ſimul etiam cognoſcatur quænam illa ſit, à qua ſint eiuſmodi petenda & accipienda: Sicut ſatis non eſt, credere aliquem eſſe Chriſtũ hominibus in Saluatorem à Deo conſtitutũ (talem enim aliquem futurum etiam Iudæi fatentur) niſi credatur Ieſus noſter is eſſe, quem Pater de cælis his verbis nominauit: Hic eſt filius meus dilectus: idcirco iubemur hoc articulo certã aliquam hominũ cõgregationem *Matt. 17*

credere hanc esse Ecclesiam, & quænam illa sit, non ignorare. Nempe illos homines quos Christus alloquens, & digito demonstrans dicebat, Vos estis lux mundi: Qui vos audit me audit: Ecce ego mitto vos. Hi erant sancti Apostoli Ecclesiæ fundatores, & Pastores; & qui illis legitimè eadem fide & religione successerunt.

Matt. 5. *Luc.* 10. *Matt.* 10.

Quia porro venturi erãt homines qui verę Ecclesiæ successionẽ ab Apostolis in dubium reuocarent, & suos quisq. cætus ad Apostolos referre conarentur: expresserunt hoc articulo sancti Apostoli tria manifesta indicia, quibus Constantinopolitana Synodus adiecit quartum, ne quis à vera Ecclesia ad infideliũ hæreticorum vel schismaticorum conuenticula & Ecclesias aberraret. Ex qua re liquet, quàm sit ad salutẽ necessarius iste articulus, qui hæreses omnes condemnat & prodit. Tria illa indicia Apostolica sunt, Vna, Sancta, Catholica; quartum in Synodo appositum ad priorum declarationem, est, Apostolica.

VNA.

Vox ista in Constantinopolitano concilio est addita, occasione singularis numeri, quo hic articulus ab Apostolis est conscriptus. Hanc vnitatem Ecclesiæ frequenter cõmendat Scriptura in Canticis: Vna est columba mea: vna est speciosa mea. Et B. Apostolus exponit cùm dicit: Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: vnus Dominus, vna fides, vnũ baptisma,

Cant. 6. *Ephes.* 4.

vnus

vnus Deus & Pater omnium. Vbi cùm non audiamus, vna voluntas, vnum membrũ, vna opinio, certum est non lædi vnitatem, si de rebus ad fidẽ non pertinẽtibus diuersæ sint multorum sententiæ, aut si dissentientes habeamus voluntates, aut desideria. (nam etiam in eodem corpore diuersa quandoq. appetũt pectus & stomachus) vel si non prorsus eadem sequamur viuendi rationes: vt hic secularem, iste ecclesiasticam, ille Monasticam B. Dominici, Frãciſci, Benedicti, &c. Sed à duabus potissimùm, vel tribus rebus indicauit Apostolus hanc vnitatem sumendam esse. Ab vnitate fidei; ad quam refertur, vt vnum Deũ, vnum Dominum, vnum Patrem omnium & credamus, & vna spe expectemus. Ab vnitate Sacramentorum: Vnum (inquit) Baptisma. Ab vnitate corporis, cui insit vnus spiritus, quia vnum corpus, & vnus spiritus.

Vnicam porrò esse fidem, & non multiplicem, duobus modis intelligi potest; priori, vt nunquam fidei doctrina in contrarios aut diuersos sensus sit variata; posteriori, vt apud omnes vna sit per omnia atq. eadem. Itaque cætus illi, qui aliquãdo vel additionibus, vel diminutionibus, capita doctrinæ fidei suæ mutauerunt, vel nouis correctionibus variauerunt; (quod Arrianos, Nouatianos, Pelagianos feciſſe constat) aut quorum sectatores in fidei rebus per omnia non consentiunt, (qualis fuit semper inter omnes, etiam vnius sectæ, hæreticos dissensio) ad ve-

ram Ecclesiam pertinere non possunt.

Vnitas Sacramentorum eodem refertur, vt cognoscamus non esse germanam Christi Ecclesiam, vbi iidem, in numero aut ritu administrationis Sacramentorum, vel ab aliis, vel à semetipsis discrepant.

Vnitas corporis viui atq. aspectabilis ex eo cernitur, si sub vno capite distincta sint mẽbra: Vbi igitur visibile caput totius congregationis non agnoscitur (quale quidem agnoscunt Catholici, Romanum Pontificem, Iesu Christi Vicarium; Hæretici verò nullum tolerant, etiamsi ab vno aliquo hæresiarcha originem ducunt) vel vbi non sunt distincta ministeria (vt apud eos est cernere, qui ciuili magistratui ius omne Ecclesiasticũ tribuunt) fieri nequit vt sit vera Christi Ecclesia.

SANCTA.

Sanctitatis nomen varias habet significationes; sed quod ad rẽ præsentẽ attinet, sufficiunt quatuor. Primò, sanctum est Deo consecratum, vel solo voto, aut desiderio aliorum, (quomodo animal sanctũ erat, quod solo voto
Luc. 27. Deo dedicabatur, & infantes Christianorum necdum baptizatos aut natos appellat Apo-
1. Cor. 7. stolus sanctos) vel aliqua consecratione: quomodo Sacerdotes & vasa sacra effici sancta consueuerunt. Hoc igitur pacto Ecclesia sancta est, tota per baptismum Deo consecrata: Et qui baptismate abluti nõ sunt, Iudæi, Ethnici, Anabaptistarum filij, huius sacræ familiæ membra censeri non possunt.

Secun-

Secundò, sanctum ab interna iustitia, & inhærẽte sanctitate nominatur, quæ est vita Ecclesiæ, sicut anima corporis. Cęterùm sicut nõ omnia quæ ad idẽ corpus attinent in se vitam habent, velut in homine pili, vngues, humores, fieriq́ potest vt maior pars eorum quæ corpori adhærẽt, vita destituatur, vt in arbore quapiam cuius plures sint rami emortui & aridi, quàm viui atque vegeti; sed ad viuentis nomen retinendum, satis est si in aliqua parte vita conseruetur; quæ vita tametsi quandoq. non se prodat, vt in arboribus per frigora hyemis, existimandum est tamen à toto corpore vitam non abesse, quamdiu manifestis indiciis de interitu nihil constat. Pari modo Ecclesia sancta est, quæ sanctos multos & aluit, & in cælos præmisit, & nullo argumento conuinci potest omni sanctitate vacare, quin potius verisimilibus rationibus probari, multos extare etiamnum sanctos, & pios, Deoq́. acceptos homines. Sanctitatẽ porrò hominum miracula in vita & post mortem exhibita testantur. Conuentus alij infidelium hominum neque sanctum se aliquando habuisse, atq. ad cælos præmisisse, neque adhuc in viuis habere, testimonio vllo certo (cuiusmodi sunt non externa species pietatis, quam improbi quoq. imitantur, & simulatè exprimunt; sed diuina eaq́ue nulla re dubia obscurata reuelatio, aut miracula naturæ vires excedentia) docere vllo vnquam tempore potuerunt.

3. Sanctum à puritate doctrinæ accipitur: Est-

Estque Ecclesia sancta, tũ quòd nihil vel scripturis, vel rectæ rationi repugnans commendet; tum quòd sancti mores eius prædicationem & spiritum comitentur, sicut olim ad cõciones Apostolicas multi paupertatem voluntariam amplexabantur, virginitatem colebãt, humiles, maioribus obsequentes, virtutisque omnis sectatores euadebant. Proinde à vera Ecclesiæ significatione alieni sunt cætus illi omnes, 1, qui scripturam sacram vel abiiciũt, vel mutilant, vel ad alienos sensus, contra maiorum omnium interpretationem detorquẽt: 2. qui aliena à recta ratione docent: cuiusmodi sunt: Deum esse authorem peccati; hominem liberò arbitrio carere; fidem Deo datam, impunè violari posse, aut debere; maiores omnes totis 1500. annis, in densissimis errorũ tenebris versatos esse, vsq. adeò vt Christo iniuriam per sacrificium & sanctorum inuocationem intulerint, & gentilium ritu idola coluerint, imò gentilibus omnibus deterius egerint, vt qui frustulum panis pro Deo habuerint: 3, quorũ prædicatione, ex vi spiritus quo impelluntur, atq. instigantur, mali mores, exclusis bonis, in populum induci solent. Id autem his tribus modis deprehendi potest. Primò, si primorum authorum (qui suarum sectarũ plenitudine spiritus abundauerunt) improbi mores fuerint. Secundò, si ex concionibus populus nõ corde compuncto, animo humili, mansueto, modesto, sed truci vultu, spirãs minarũ, & cædis, domum exeat. Tertiò, si illis

in

in locis, vbi præcipuè cætus isti vigent, iaceat omnis pietas, disturbentur monasteria, negligatur virginitas, cessent ieiunia, cæteręq. virtutes Christianę, à Christo & Apostolis commendatæ explodantur.

4. Sanctum, idem valet quod stabile, fixum, atque immobile; vnde sancire, hoc valet quod firmare. Est igitur Ecclesia sancta, quoniam nullis aduersitatum procellis succumbit (portæ inferi, ait Christus, non prævalebūt aduersus eam) quamobrē nō pertinuerunt vnquam ad veri nominis Ecclesiam conuentus hominum dissipati, vt veterum hæreticorū; vel insurgentibus nouis obscurati; quomodo Manichæi veteres Simonis Magi scholas; & Ioannes Hus Ioānem V Vicleffum vicit; & Caluinus Lutherum paulatim obfuscat. *Matt. 16*

CATHOLICA.

Ecclesia dicta est Catholica duabus ex causis. Priori, quia nulli populo alligata, vt Iudæorum synagoga; nulli ætati, sexui, cōditioni, nationi: admittit omnes cuiusmodicunq. illi sint tandem qui Christo nomen auent dare. Posteriori, quia per orbē vniuersum sparsa atque proseminata. Hoc signum in nullā hæreticorum sectam conuenit, qui certis suis angustiis se continentes, nunquā potuerunt eandē suā doctrinā in alias omnes nationes importare: vel enim nō fuerunt ausi, vt Lutherani in Hispaniam; vel non permissi, vt Caluinistæ in Indiam; vel non admissi, vt Cōfessionistæ in Græciam; vel importantes corruperunt;

runt; vt Caluinus Luteranismũ in Gallia, Puritani Caluinisinum in Anglia, ad gloriã scilicet proprij nominis, malentes nomen Doctoris & inuentoris quàm discipuli. Sola doctrina Romanæ Ecclesiæ pari constantriq. ritu, atque modo, vbique per orbem terrarũ colitur, & obseruatur.

APOSTOLICA.

Manifestum est veræ Ecclesiæ indicium, si deprehendatur Apostolica, hoc est ab Apostolis sanctis, authoritate Christi fundata, & ad nos vsq. perducta. quod duobus modis agnosci poterit. Priori, si per ætates omnes ascendendo, eandem fidem & religionem ad Apostolos deducas; quòd fiet cõmodè, si modum illum, quo in hasce ditiones sit primùm importata fides, & huc vsque conseruata, inspicias; atque tunc consideres, an id credatur ab iis qui nunc viuunt hominibus, quod fidei religione obseruatum fuit ab illorũ maioribus, & ab illis rursum quod à suis, atque ita deinceps, quo ad continua peruestigatione venias ad illos qui ab Apostolis, eorúmve successoribus missi, Ecclesiam in terris, & Regionibus hisce plantauerunt. Posteriori, si Pastores, atque Doctores, vel missionẽ, vel ordinationem suam, nulla facta interruptione, ad Apostolos Christi referunt: quomodo non pauci veteres Doctores à successione nunquam interrupta, docuerunt Romanam Ecclesiam illam eandẽ prorsus esse, quàm fundauit & rexit Apostolus Petrus. Quamobrem excludendi sunt à nomi-

nomine Ecclesiæ cætus illi, qui aliam fidē, atque maiores totis hisce 1500. annis coluerūt, in orbem iuducunt. Et illi quoque quorū Pastores, atque Doctores legitimam suā missionem ad Christi Apostolos non referunt. Cùm igitur hæreticorum omnium conuenticula, ante suum hæresiarcham, ne vnum quidē hominem exhibere possint, qui omnibus illius hæresiarchę doctrinæ, aut religionis capitibus assensus fuerit; neque Pastorū suorum remissionē vltra hæresiarchā (qui à nemine, quàm à semetipso, phanaticoque spiritu suo, vt noua cōminiscereturest missus) institutam proferre; non obscurè liquet apud hæreticos non esse Ecclesiam.

FRVCTVS.

1. Quando orbis variis opinionibus confunditur, vt quò se vertat homo ipse non videat; discimus hoc articulo Ecclesiā certis indiciis agnoscere, agnitam retinere, eiusque fidem totis viribus amplecti, atque tueri. 2, Discimus, Deo nostro gratiarum actiones referre, qui nos ex tenebris euocauit ad Ecclesiam, suoque nomini atq. obsequio dedicatos, sanctos effecit. Retinēda est ergo interna sanctitas, maximeque adlaborandum, ne dissidiis, aut opinionibus nostris, non dico Ecclesiæ vnitas, sed proximorum nostrorum pax & cōcordia, vel minima ex parte violetur.

SAN-

SANCTORVM COMMVNIONEM.

Hæc pars additur, vt sciãt Christiani quàm sit bonum, quantarumque commoditatũ societatem habeat in Ecclesia versari; in qua tametsi sua quisque habeat temporalia bona (quæ post peccatum, ob hominum malitiam, non expedit esse communia) in spiritualibus tamen bonis est communio. Et vt primò de Ecclesia hac terrena, & in terris adhuc militante loquamur: Primò, communia sunt omnibus Sacramenta, quæ ad singulorum vtilitatem à Christo instituta fuerunt: vt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, &c. Secundò, sacrificia quæ pro Ecclesia à Sacerdotibus offeruntur, & preces cõmunes. Tertiò, bona opera singulorum Christianorum aliquid in commune & singulis conferunt; sicut cibus quẽ sumit os, prodest singulis membris; non quidem vt gratia Dei, quæ in vno homine est, ad aliũ sese trãsferat; sed aliis duobus modis in alios probitatis alienæ fructum deriuat: Priori quidẽ, dum ob coniunctionem cum homine sancto, & abundante meritis, vel parcit Deus aliis, sicut Sodomis pepercisset, si adfuissent vel decem iusti; & Princeps parcit amici sibi vnicè dilecti fratribus, & cognatis; vel bene fit, vt Ismaëli in gratiam patris Abraham: sic Pharao tradidit Iacobo patriarchæ, & filiis eius terrã Gosen in gratiã Ioſephi. Posteriori verò, dum ex coniunctione cum hominibus sanctis, alij

ad

ad meliora inducuntur: quod enim carbonibus aut lignis vsu venit, vt in ignem iniecta concipiant ignem ardore aliorum; ita ex præsentia, consuetudine, familiaritateq. bonorũ, alij nonnihil pietatis hauriunt, tum ex spiritu loquentis, tum ex angelorum Deiq. præsentia; sicut contrà, vsu, & societate malorum efficitur quis deterior, vel ex veneno quod ex impiorum ore dimanat, vel à malignis spiritibus, qui impios comitãtur, & dirigũt. Quartò, quædam sunt opera sanctorum, aliqua ex parte ipsis non necessaria, quæ in communem Ecclesiæ thesaurum referuntur; cuiusmodi sunt pœnæ & afflictiones, quas supra quàm merebantur quidam sustinuerunt; sicut de se B. Iob fatebatur: Vtinam appenderentur peccata mea quibus irã merui, & calamitas quàm patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Siquidem vt vnius hominis idem opus duos potest effectus producere, ita inter se separatos, vt vnus ipsimet homini prosit, alter verò aliis; veluti obambulatio, dũ corpus exercet, sanitatem conseruat; satisfacit etiam decreto Magistratus, quo ciuis suo tempore ciuitatis mœnia obire tenetur. si quis igitur hac obligatione liber, vices amici hac ambulatione suppleat, is sanè & sibi proderit in valetudinis cura, & amicum obligatione liberabit. Pari modo, si quis vir sanctus grauia sustineat incommoda, aut etiam vltro susceptas afflictiones, sibi ipsi mercedem eximiam parat in cælo, insigni sua in Deum charitate. *Iob 6.*

At quia dolorum proprius effectus est, satisfacere pro illicitis voluptatibus, atque peccatis, quæ non ita grauia, vt tam immani pœna expiari debeant, à sancto illo commissa fuerunt, ne effectus ille suo fructu careat, voluit Deus vt in aliorum satisfactionem, in Ecclesiæ thesauro spirituali asseruaretur; in quo thesauro sunt præter hæc sanctorum merita, etiam immensa merita Christi, qui cùm peccatum fecerit nullum, pœnas tamen grauissimas est perpessus. Cuius thesauri vsus in eo cernitur, quando Christiano, qui per Sacramentū pœnitentiæ impetrata peccatorum venia, alicui adhuc pœnæ apud Deum obnoxius est, Christi & sanctorum pœnæ, ad ipsius pœnarū satisfactionem applicantur. Has vocamus indulgentias, quarum distributio penes Ecclesiæ caput est, sicut penes Principem, aut patremfamilias dispensatio communium bonorum Reip. atque familiæ, Et hæc merita quādoque ad totius pœnæ satisfactionem adhibentur, in indulgentiis quæ plenariæ dicuntur; quandoq. ad partē debitæ pœnæ, pro superioris dispensatoris arbitrio. Neq. mirū hoc videri debet in spiritualibus obligationibus, cùm in tēporalibus apud Magistratū secularem, vnius pro aliis admittatur satisfactio.

Hanc bonorum communionem exposuit
1. *Ioan.* 1. D. Ioannes similitudine societatis mercatoriæ, vbi sic lucrū in commune cedit, vt is tamen qui amplius cōtulerit, ampliora ex lucro
Rom. 12. referat. D. Paulus adduxit similitudinem corporis,

poris, ad cuius sustentationem & commodum membra omnia laborant, & quodq. sibi conueniens nutrimentū accipit. Quicquid enim boni operatur Christianus, tametsi ad peculiarem aliquem finem orationes suas, ieiunia, aliaq. pia officia referat, quia tamē est membrum corporis, non carent cætera mēbra fructu suo: sicut pharmacū, quod ad valetudinem confirmationemq. ventriculi, vel hepatis, aut alterius partis accipitur, ita prodest illi mēbro, vt tamē ad reliqua membra vis eius transeat.

Hac cōmunione priuantur quotquot extra Ecclesiam degunt, infideles omnes, Gentiles, Iudæi, Hæretici, præterea Catholici ob facinus aliquod graue, à communione & societate Ecclesiæ reiecti; nō enim nisi ob peccatum mortale, est inferenda tā grauis pœna Christianis. Hi omnes tantis bonis destituuntur: 1, ad nulla admittuntur Sacramenta. 2, nihil illis prosunt Ecclesiæ communes preces & sacrificia. 3, nihil merita Ecclesiæ, ieiunia, eleēmosynæ, vigiliæ, pœnitentiæ, opera bona, &c. sicut membra à corpore resecta, nihil hauriūt commodi ex alimento corporis. 4, Traduntur Satanæ, qui extra Ecclesiam imperium exercet. 5, Iubentur Christiani talium hominum consortia vitare, præsertim qui aliquando in Ecclesia fuerunt, vt Hæretici, & Catholici cōmunione priuati. tum ne malorum consuetudine aliquid eis adhæreat; tum vt mali ipsi cōsuetudine hac Catholicorum priuati, ad saniorem mentem redeāt. 6. Vt viui fuerunt ab

1. Tim. 1. 1. Cor. 5. Tit. 1. 1. Cor. 5.

Ecclesia alieni, ita & defuncti. Itaque & corpus Ecclesiastica sepultura caret, & anima excluditur à gloria beatorum. Et hæc de cõmunione sanctorum viuentium.

Cæterùm ad Christi Ecclesiam pertinent tum Sancti omnes in cælis regnantes cũ capite suo Christo, qui ad Ecclesiæ suæ thesaurum merita sua contulerunt, & nunc pro nobis soliciti Deum precantur, nobisq. subinde micas aliquas de mensa cælesti deiiciunt: tum animæ defunctorum, quæ nondũ satis ad cæli gloriam fulgentes, purgatoriis pœnis mundantur; ad quas, ceu ad viua membra Ecclesię, defertur fructus bonorum viuẽtium, quorum precibus, sacrificiis, officiis bonis, & afflictionibus non parum iuuantur: Nobis illæ vicissim rependũt preces, sicuti Hieremias in limbo Patrum Israëlitis. Sanctis autem in cælo glorioſis, accrescit aliquid gloriæ accidentalis, & noui gaudij, ex piis operibus, præsertim quę ex eorum institutione, vel imitatione perficimus; ex precibus item quibus eorum intercessionem imploramus; denique ex sancta vita nostra; siquidem vnius membri gloria totum exornat corpus.

2. Mach. 15.

FRVCTVS.

Primò, si spiritualium bonorum est inter omnes Catholicos tanta communio; discimus à terrenis bonis nostris, his lõgè inferioribus, Christianos pauperes non reddere alienos, immo libenter talenta omnia nostra, atq. bona externa, in Christianorum omnium tum spiri-

spiritualem, tum corporalem vtilitatem conuertere.

Secundò, discimus sacras indulgentias non parui facere, aut leuiter negligere; sed in statu gratiæ eas reuerenter frequentare. Nulli enim prosunt in peccato mortali constituto, & multum iuuant pios, vt citius in patriã cælestem ex hac vita migrẽt: sicut enim delicta sua nemo plenè intelligit, sic quanta eis pœna debetur, nouit solus iudex iustus atq. districtus.

Tertiò, discimus toto corde, vel ad ipsum excommunicationis nomen horrere; qua & bona omnia tolluntur, & mala omnia spiritualia aduehũtur; quãdiu enim homo, tametsi peccator, & membrum mortuũ, cæteris membris viuis, totique corpori Ecclesiæ adhæret, aliorum præsidio à Dæmonis potestate seruatur tutior, succiq. spiritualis particeps, quãdoque (vt in morbidis membris euenit) vel in integrum restituitur; vel conscientiæ stimulis à grauioribus malis cohibetur; vel saltem bonis temporalibus, & huius vitæ commodis augetur.

Quartò, discimus vita defunctos precibus, eleëmosynis, bonisque operibus iuuare; sanctisque in cælis, qui nobis sua bona fecerunt communia, honorem omnem & venerationem habere, seduloque precari, ne peccata nostra tantam bonorum ipsorum communionem & applicationem impediant.

Articulus decimus.

REMISSIONEM PECCATORUM.

His tribus articulis sequentibus, tria bona credimus, quæ beneficio Spiritus sancti vnicuilibet nostrum offeruntur. Inter quæ prius nominatur, peccatorũ remissio, quæ animam concernit, quàm carnis resurrectio, quæ attingit corpus: 1, quia animæ curatio in hac vita antecedit resurrectionem corporũ: 2, quia ad gloriam nemo resurrecturus est, qui non acceperit peccatorum condonationem.

PECCATORVM.

Peccatorum duæ sunt species. Alterum est originale peccatum, quod à primo parẽte contractum, ab ortu nobis adhæret. Venit enim homo in mundum priuatus gratia Dei, veraque iustitia, & bonitate, animaque ipsa auersa à Deo. Alterum actuale, quod rationis vsu cõmittimus: & istud vel mortale est, nempe factum aliquod repugnans diuinæ charitati; vel veniale, quod nec aduersatur charitati, nec illã promouet.

Originale peccatum eiusmodi est, vt nullo crimine alio adiuncto, vi sua excludat hominem à gloria cælesti. Mortale etiam grauissimis inferni pœnis addicit. Veniale si non in hac vita sublatum sit, saltem post mortẽ purgatoriis ignibus expiatur.

Sicut inter mortalia peccata sunt alia grauiora aliis, vt hæresis homicidio; & hoc adulterio; & istud fornicatione: ita venialia suos habent

habent gradus, vt alia sint grauissima, quæ proximè ad enormitatem mortaliũ accedunt; alia grauia quidem sed minora, quæ tamẽ diligentia aliqua vitare queas; alia denique minutiora, sine quibus hæc vita mortalis nõ ducitur, vt euagationes in orationibus, delectatio in laudibus, leues negligentiæ, &c. quæ discrimina indicasse videtur B. Apostolus per lignum, fœnum & stipulam, quæ adurentur quidem in purgatorio, sed alia citius, alia tardius absumentur, ignisque virtute obliterabuntur. Atque vt periti medici, in aliquibus quidem morbis diiudicare possunt, sintne lethales & mortiferi, an verò qui medicaminibus facilè sedari & expelli queãt, de omnibus verò quo in genere sint, affirmare neque possunt, neque audent: ita Theologi nonnullorum quidem peccatorum discrimen nouerũt: at vero de omnibus (ait B. Augustinus) quæ leuia, quæ grauia sint, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio: sunt enim quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentẽ fratri suo fatue, reum gehennę ignis putaret, nisi Veritas diceret?

1. Cor. 3.

Cap. 78. Enchirid. cap 79. de Lib. 21. ciuit. Dei, cap 27.

REMISSIONEM.

Significatur quòd Deus ad se accedentibus, peccata condonet, & prorsus tollat, hominemque sibi reconciliet, per merita Christi, virtute Spiritus sancti. Sed ne quis erret, intelligere debet, non mandari nobis, vt credat quisque sibi esse dimissa peccata, se iam iusti-

ficatum, & filiũ Dei, cùm dicat scriptura: Nescit homo an odio vel amore dignus sit: an prauum cor habeat, an seriò ad Deum cõuersum. Verùm hæc nobis ad credendum proponuntur. primò in Ecclesia penes Præpositos, Apostolorũ Christi successores, relictã potestatem remittendi peccata, quam ante Christi aduentum Deus ipse sibi reseruauerat. Secundò, hãc potestatem Ecclesiæ in vtilitatem fidelium datam, non esse ad certum peccatorum vel genus vel numerum astrictam; sed ad omnia omnino extensam, vt possint Christi in terris Vicarij peccata omnia, quãtumcunq. enormia, quantoq. numero multa, prorsus dimittere; neque possit plura condonare Christus ipse Deus de cælis, quàm concesserit hominibus condonare in terris. Tertiò, hanc remissionẽ non dari quouis modo ex hominum arbitrio, sed per Sacramenta, his solis, qui dignè ea susceperint: & quidẽ baptismo remitti prorsus omnia, id etiã quod origine nobiscum attulimus; Pœnitentiæ verò Sacramento, illa omnia quæ post baptismum acceſſerunt: Ceteris porrò Sacramentis, tametsi sua quibusq. peculiaria beneficia donẽtur; ob gratiæ tamen accessionem, quam per singula infundi credimus, leuia peccata ex animo delẽtur, & si quæ memoriæ grauiora exciderunt. Quartò, Christianis omnibus qui Sacramenta hæc, qua par est deuotione & præparatione acceperint, peccata prorsus condonari; & nos ipsos verè iustificatos esse, peccatisq; liberos, si quę à nobis

Chrysost. lib 3. de sacerdotio.

bis requirunt Sacramẽta, perfecimus. Quintò, peccata, quando virtute Sacramenti remittuntur, prorsus tolli, nec radi, nec tegi, neque quicquam vel punitione vel ira dignum remanere: concupiscentiam enim, cæterasque imperfectiones, & ad mala propensiones, quæ in homine iusto dimissis peccatis relinquuntur, neque peccata vera esse, neque aliquid habere quod cõdemnationem ad æternos ignes mereatur, nisi voluntatis consensus accedat. Dici tamen posse homonymas peccata, tum quia peccati effectus, vt scriptura dicitur stilus, & idioma lingua; tum quia peccati causa, sicut frigus pigrum, & mors pallida. *Rom. 7.* *August. variulectio.*

Motiones porro concupiscentiæ, si quidem in sola carne & inferiore hominis parte consistunt, non habent rationem peccati; si verò leuiter afficiunt volũtatem delectatione, sunt peccata leuia seu venialia; si autem voluntatem in plenum deliberatumque consensum trahunt, sunt mortalia. Cæterum peccata omnia quantumcunque enormia, si semel dimissa fuerint, vsq. adeò diuina misericordia deterguntur, vt nullo casu redeant; tametsi repetita grauius propter ingrati animi flagitium puniantur. 6. peccati turpitudine ab animo depulsa, statim succedere Dei gratiam, iustitiam, sanctificationem, qua animus ornatus, & innouatus Deo placeat: imo verò ad gratiæ ingressum peccata repelli, sicut ad ingressum luminis discutiũtur tenebræ. Abluti estis, (ait Apostolus) sanctificati estis, iustificati estis. *1. Cor. 6.*

2. Cor. 5. Et, Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Cur autem in hoc articulo solius fiat remissionis peccatorum mentio, hæ causæ adferri possunt: Prima, vt in gratiarū actionem semper meminerimus prioris nostræ cōditionis peccatricis, vnde educti sumus, cùm Deus 1. Pet. 2. de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum. Secūda quia (vt ait D. August.) licet iustitia nostra vera sit, non tāta est tamen in hac Lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 27. vita, quin potius remissione peccatorum constet, ob lapsum quotidianum, quàm perfectione virtutum. Tertia, ad hominum, qui peccatis vel grauibus vel quotidianis obnoxij sunt, consolationem, qui hoc articulo discunt, neq. numeri, neque magnitudinis peccatorum haberi rationem, sed solius amoris in Deum, veriq. doloris de diuina maiestate culpis & maleficiis nostris offensa. Quartò, vt noua hac doctrina remissionis peccatorū, multi ad Ec- Act. 17. clesiam adducerentur. Verè enim noua fuit, vt Athenienses de resurrectione dictitabant, à nemine Philosophorum aliquando tradita.

FRVCTVS.

Posteaquam tam amplū nobis beneficium à Deo condonatum est, obtinendæ remissionis peccatorum, danda est opera, vt eo fruamur, & de die in diem ne differamus vitæ nostræ in melius commutationem. Primò, quia incertus est vitæ terminus. Secundò, quia qui vero peccatorum dolore afficiuntur, non differunt redire cum Deo in gratiā; dilatio quippe indicium est, adhuc confirmati in peccatis animi.

mi. Tertiò, quia omne tempus, omnisq. locus est aptus agendæ pœnitentiæ. Quartò, quia nullum tam enorme est peccati flagitium, ad quod remittendum Deus se non paratum exhibeat: Vtinam (ait D. Augustinus) tã cito peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quàm cito Deus etiam definitam vult mutare sententiam: neque quisquam sic est grauatus peccandi consuetudine, quem non velit sua gratia releuare. *Aug. ser. 58. de tempo.* *Ser. 102. de tẽpore.*

Articulus vndecimus.

CARNIS RESVRRECTIONEM.

Tertium beneficiũ quod à Spiritu sancto accepturi sunt fideles, est, quòd corpora mortua atq. in cineres redacta denuo resurrectura sint ad vitam. Cuius beneficij non alium esse authorem quàm Spiritum sanctum, testis est Apostolus; Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. *Rom. 8.*

Articulus fuit olim creditu difficilis, habẽsque multum quæstionis & controuersiæ, non solùm apud Ethnicos & Iudæos Sadduceosque, sed ipsos etiam Christianos; vnde variis à Christo, & Apostolo Paulo rationibus probari debuit. Est tamẽ ad salutem vt firmiter assentiamur necessarium, à Deo non solam animæ beatitudinem, sed corporis quoq. gloriã expectandam esse, vt hoc corpus in Dei honorem, & res cæleſtes libenter expendamus. *Matt. 22.* *1. Cor. 15.*

Non

Non enim contentus Deus sanctorũ animas æterna mercede, & beata æui fruitione donare; voluit quoque corpus ipsum retributionis esse particeps. 1. quia simul cum anima ad Dei honorem laborauit. 2. quia cùm anima à corpore separata naturali desiderio feratur in corpus (sicut in Apocalypsi non obscurè indicatur) nunquam perfectè felix ac perbeata erit anima, nisi corpori denuo restituatur. 3. vt ad similitudinem capitis sui Christi totus homo in cælos ascendat. 4. vt omnipotentem charitatem suam Deus faciat manifestam, qua lutum hoc nostrum in cælũ infert, & in thronum suum constituit. 5. vt semel inimica destruatur mors, cùm iusti mortui vitæ restituentur.

Apoc. 6.

Apoc. 3.

CARNIS.

Vox ista caro, vel pro homine ipso posita est, vel pro corpore, sicut in symbolo Constantinop. (Expecto resurrectionem mortuorum) vsi tamẽ sunt Apostoli voce, Carnis, potius quàm alia quauis; 1. quidem, vt intelligamus solam hanc carnem nostram per mortem interire, ac dormire, non autem animam, in quam somnus vel interitus non cõuenit. 2. ne existimemus cum veteribus hæreticis, spiritualem fore hominum resurrectionem, qualis est in iustificatione impij. 3. ne quis arbitretur aliud corpus vel alterius naturæ à mortuis resurrecturum, atque in sepulchrum illatum fuerat, cæleste (inquã) aut alia quàm naturali

turali ratione procreatum. Eadem enim caro nobis restituetur, qua nunc circundati sumus.

DE QVALITATE CORPORVM *sanctorum & impiorum.*

Fide tenendum est, omnes omnino homines, seu sanctos, seu impios, resumptis corporibus à morte excitandos. Quia omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent. At cum scriptum legamus, Non resurgent impij in iudicio, quibusdam in rebus de bonis & malis pariter æqualiterque fiet, in quibusdam autem ratio dispar seruabitur. Atque in eo 1, conuenient omnes, quòd in resurrectione denuo victuri sint, redeuntibus animis in corpora eadem, quæ reliquerant: 2, quòd nulla vnquam futura sit eorundem separatio, quisquis tandem casus, aut quodcunque malum eueniat: 3. quòd integra futura sint corpora, membrisq. omnibus suis perfecta & absoluta. *Ioan. 5.*

Diuersitas autem erit ex quatuor dotibus corporũ glorioſorum, quas sacræ literæ exposuerunt. Prima est Impatibilitas, qua sancta corpora neque pati quid possint, neq. lædi: Itaque non esurient neque sitient amplius, neq. cadet super eos sol, neq. vllus æstus. Impiorũ corpora; tametsi ad interitum non lædentur, neque prorsus morientur; patientur tamẽ non minus, imò verò facilius, atq. dum in terris viuerent, idonea nempe ad omnem doloré & pœnam. Proinde esurient & sitient, algebunt, ardebunt; sectiones, verbera, & quicquid molestia- *Apoc. 7.*

lestiarum aut pœnarū aliquid afferre poterit, cum dolore sentient; & præ dolore languebūt.

Matt.13 Secunda, Claritas, quia fulgebūt iusti sicut Sol in regno Patris eorum; & corpus quod se-

1.Cor.15 minatur in ignobilitate, surget in gloria. Impiorum corpora obscuritate & fœditate horrorem incutere poterunt, & nauseam mouere, ad instar cadauerum à vermibus semiesorum,

Isa.66. iuxta illud Isaiæ: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: Et erunt vsque ad satietatem visionis omni carni; hoc est, abominationi & horrori omnibus.

Tertia, Agilitas, quia corpora sanctorū, ad nutum animæ, celerrimè breuissimoq. tēpore, sine molestia, vel defatigatione illuc mouebuntur atq. ferentur, quocunq. voluerint: iuxta Isaiæ vaticinium: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinē, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Itaq. sursum ascēdent sancti in aëra obuij Christo Domino, & cum Christo in suprema cælorum tabernacula. Impiorum corpora grauedine deprimētur,

Aug.lib. 20.de ciuita. Dei cap.18.

Isa.40.

Num.16. & instar Dathan & Abiron, in cruciatus inferorum mole scelerū & impietatis, abiecta depressaq. decident, vinculisque astricta, sicut

Mat.22. scriptum est: Ligatis manibus & pedibus, proiicite in tenebras exteriores.

1.Cor.15 Quarta, Spiritualis subtilitas, quia seminatur corpus animale, surget spirituale: quod adeò non resistet animæ voluntati atq. iudi-

Prou.9. cio, (sicut fit in hac vita mortali, vbi corpus

quod

quod corrumpitur aggrauat animam) vt etiam illi sit futurum auxilio in suis spiritualibus functionibus. Corpora impiorū hac dote carebunt, opprimentq. animas, nevel boni quid, vel iucundi mente pertractent.

RESVRRECTIONEM.

Non vi sua, vt Christus, ad vitam resurgēt mortui, sed Angelorum ministerio collectis vndequaq. cineribus, corporibus restitutis, diuina virtute animæ infundentur.

FRVCTVS.

Primò, discimus sanctorum reliquias, quæ ad tantam gloriam in terris seruantur, deuoto affectu venerari, sicut eis post mortē ipsemet Deus honorem habuit; qui Moysi's, & Catherinæ corpora, ministerio angelorum sepeliuit; Prophetæ occisi corpus intactū à bestiis seruauit; ad Helisæi ossa sepulta mortuum excitauit; multaque etiam num miracula, & signa ad sanctorum memorias & reliquias edit. *Deut. 34.* *3. Reg. 13* *4. Reg. 13*

Secundò, discimus corpora nostra in vita mortali purgare afflictionibus & pœnitentia. Vt enim vas stanneum, quò acrius fricatur lixiuio, atque inter purgandum defœdatur, eò maculis detersis nitidius splendet: sic corpus humanum, quò Christi amore grauiora sustinet, minusque externo ornatu curatur, eò capacius redditur gloriæ futuræ.

Tertiò, discimus hic seriò experiri quid corpus possit sustinere, an ieiunia, frigora, ardores; aliaque id genus incōmoda: Hæc enim sufferenda erunt post resurrectionem corporum,

rum, & quidem grauissimè atque atrocissimè illis, qui corporis curam in hac vita nimiam susceperunt.

Articulus duodecimus.

ET VITAM AETERNAM, AMEN.

Vltimo loco positus est hic articulus de vita æterna: 1, Vt eius frequentem memoriã repetamus, sicut illorum verborum habere consueuimus, quæ ab amico discedente audimus postrema: 2, quia reipsa omniũ postrema futura est hæc vita æterna, quãdo nouissimè omnium destruetur mors: 3, quia in hac vita æterna est vltimus finis, ad quẽ à Deo Patre creati sumus, atq. à Deo filio redempti. Quamobrẽ statim initio in primo articulo, qui de Patre agebat, facta est cæli mentio (Creatorem cæli & terræ) & in sexto similiter, de ascẽsione filij, qui nobis passione sua viam ad cælum, seu vitam æternam muniuit; in quod deniq. cælum Spiritus sancti benignitate ingrediemur. Discimus itaque ad hanc vitam æternã actiones omnes, & studia nostra referre, sicut ad eandem referuntur omnes præcedentes articuli, operaque omnia Patris & Filij & Spiritus sancti: 4, vt iucunda clausula symbolum concluderetur, & nos hac [illegible] omissione tam liberali, & eximia, ad virtutem excitaremur: De Inferno enim, aliisque, quæ minas, aut acerbitatem præ se ferunt, nihil in symbolo dicitur, nisi quatenus Christus descensu suo Patres inde eduxit, piisq. infernũ clausit: non quidem quòd illa fide tenenda non sint, sicut

1. Cor. 15.

bene-

beneficia & promissiones; sed primò quidem, ne lex Christiana videretur lex esse terroris, & seruitutis. Deinde verò, quia homini adulto necessaria non est inferni cogitatio, si amore cælestis Patriæ, vitam suam Christo conformem reddat. Illis solis ob oculos ponẽdæ sunt pœnæ secuturæ, qui Dei beneficiis, & charitate ad virtutem non inducuntur.

DE NOMINE VITAE æternæ.

Suprema hæc felicitas in cælis nobis parata, quòd vno nomine comprehendi non possit, variis nominibus quasi per partes explicatur.

1. Regnum cælorum: quia summa libertate, dignitate, potentia, gloria, bonisque omnibus sancti, seu Reges, qui in regno sunt potiores, perfruuntur. *Matt. 5.*

2. Regnum Christi & Dei: quia pacatissimè Deus omnia moderabitur, deuictis hostibus, carne, Dæmone, & mundo, qui nos mortales non raro ab obedientia Dei reuocarunt. *Ephes. 5.*

3. Paradisus: propter summam bonorũ omnium affluentiam, qua sancti gaudebunt, intus, forisque repleti. *Luc. 23.*

4. Tertium cælum: ob loci sublimitatem, & pulchritudinem; quæ quanta sit, vel ex infima parte quæ nos respicit, sole, luna, & stellis prefulgida, coniectare datur.

5. Sancta ciuitas: ob sanctorum nobilissimorumque ciuium iucundissimã societatem: vnde etiam Hierusalem noua appellatur, la- *Apoc. 21*

pidibus precioſis conſtructa, atque ornata; ob animorum, corporumque admirabilē perfectamque innouationem.

6. Denique vita æterna: qua voce hoc loco Apoſtoli vti voluerunt, tum vt ſciamus quòd ad vitam, non ad mortem, primùm quidem à Deo creati ſimus, deinde verò à Chriſto redempti; tum vt hæc vita mortalis, qua etiam beſtiæ fruuntur rationis expertes, non tam vita putetur, quàm ſomnium quoddam, aut imaginatio vitæ: vera eſt vita beatorum, qui corpore ſimul & anima viuent; ſicut mors damnatorum peſſima eſt, qui & corpore peribunt & anima. Igitur quemadmodum nomine mortis æternæ, non intelligimus animæ ſeparationem à corpore, quæ eſt in morte ſolatium; ſed perpetua tormenta, perpetuos luctus, perpetuum interitum, & quicquid mali in morte fingi, & excogitari poteſt: Ita nomine vitæ æternæ, non eſt ſola accipienda perpetua animę cum corpore ſuo coniunctio, (quomodo etiam damnati in perpetuum viuent,) ſed primò quidem animæ vita perfectiſſima, quæ eſt ſolus Deus: deinde verò, quicquid viuenti ſolatium adfert, & deſiderium complet; ſic enim loqui conſueuimus, rem nobis iucundam, eſſe vitam noſtram. Quocirca æterna vita, quæ alio nomine ſumma beatitudo poteſt appellari, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, in quo tanta eſt fœlicitatis cōſummatio, bonorumq. nobilitas, vt facilius quid ibi non

Boëtius lib. 3. de conſolat. Philoſoph.

non sit, quàm quid ibi sit, possit explicari, & more scripturarum, dici, non esurient, neq. sitient, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor: præcipitabitur mors in sempiternum: Exhibebitur non vnum aliquod, sed omne prorsus bonum; Implebiturque omne desiderium sanctorum. Quicquid enim quocunque modo desiderari potest, id omne pleniſſimè possidebitur. *D. Aug. lib. 3. de symbolo ad Catechumenos cap. 11. Apoc. 7. 21. Isaiæ 25. Exod. 33.*

Desideramus primò cibum, potum: Ibi quidem hos cibos terrenos fastidiemus, vtemur tamen cibo cæleſti, & inuisibili, quem transiens ministrabit Filius Dei: Et inebriabimur ab vbertate domus Domini. Secundò vestitū: Amiciemur stolis albis, & lumine sicut vestimento. Tertiò ampla & commoda ædificia: qualia in spacioſiſſimo cælorum campo erunt nobiliſſima; domus eburneæ, omniq́ue gemma, lapideq́ue precioso ornatæ. Quartò honores: Atqui gloria, & diuitiæ in domo domini. Quintò multarum rerum notitiam: Hic ex parte cognoscimus, imperfecta, incertaq́ue scientia rerum paucarum; quæ scientia destruetur, succedente ea, quæ perfecta est. Quid enim non sciet, qui scientem & continentē omnia sciet? Sextò gaudemus in Patria ciuibus bonis: Patria nostra cælum, non nisi Principes alit sapientiſſimos, sanctiſſimos, nobiliſſimos, ditiſſimos, nostriq́. amantiſſimos. Septimò honesta occupatione delectamur: Occupationes *Tob. 12. Luc. 14. Lucæ 12. Psal. 35. Apoc. 3. 7 Apoc. 21 Psal. 111 1. Cor. 13 Psal. 138*

illic sunt duplices: In laude iucūdissima Dei;
Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in
sæcula sæculorū laudabunt te: Et in orbis ad-
Sap. 3. ministratione; Iudicabunt nationes, & domi-
Lucæ 19. nabuntur pōpulis: Seruo fideli dictum legi-
mus: Esto potestatem habens super decem ci-
uitates. Et hęc quidem omnia hactenus dicta,
ad secundarium præmiū gloriæ cælestis per-
tinent, quod vocant accidentale: At verò prę-
cipuum, & omnino propriū æternæ vitæ prę-
miū, in quo perfecta beatitudo hominis con-
sistit, & nobilissima vita animæ, est diuinæ
naturæ contemplatio, non per similitudinem
aut speciem (quæ nulla est diuinitatis) sed per
ipsammet Dei essentiā, quæ in hominis ani-
mam illapsa, diuinæ consortem naturæ red-
dit, & vsque adeò in Deū attollit; vt licet non
exeat natura sua, videatur tamen Deus potius
quàm homo; non aliter quam candens carbo
ignis dicitur, & vapor accensus flamma, pro-
pter internam ignis cū carbone & fumo con-
iunctionem. Hinc diuina quædā sanctorum
pulchritudo; hinc summa delectatio, atq. sua-
uitas, gaudiumque, & amor in Deū; hinc de-
nique in singulis facultatibus animæ corpo-
risque summa & fœlix perfectio, perfectaque
fœlicitas, Deus nempe, qui totum implebit
hominem, per omnia quæ attingunt homi-
nem penetrabit.

Præter hæc præmia sanctis omnibus inter
se communia, quædā sunt peculiaria (aureolas
vocant Doctores) his reseruata, qui singulari
vir-

virtute de tribus hostibus nostris victoriã reportarunt. Virgines qui carnem superauerũt, sequentur agnum quocunque ierit, cantantes canticum, quod alteri nulli cãtare est datum. Doctoribus, qui de cordibus errantium depellunt Dæmonem, promittit per Danielem Deus, vt fulgeant quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Martyres denique, qui deuicto mundo venerunt ex magna tribulatione. sunt ante thronũ Dei, cui seruiunt die ac nocte, sedentesque accipient iudicium. *Apoc.14.* *Dan.12.* *Apoc.7.* *Apoc.20.*

Iubemur itaque hoc articulo credere, non quidem Christianos omnes ad hanc gloriam venturos (mali namque excludentur, & plerique boni à pietate deficiũt.) Sed 1, hanc gloriam omnibus omnino hominibus à Deo paratam esse, qui omnes vult saluos fieri. 2, ad eã iam pertigisse non paucos, qui exuti corporibus cum Christo in cęlis regnant. 3. eandem assecuturos Christianos omnes, qui ad fidem suos mores componunt, si vsque in finẽ persistunt; quia qui perseuerauerit vsq. in finem, hic saluus erit. *1.Tim.2.* *Matt.10.*

FRVCTVS.

Seriò inuestiganda est via quę ducit ad vitam, ne aberrantes deducamur ad mortem. Et quidem hoc signum, quod ex latitudine, multorumq. ingressu in viis terrenis sumitur, in hac via non habet locum, vbi sicut angusta est porta, ita arcta est via quæ ducit ad vitã, paucique ambulant per eam. Certissimum autem *Matt.7.*

indicium viæ rectæ est, si eam Rex ipse probatur ingressus; ille enim & tutiorem, & compendiosiorem, & mundiorem haud dubiè tenuit. Christi igitur vita, moresque nobis in hoc itinere ob oculos sunt semper habendi: Imitandi etiam sancti, cælestis Regis nobiles, & Principes: & properè currendum est, ne nobis in via cunctantibus, nox superueniens, cœlestis ciuitatis portas, exclusis nobis, obserat.

Liber Societatis Jesu Paderborna

FINIS.


Ao 1687

SVMMA PR IVILEGII.

REGIS *Priuilegio cautum est, ne quis* Libellum Sodalitatis, *hoc est*, Christianarum Institutionum libros quinque, *in gratiam Sodalitatis B. Virginis Mariæ, Auctore R. P. Francisco Costero Doctore Societatis Iesu Theologo conscriptos, & ab eodem R. P. nũc postremo recognitos, Latinè, Teutonicè aut Gallicè quouis modo, intra quadriennium imprimat, vel alibi impressos in has regiones importet vel vendat, sub pœna in ipso diplomate contenta. Dat. Bruxellæ, decimo septimo Martij, anno* 1586.

Pamele vt

S. de Grimaldi.


IHS
iHS





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN